eg. R. 25

SCIPION.

GENTILIS

IVRISCOS.

De Bonis Maternis,

ET

De Secundis nuptiis,

LIBRI DVO.

Cum INDICE *duplici, uno capitum, altero rerum & verborum.*



HANOVIÆ,

Typis Wechelianis, apud Claudium Marnium & heredes Ioan. Aubrii.

M. DCVI.

Illuſtriſſimo, & Potentiſſimo

PRINCIPI

MAVRITIO

HASSIÆ

LANDTGRAVIO

S. P. D.

Scipio Gentilis.

QVo primùm tempore, Illuſtriſſime Princeps, data mihi copia eſt, propiùs cognoſcendi, & alloquendi tui; ex eo tempore nunquam deſtiti cogitare, qua ratione inſigne meum, atque ardens erga C. T. ſtudium, animumque declararem. Sed non itidem fui in hac parte fortunatus: quippe deerat facultas, aut occaſio. Commodiſſima quidem ratio, & vſitata literatis hominibus, illa eſt, inſcribere aliquid operum ſuorum ſplendidiſſimo nomini eius, cuius ſibi ad gratiam aditum facere aliquem cupiunt. Et am-

plexus ego quoque eam fuiſſem iampridem, ſi quantum me clementia tua ad id faciendum inuitabat, tantum non deterruiſſet eruditio. Reputabam enim cum animo meo, me, ſi aliquid tale inſtituerem, non ſolum ad principem clementiſſimum, ſed etiam ad iudicem omnium laudandarum doctrinarum acutiſſimum, iturum eſſe. Cautius igitur hac in re, & cuſtoditius, hoc eſt, ſepto ſilentio egi. Sed profecto dicam ingenuè, quod res eſt: neque ſimplicitatis meæ eſt, quicquam diſſimulare. Non ſum mihi viſus in aliquo poſſe numero doctorum hominum haberi, ſi nihil tibi dicauiſſem, aut ſi tibi penitus eſſent ignotæ literæ noſtræ. & ſimul adcidebat ad animum vetus illud, Iacta eſto alea. Non cupio, nec peto, vt hos libellos, quos de iure ciuili ſcripſi, ita excipias (quod vulgo tamen optare omnes docti, etiam ſatis docti, ſolent) vt eos tibi vel legendos, vel defendendos, vel ornandos putes. Nam neque merentur ornari, cum tam humiles ſint; neque defendi, cum ſint humilitate ſua tuti; neque à te Principe legi, qui es Mauritius. Illud modò C.T.

demiſ-

demiſsè ſubiectéque rogo, vt patiaris tamen eos apud alios qualecunque teſtimonium ſummæ & ſingularis erga te obſeruantiæ meæ dicere. Hoc vno ſatis me beatum exiſtimabo. neque aliud agere hac mea προσφωνήσει volui. Hæc iam ſcripſeram; cum ita adcidit, vt in hanc vrbem ex inſperato & repentè aduenires; meque primò agnitum, tua deinceps illuſtriſſima gratia omnibus modis cohoneſtares. Mitto illa vulgaria, & magnis quibuſque Principibus vſitata, cum ſe humanos oſtendere, & benignos volunt: quæ licèt multum honoris in ſe contineant, tamen infimis etiam ſæpe hominibus impertiri & communicari videmus. Vnum eximium, & quod alii mihi meritò inuideant, clementiæ erga me tuæ documentum hoc loco proferam. Sermones hi ſunt, illuſtriſſime Princeps Mauriti, tui, quos mecum, vel potius ad me habere dignatus es; nec illi quidem de literis, aut de re aliqua Academica, vt exiſtimabam; ſed de republica, de Germaniæ inprimis ſtatu; quàm graues & pernicioſæ in ea diſſenſiones; quantus neglectus publici apud multos: tum illa diuinitùs,

quibus rationibus ſarciri inter ordines Imperii gratia, res contrà æternum illum hoſtem feliciter, glorioſeque geri, vetusq; Germanico fortiſſimo & nobiliſſimo populo ſplendor, ac maieſtas iterum conciliari, & reſtitui poſſit. quæ verò in ſermone comitas! quæ Latinæ linguæ copia & elegantia! quanta erga Deum, quanta erga Cæſarem pietas! Hærent enim omnia in animo meo, hęrebuntque dum viuam. Quòd ſi mihi in illuſtri aliquo, auguſtoque conſeſſu, habenda eſſet oratio; nihil prius à Deo immortali ſummis precibus palàm peterem, quàm vt tantum virium ad exigui ſpatium temporis mihi concederet, vt conſilia tua de Republica, quæ ex ore tuo percepi, dilucidè explicare, diſponere ſapienter, eloqui ornatè poſſem. Sperarem, atque confiderem, neminem ità iniquum atq; infeſtum virtuti, tam inimicum quietis atque otii, tam alienum ab humanitate, tam auerſum à charitate patriæ futurum; quem non mea oratio, tuorum miniſtra & interpres conſiliorum, permoueret. Enimverò non is tu es, clementiſſime Princeps, qui indignum magnitudine

tua putes, cum homine priuato, & ſolis literarum ſtudiis dedito, ſermonem miſcere, de rebus etiam grauibus, atq; arduis. quo enim quiſque eſt excelſiori dignitate, animoque magis erecto, atque alto prædictus, eò ſe libentius demittit ad eos, in quibus aliquid doctrinæ, aut iudicii, aut bonæ mentis animaduertit. Infirmi & ieiuni, & in ſumma etiam potentia humilis atque attenuati animi eſt, dignitatem ſuam non alia re, quàm dignitate metiri ac tueri; nihilq; in ſe conſpiciendum circumferre, præter purpuram ſuam. Longe alia tibi, aliiſque tui ſimilibus Principibus, mens & ratio eſt. Neque verò (vt imperiti credi volunt) prudentiæ, & rebus adminiſtrandis aduerſatur, aut officit literarum & diſciplinarum cognitio liberalis; non certè harum, quas nos colimus, ciuilis ſcientiæ, & hiſtoriarum. easque ambas, non errauerit, opinor, ſiquis duos fontes omnis humanæ ſapientiæ dixerit. Equidem ego nunquam ita delirabo, aut inſaniam, vt in ciuili prudentia, rerumque publicarum rectionibus, in omni dénique officio, iure, moreque publico, nihil

prorſus Academicos vllos homines intelligere, nihil Albericum Gentilem, fratrem meum, exiſtimem. Cuius eò libentius hoc loco mentionem facio, quòd C. T. nuper perhonorificam eius mentionem vltrò fecerit, collaudatis etiam eius libris, quos cum de aliis rebus multos, tum de iure belli vniuerſo, de legationibus, deque aliis iuris publici partibus, ſumma cura, iudicioque conſcripſit. Eum, me, omneſque meos (etenim ipſa verba C. T. recordor) in gratiam clementiſſimi animi tui recepiſti; fratrem quidem meum, etiam ab ineunte adoleſcentia tua tibi cognitum, atque acceptum, vt tum dicebas. Pro quibus omnibus beneficiis tuis, niſi nos C. Tuæ æternùm deuinctos eſſe profiteamur, niſi omnibus ſtudiis atque rebus, quibuſcunque poterimus, hanc animi grati voluntatem, alacritatemque apud omnes teſtemur; indigni ſimus, qui homines adpellemur. Deum Opt. Max. toto pectore precor, venerorque, vt te, illuſtriſſimamque, & per orbem terræ inclytam domum Haſſiacam, præcipueque Othonem tuum, magnæ, atque

excelſæ, atq; exaggeratæ ad decus maiorum perſequendum indolis adoleſcentem, tueatur, & quàm florentiſſimos eſſe, perpetuò velit. Dat. Norimbergæ. Kal. Auguſti. Anno
1606.

Ad Clariſs. Virum
SCIPIONEM GENTILEM IC. ET
Anteceſſorem Primarium Academiæ Noricæ.

QVamquam iam dudum præſens hæc te colit ætas
Ingenii ob raras dotes, & dia reperta,
GENTILIS, *docta Italiæ prænobile ſidus,*
Atq; Altorfini decus immortale Lycæi,
Iamq; tibi celſum, quoviſq; perennius ære
Indefeſſa vſq; huc monimen ſolertia fixit;
Gloriaq; euexit laudatum pollice vtroq;,
Et duplici ambiuit iuuenilia tempora lauru,
Vidit vt ardenti conceptos mente labores;
Nec negat adſenſum, niſi forte quis inuidus adſit,
Liuida quem proprii vexet veſania amoris:
Attamen eſt, quo te credam ſuperaſſe teipſum
Virtuteſq; tuas, animumq; mihi altius intrat
Iudicii norma illa tui, & prudentia, qua te
Ritè in Patronis vſum video eſſe legendis,
Dum tua conſecras noſtris Semonibus aui,
Et quo quiſq; DEVM *ſolio vicinior orbi eſt,*
Quoq; animus regni propius virtutibus æquat,
Tanto illum ſcriptis facundus præco celebras
Amplius, & famæ ſublimi in limine ſiſtis.
Prima ſalutauit FRIDRICVM *cura creandis*
Præfectum Imperii Ducibus, regniq; Monarchis,
Quē Nicrus dominū agnoſcit Rhenuſq; bicornis,

Et

Et Myrtilleto reſidentia numina Muſæ.
Qui plures vnâ Sapientes nutrit in aulâ,
Quam poterant olim toto numerarier orbe.
Quem prius æterno mactatum carmine terris,
Chriſtiadū Phœbus, diuina Camœna MELISSI,
Pinxerat, & viuum radio deſcripſerat apto.
Huic aliud ſucceſſit opus, miſſumq́ʒ NAVARRO *eſt*
ERRICO, *regnum ſibi qui Virtute ſtupendâ*
Gallorum peperit, diuo illo Cæſare maior,
Maior Alexandro; cuius victricibus armis
Impietas domita eſt, & mille exempla dolorum,
Exitio auctorum exſtinctis furialibus auſis.
Quando illi grates gladiis erepta ſuorum,
Inſtitit heu miſeras mundi perſoluere ritu
Patria, preſſa diu multumq́ʒ intercute morbo.
Cuius Virtutem atqʒ animos non ceperit Orbis,
Ne duo regna putes! armis quacunqʒ parauit,
Ingenio leuiora Viri, virtute minora
Crede, nec errabis. magno ſic ille Quiriti
Acta per æquavos confundit nomina faſtos,
Hiſtoricos laſſare aliquot quibus ille valeret.
Tertius inde labor dias prodiuit in auras,
Ingenii felicis opus, digniſſima cedro
Pagina, miſſa Caledoniæ feliciter oræ
Sceptrigero, per quem Scoticus ſe miſcuit Anglis
Sanguis & vnita coierunt fœdere terræ;
Et Scotus atqʒ Anglus nullo diſcrimine viuunt.
Cui lemniſcata nunc ſurgit adorea Fama
Perfidiam ob victā, & diri Cacodæmonis aſtum;
Tot retro ſeclis, quo non ſceleratior alter
Audiri potuit, nec item voluentibus annis
Audiri deinceps poterit; quo debuit ipſe

Rex cum Regina, cumq́; his quoq́; regius hæres,
Angliaci Proceres, venerabilis ordo Senatus,
Puluere ſuccenſo violenter in aera mitti.
Hoc ſcelus euicit Pietas, Iouamq́; coegit
Tartareæ truculenta adeò furioſaq́; turbæ
Conſilia obruere, & manifeſtæ prodere luci
Loiolitarum notas tot caſibus artes,
Sed non admiſſas ad mentem, errore pudendo,
More hominũ, in mediis qui fingunt tuta periclis,
Securiq́; ſolent in longam ſtertere noctem.
Hiſce Diis (nec enim mortales dicier æquũ eſt,
Qui Virtute DEOS *factisq́; illuſtribus æquant)*
Nunc quartum iungis, ſolum illis ordine quartũ,
Non etiam meritis, geſtarum aut pondere rerum:
MAVRICIVM *Haſſorum ſolem, Imperiiq́; co-*
lumnam
Romulei, metã illam Hominũ, metamq́; Deorum.
O factum belle! numeros ſic perficis omnes,
Iudicii & recto producis tramite curſum.
Nempè hic maiorum celſos inſtaurat honores,
Ardenti & purum ſubuectus in aera gyro
Aequat Auum Patremq́;, viãq́; adfectat Olympo.
Exemplo ingentis Patris nunc fulgida cæli
Metitur ſpatia, aut radio diſcriminat Orbem
Peruolitatq́; poli, Naturæ Pegaſus, aſtra.
Nunc mentem exercet diuinæ particulam auræ
Contendens veterum ſubtilia ſcita Sophorum,
Iudiciiq́; ſui librans ea pondera lance.
Nunc Herois Aui virtute incenſus ad arma
Prouolat, & medios fertur generoſus in hoſtes,
Finibus imperii longeq́; repellit Iberos,
Atq́; ſuis peſtem properat defendere terris,
Exigit & meritas inimico à ſanguine pœnas.

Nunc animum anguſtis diſcit ſubmittere curis.
Et Patriam hanc noſtram miſerè in ſua damna ruentem
Fortunaq́ꝫ iocum factam retinere laborat,
Conſiliisq́ꝫ ſtudet motos componere fluctus.
Scilicet erectus vigor alti pectoris, ardorq́ꝫ
In patriam id ſuadet, nec vis Heroa repugnat;
Sed dextram gaudet ſubmittere caſibus acrem.
Et releuare ſolo ac triſtem prohibere ruinam.
Hic illi eſt animus, quem tu teſtaris ad omnes,
SCIPIO, *qui præſens hauſiſti ex ore loquentis,*
Atq; alia excelſæ didiciſti oracula mentis,
Nunc nuper, quando ille Heros per Muſica Tempe
Iuit, & hanc vrbem illuſtri ſplendore beauit:
Quando pependiſti cum aliis dicentis ab ore;
Haud ſecus, ac ſi lapſa polo, quo fugerat exſul,
Alloquiis Aſtræa ſuis dignata fuiſſet.
Huic tali, aut potius tua quando his talibus offers,
ALBRICO *cum Fratre tuo, quo ſe Anglia iactat,*
Cui THEMIS *alma omnem dudum reſcripſit honorem,*
Quemq́ꝫ ſuum laudat Prudentia Ciuica lumen:
Vos equidem eripitis tenebris Acherontis & umbris,
Et caput exeritis cælo, atqꝫ aſſueſcere Famæ
Diſcitis illuſtri, & claris vos addere turmis.
Sanè horum (modo quos dixi) tibi nemo fauebit,
Ni ſimul his faueat Muſis, queis vita decusq́ꝫ es
Cum paucis aliis, atqꝫ vt ſis iugiter, opto.

Michael Piccartus Fr.
Profeſſor Noricus.

Index Capitvm in lib. de bonis Maternis.

I	De cauſſis patriæ poteſtatis.	fol. 1
II	De partibus patriæ poteſtatis.	7
III	De bonis paternis.	15
IV	De bonis liberorum.	18
V	Quo iure & quid tribuatur parentibus in bonis liberorum aduentitiis.	22
VI	Qualis ſit vſusfructus aduentitiorum.	27
VII	Modi conſtituendi ac finiendi vſuſfructus.	30
VIII	De ſatiſdatione, & hypotheca.	41
IX	De quaſi vſufructu in rebus aduentitiis.	44
X	De poſſeſſione.	48
XI	De inuentario, & rationibus reddendis.	52
XII	Si pater male aduentitia adminiſtrauerit, an remoueri poſſit.	56
XIII	De alienatione & aliis quæ patri interdicuntur.	62
XIV	De alienatione vſusfructus.	66
XV	De tranſactione, compromiſſo, & fideicommiſſo.	73
XVI	De ſeruitutis impoſitione.	78
XVII	De Emphyteuſi & locatione.	84
XVIII	De vi interdictionis.	87
XIX	Exceptiones ſiue caſus quibus permiſſa eſt alienatio.	96
XX	De actionibus.	106
XXI	De hereditate adeunda, vel repudianda.	113
XXII	De legatis & fideicommiſſis & mortis cauſſa donationibus.	139
XXIII	De contractibus & pactis filiifamilias.	144
XXIV	De in integrum reſtitutionibus.	160

XXV De

XXV De iure filiorumfamilias. 162
XXVI De actionibus filiorumfamilias. 163
XXVII An filiusfamilias poſſit diſponere de rebus aduentitiis. 181
XXVIII Dos & donatio propter nuptias an de bonis maternis danda ſit. 192
XXIX An filiusfamilias poſſidere & vſucapere poſſit. 202
XXX An contra filiumfamilias currat præſcriptio. 205
XXXI Ad *L. III. & L. penult. C. Qui bon. ced. poſſ.* 215

Index Capitvm in lib. de secvndis Nvptiis.

I	De ſecundis nuptiis.	fol. 1
II	Si vir vel mulier ad ſecundas nuptias non tranſeat liberis extantibus.	3
III	Si plura matrimonia fuerint.	12
IV	De diuortio & alimentis liberorum.	19
V	De vidua inope.	23
VI	Si maritum occidiſſe, vel adulterium commiſiſſe dicatur.	31
VII	Si vidua peccauerit.	41
VIII	De ſecundis nuptiis, ſine culpa contractis.	47
IX	Si liberi extent.	52
X	Si donatio propter nuptias in rebus immobilibus conſiſtat.	56
XI	De mancipiis & annonis ciuilibus & annuis reditibus & ſimilibus.	61
XII	Si res mobiles ſint, vel mixtæ cum immobilibus.	64
XIII	De ſucceſſione, ſi aliquis ex liberis prioris matrimonii decedat.	75
XIV	De hypotheca liberorum.	91
XV	De vſufructu vxori relicto vel dato ad *L. vn. & Auth. C. ſi ſec. nupſ.*	95
XVI	Ad *L. hac edictali.*	104
XVII	De ingratis.	107
XVIII	De ea quæ intra tempus luctus nubit.	123
XIX	De matre tutrice iterum nubente.	144
XX	De indicta viduitate.	151

Diſputatio de æſtimatione rerum in dotem datarum. 159

SCIPIO-

SCIPIONIS GENTILIS IVRISCONS.

De Bonis maternis & aduentitiis, Liber.

CAPVT PRIMVM.

De cauſsis patriæ poteſtatis.

VSVSFRVCTVS, & legitima administratio, pleniſſimaque poteſtas, quæ parentes in bonis maternis & aduentitiis liberorum habent, tota pendent à patria poteſtate. Quæ maximè propria habemus, hæc tria ſunt, in nobis quidem poſita; Vita ſiue corpus, Libertas & Exiſtimatio; vnum extra nos, Bona. Horum omnium eſt author Deus, ſecundum Deum parentes. Qua de re inſignis eſt locus Simplicii in commentario ad Epictetum; *Veteres*, inquit, *Romanorum leges, dum excellentia naturæ conſiderata, & laboribus, quos filiorum cauſſâ paren-*

tes capiunt;tum etiam eo conſilio, vt liberos omnino patriæ poteſtati ſubiicerent, fretæ naturali parentum erga filios pietate, & vendendi illos, ſi vellent, poteſtatem dedêre parentibus, & occidendi. His verò antiquiores leges adeo veneratæ ſunt parentes, vt Deos eos appellare non dubitauerint. ſed quamuis ob diuinæ maieſtatis reuerentiam deſitum ſit patres Deos appellari; fratres tamen parentum Græci adhuc θείους *appellant, vt demonſtrent, quam rationem parentum aduerſus liberos eſſe exiſtimarent.* hæc Simplicius. Quo in loco notandæ ſunt illæ rationes patriæ poteſtatis inducendę, excellentiæ naturæ, deinde labores parentum; denique eorundem pietas. quarum duæ poſteriores æque in matre valēt, atque in patre. nam labor educandi communis eſt, cui ſtudio vt vacarent parentes, ideo Paulus interdictas donationes inter virum & vxorem exiſtimauit. *leg. 2. D. de donat. inter vir. & vx.* Pietas etiam & adfectus æqualis eſt in matre, quamuis dicatur nullus adfectus eſſe, qui vincat paternum. *l. vlt. C. de curat. furioſ.* de extranei adfectu nominatim ibi dicitur, non de matre, cuius adfectus ſi non vincit paternum, æquat certè. Similiter à filiis æqualis pietas matri debetur, ac patri, licet inæqualis ſit eorum poteſtas, vt ait *l. 4. D. de curator. furioſ.* Hinc quæ de patre conſtituta ſunt, ratione pietatis expreſſa, eadem ſolent iure extendi ad matrem, vt *l. cum auus. D. de condition. & demonſtration.* & tradit Philippus Decius *conſil. 416. num. 3.*

Prima

Prima autem illa ratio de naturæ excellentia propria eſt patris; intelligo generationem. nam matris proprie conceptio eſt, patris generatio. *l. lege. C. de legit. hered. cum ſimilib.* in quo legislatores noſtri ſecuti ſunt non ſolum auctores ſuos Stoicos, vt Cuiacius alicubi ſcribit, ſed etiam Ariſtotelem, rectius in eo ſentientes, quam Galenus & alii Medici. hinc Diuus Ambroſius in libello aduerſus fœneratores; *patrem* ait, *vendere liberos auctoritate generationis, non licet voce pietatis.* quæ tamen poteſtas non eſt matri conceſſa, vt infra dicetur. Ex eadem ſententia naturæ ducitur & illa ratio, pro patria poteſtate, quod virorum conſilium ſit firmum & conſtans, at infirmum mulierum; vnde eas perpetuo in tutela eſſe olim voluerunt, vel patris, vel mariti, vel propinquorum. ex quo eſt etiam, quod mulieres XXV. annis minores debeant nuptias contrahere adhibito cognatorum conſilio. *l. in coniunctione. C. de nupt.* item quod omnium fere populorum præſertim in Germania conſuetudine mulieribus etiam maioribus erepta ſit immobilia alienandi facultas, ſine agnatorum conſilio, & auctoritate. Quæ cum ita ſint, mirum non eſt, ſi fœminis non eſt conceſſum ius patriæ poteſtatis in liberos. eademque ratio eſt, cur adoptare fœminæ ſibi liberos non poſſint;

niſi ex lege Diocletiani, ad ſolatium amiſſorum liberorum, & ita quidē, non vt acquiratur adoptatrici patria poteſtas, ſed vt ius liberorū acquiratur adoptato. *l. 5. C. de adoption.* Quā legem Diocletiani duabus, ſed ineptiſſimis rationibus Imperator Leo Nou. VII. reprehendit, concedens generaliter fœminis filios adoptare. malè etiam Gellius lib. V. cap. XIX. ideo non poſſe fœminas adoptare ſcribit, quia cum fœminis non eſſet communio comitiorum. nam hæc ratio vetus eſt, & valebat in arrogationibus tantum. ſed poſtea non apud populum, & in comitiis arrogationes, ſed reſcripto Principis fieri cœpere. *l. 2. & paſſ. D. de adoption.* Ex ſupradictis etiam illud conſtat, ius patriæ poteſtatis eſſe à natura, quod etiam ſcriptum eſt in *leg. pronuntiatio. §. filiæ. D. de verb. ſig. l. 2. D. de iuſt. & iur.* & eleganter Plinius in Paneg. ad Traianum; *Vim naturæ, quæ liberos ſemper in ditione parentum iuſſit eſſe.* Neque obſtant vel leges, vel rationes, quæ in contrarium adduci ſolent, aut poſſunt, vt *l. 3. D. de his qui ſunt ſui, vel alien. iur. & Inſt. de pat. poteſt.* quibus locis diſerte ſcriptum eſt, iuris ciuilis, ſiue Romanorum ciuiū, propriam eſſe patriam poteſtatem. Rationes autem illę ſunt, primum quod patria poteſtas tolli poſſit, neque ſolum pœna, puta ſi pater deportatus ſit. *l. 9. C. de ſentent. paſſ.* ſed etiam dignitate, ſi filius Epiſcopus, vel patricius, vel magiſter militum ſit factus. Nou. LXXXI. & communi ac frequentiſſimo modo, per emancipationem ſcilicet. Deinde quia naturales liberi non ſunt

in poteſtate parentum, neque ſequuntur familiam patris, ſed matris. denique naturalis obligatio naſcitūr inter patrem, & filium. *leg. frater a fratre. D. de condict. indeb.* quæ non naſceretur, ſi filii natura eſſent in poteſtate patris; ſicut non naſcitur obligatio ciuilis, quia iuris ciuilis ſit patria poteſtas. Sed reſpondeo, quod pœnâ tollatur patria poteſtas, mirum non eſſe, cum tollatur morte naturali, & deportatio mors eſt quædam ciuilis. *leg. actione, §. publicatione. D. pro ſoc.* & deportatus fit peregrinus, qualis habere in poteſtate ciuē Romanum non poteſt, vt nec ciuis Romanus ab eo; imò nec inter ipſos peregrinos iura ſunt poteſtatis, qualia apud Romanos. Atque hinc eſt, quod Plinius lib. X. Epiſt. Traianum Imp. rogat, vt cuidam permittat, quo ſit in poteſtate parentis ſui. de dignitate autem patriciatus, &c. qua ſoluitur patria poteſtas, id ſe magnis rationibus conſtituiſſe Iuſtinianus demonſtrat; vel ſane ſatius feciſſet, ſi & hic patriam poteſtatem illibatam retinuiſſet; cuius de imminutione præſertim hodiernis morib. grauiſſimè cōqueritur Bodinus de Repub. I. cap. IV. Sicut & de ſeruitute inter Chriſtianos ſublata Busbequius, Ferdinandi Cæſaris legatus, in Epiſtolis itineris Conſtantinopolitani. De emancipatione autem reſpondeo, patriæ poteſtatis ius datum eſſe à natura, ſed datum tamen patri. Ergo æquum eſt licere patri ſuo iure non vti, iuxta Regulam *leg. ſi quis in conſcribendo. C. de pact.* Poſtremò, ꝙ de iure naturali dicitur à Iuſtiniano, & ab aliis,

id eſſe immutabile, id pertinet non ad ea, quæ comparata ad vtilitates hominum; hæc enim iure ciuili immutantur, pro cuiuſque populi ratione & commodo; ſed ad ea, quæ ſolam rationem honeſtatis & iuſtitię habẽt; cuiuſmodi eſt reuerentia & pietas; hæc nullo iure ciuili ſolui poteſt. ideoque etiam emancipatus non poteſt patrem ſuũ in ius vocare ſine venia, ſicut nec filius naturalis, quia omnibus parentibus eſt vna reuerẽtia ſeruanda, vt præclare ait *l.6 parentes. D.de in ius vocand.* qua de re & ſententia illa cum Iuſtiniani, tum Ariſtotelis optime præ cæteris diſſerit Bolognetus in tractatu de iure & æquitate præcipue in cap 18. & cap. 24. & cap. 26. Ad ſecundam rationem de liberis naturalibus, dicondũ eſt, non eſſe eos proprie liberos, quorum nec eſt certus pater, nec is quem demonſtrare liceat, filius enim eſt, quem nuptiæ demonſtrant. *l. filius. D. de ſtatu homin.* Item matrimonium eſt ipſum à natura. *Inſt. de iure naturali, gen.* Deinde nihil à iure naturali profectum valet, niſi idem ſit & iure ciuili comprobatum; non probatur autem alia coniunctio, quam matrimonium. Ad tertiam rationem de Obligatione reſpondeo, quod inter patrem & filiũ conſtituatur naturalis obligatio, id nihil impedit, quo minus filius ſit in poteſtate patris etiã ipſa natura; nam & homines omnes ſumus in poteſtate Dei; qui tamen hominib. obligatur ex promiſſis ſuis & fœderibus. Et ſicut Deus obligatur quia vult, ita pater non aliter obligatur filio, quam quia vult, & patitur dum enim ei concedit habere peculium,

ſium, ex eo etiam apparet velle ei obligari, ſi quid cum eo contrahat. Sed de hoc alias plura *ad l. frater à fratre. D. de condi. indeb.* Poſtremò, non obſtant loca illa iuris, in quibus patria poteſtas Romanorum propria eſſe dicitur, id enim dicitur propter formam quandam, & regulas ei adiectas à iure Romano, & idem Iuſtinianus dixit, *talem qualem*, non autem, *tantam quantam.* nam & aliæ gentes tantam poteſtatem in liberos habent, & maiorem etiam, quam Romani, in quo ſane ineptus eſt Montecatinus in politica Ariſtotelis. q ait Romanorũ patriam poteſtatem Tyrannicam eſſe, & plus q̃ Tyrannicã, quod Ariſtoteles rectius de Perſica dixit lib. 8. cap. 10. qua de re poſtea. Ius naturæ eſt quiddam ſimplex & generale, ſed iure ciuili diſtinguitur & regulis, & definitionibus, cum ad ſpecies quaſdam ſingulares deſcendat. Concludendum eſt igitur, patriam poteſtatem proprie eſſe à natura & penes patrem ſolum, non etiam penes matrem, idque etiam naturaliter fieri, vt initio docui, & teſtatur clare Ariſtoteles d. lib. 8. c. 20. in illis verbis, *Mas natura aptior eſt ad imperãdum mulieri, ideoq; viri coniugibus natura imperant.* De Regia manu parentum, multa DD. ad *l. Frater. D. de cond. ind.*

CAPVT II.

De partibus patriæ poteſtatis.

PRimum erat, eorum quæ nos propria ha-

bere diximus, vita, atque corpus. in hoc etiam ius patriæ poteſtatis ſummum eſt ex Lege regia Romuli, quæ relata eſt in Leges XII. tabb. teſte Dionyſio, lib. 2. Antiquitatum. qua poteſtate etiam multi olim vſi ſunt, ſed tamen non paſſim vel quauis de cauſſa. nam & domeſticum iudicium cognatorum, & cauſæ cognitio adhibenda fuit, vt cum alii, tum Liuius de Caſſio ſcribit lib. 2. Manſitque ea poteſtas ad extrema etiam Reipubl. tempora, vt apparet ex Salluſtio lib. de coniuratione Catilinæ, vbi Fuluius filium ex fuga retractum necauit. quod ſi ſine iuſta, & graui cauſa hoc pater feciſſet, nunquã fuiſſet, vt opinor, impune. Hadrianus certe Imp. patrem qui filiũ adulterum nouercæ in venatione occiderat, in inſulã deportauit; quod latronis magis more, quã patris iure eum interfeciſſet, vt ait *l. Diuus. D. ad L. Pompe. de parricid.* additque, nam patria poteſtas in pietate, non in atrocitate debet conſiſtere. Sed hæc necandi poteſtas patribus poſtea adempta eſt. *l. in ſuis. D. de liber. & poſthum.* ſic tamen, vt aliquid iuris in eo quoque ſemper retinuerint, nam Diuus Auguſtus patri filium de parricidio domi ſuæ iudicanti, tanquam conſiliarius aſſedit, eiuſque conſilio pater filium relegauit tantum, cum mortem eſſet meritus, teſte Seneca lib. de Clementia c. 5. qui ait in illa cognitione meminiſſe Auguſtum, cuinam conſilium daret, ideoque leuiorem pœnam ei placuiſſe: quod valde congruit cum iure noſtro. *l. 3. C. de patria poteſtate.* in qua ſcriptum eſt, magi-

ſtratum

ſtratũ de crimine filii à patre delati cognoſcentem, iudicare debere ex voluntate & arbitrio patris, in eo ſcilicet leuius puniendo. & ratio eſt, quã Diuus Pius ita expreſſit, ne videlicet pater filium ſuũ obtuliſſe ad ſupplicium videatur. *l. milites agrum. §. deſertores. D. de re militar.* ex qua lege Dd. noſtri communiter tradunt, in omni crimine, ſi filium delinquentem pater magiſtratui offerat; debere ei pœnam ordinariam minui. nec obſtat quod *dictus §. deſertores.* loquatur in ſolo crimine deſertæ militiæ, *& d. l. 3.* in filio delinquente aduerſus patrem. nam ratio huius mitigationis eſt generalis, vt iam dixi; & in d. §. ſcriptum eſt, idem ſequendũ etiam eſſe in cæteris, quod debuit animaduertere Arius Pinelllus, ne à recepta Dd. ſententia recederet, in *l. 1. par. 1. C. de bonis matern.* quod autem attinet ad *l. 2. D. ad L. Cornel. de Sicar.* inauditum filium à patre occidi non poſſe, id non eo pertinet, quaſi auditum poſſit occidere, vt ineptè Budæus argumentatur, ſed vt ſtatim in ea lege ſequitur, quia debet pater ad magiſtratum filium deferre, vel accuſare. Vnus eſt caſus, quo patri hodieque per leges liceat occidere filiam, non etiam filium, ſi videlicet filiam cum adultero deprehenderit in ipſo facto, poteſt enim vtrumque occidere. *l. nec in ea. D. ad L. Iuliam de adulter.* vt & marito licet; quam conſuetudinem hodieque in Germania & Italia obtinere, Duarenus teſtatur in *l. ſi ab hoſtibus. D. ſolut. matrim.* Dices, ſi lege XII. tabb. & Romuli hæc poteſtas permiſſa fuerit in omnes li-

beros,quid L. Iulia opus fuit. Reſpondeo, ex hoc ipſo confirmari quod ante dixi non ex omnibus cauſis licuiſſe filios necari, ideoque vt in hac cauſa adulterii liceret, L. Iulia opus fuit. vnde refutatur idem Montecatinus dicto loco,qui ſine vlla prorſus cauſa veteres illos Romanos poteſtatem occidendi & ſæuiendi in liberos, patribus dediſſe ait. Imò vero hec coercere quidem acrius ſine iuſta cauſa licuit,vt declarat exemplum Manlii à patre rus relegati: nec minus ineptum eſt,quod idem ſcribit licuiſſe Romanis legibus ſine vlla prorſus cauſa filios exheredare. quo igitur illa iudicia centumuira,lia in quibus de nulla re frequentius, quam de cauſis exheredationum quærebatur? Illud poſtremò ridiculum eſt: ait enim, hoc ius patriæ poteſtatis Romanum iniquum, nec verum eſſe, ex eo apparere ex frequenti inquam correctione, ac mutatione. ſed patria poteſtas nunquã iure Romano ſublata eſt, licet quibuſdam in rebus eius vis temperata fuerit,vel aliter explicata: cuiuſmodi mutationes in omni iure ciuili accidere neceſſe eſt, pro locorum & temporum ratione, pro neceſſitatibus & vtilitatibus vniuſcuiuſque populi, vt præclariſſime explicat Sextus Cecilius apud Gellium lib, XX. contra Fauorinum philoſophum,idq; Ariſtoteles ſæpiſſime docet, atque explicat idem Bolognetus. Alterum erat Libertas, quam patri eripere liberis ex eadem Lege Romuli licuit, nimirum eos vendendo, & quidem ter, cum tamen ſeruus ſemel venditus,ſi liber fiat,ſemper poſtea maneat liber,ideoq;

eoq; deteriorem filiorũ conditionẽ, quam ſeruorum ait Dionyſius. ſed contrarium affirmat Imp. Conſtantinus in *l.vlt. C.de patr.poteſt.* vbi ait,in tãtum fauiſſe Maiores libertati, vt patribus quib.ius vitę & necis in liberos permiſsũ erat,tamen non liceret iis libertatẽ eripere. Quidam hanc *L.vlt.*,intelligendam eſſe aiũt, de ingenuitate; quia filius manumiſſus non fiat libertinæ conditionis,vt fit ſeruus manumiſſus; ſed manet ſemper ingenuus,vt natus eſt, vt eſt apud Paulum *tit.* 1. *lib.* 1. alii dicunt illã venditionẽ L. Romuli conceſſam, non fuiſſe veram, ſed imaginariã, ad manumittendum ſcilicet filium;quod falſum: nam Dionyſius ait, licuiſſe patribus pecuniam ex terna illa venditione cõficere, vt hodie ex quarta apud Moſcowitas, teſte Sigiſmundo libero Barone, quem ad hoc citat etiã Cuiacius, qui *d.l.vlt.* ſic exponit, quaſi L.antiqua,quę venditionem filiorum permittebat,poſtea interpretatione mollita fuerit, vt ſcilicet non vera ſed imaginaria vẽditione filius è patris poteſtate exiret,eoq; L.XII.tabb.eã poteſtatẽ cõtuliſſe videtur, tantũ ad beneficiũ emancipationis;cum ait, *Si pater filium ter venunduit,liber à patre eſto.* ſed huic interpretationi obſtat *l.2.C.de patrib.qui filios diſtra.* & ꝙ Cicero lib.I.de Oratore ait, non eſſe poſtliminium ei quem pater vendiderit. Ego *l. vlt.* ſic interpretor, nõ licere patri eripere filio libertatẽ,etiamſi liceret eũ vendere.I. Quia adiicere venditioni eam legẽ nõ potuit; nè vnquam filius ad libertatem perueniret, quam legẽ poteſt dominus adiicere venditioni ſerui.*l ſi venditor.D.de ſeru. exportand.* II. Deinde quia eę-

iam venditus filius non fit ſeruus verè, licet ſit in quadam ſeruitute apud emptorem, plurimum autem hæc in iure ciuili differunt, ſeruum eſſe & in ſeruitute eſſe. nam & liber homo poteſt in ſeruitute eſſe, vt Addicti teſte Quintiliano. ideoque ab emptore manumiſſus non fit libertus, ſed manet ingenuus. Poſtea vna tantum cauſſa recepta eſt, ob quam filium vendere licet, nimirum extremæ neceſſitatis, & victus gratia. *d. l. 2. C. de patribus qui filios diſtrax.* Sed victus filii, non patris exponũt doctiſſimi iidem interpretes. ſed hoc ineptum eſt, vt apparet expendenti verba *d. l. vt & illud, quod ibi legunt ſanguinolentos*, quaſi permittatur tantum recens natos vendere. quis enim tales emeret? ſed vera lectio eſt, *ſanguinolentus*, id eſt, pater qui ſanguinem ſuum vendit, dum filium vendit. quod ſi infantes tantum vendi voluiſſet, vtique id expreſſiſſet, neq; ita loquutus eſſet, ſi quis vendiderit, ſanguinolentos vendi tantum permittimus. Præterea eſt alius caſus, in quo liceat filios vendere, etiam poſt Conſtantini conſtitut. cauſſa debiti fiſcalis. ſic enim ſcribit Diuus Hieronymus in vita Pannutii, *Mihi eſt maritus, qui debiti fiſcalis gratia ſæpe ſuſpenſus eſt, & flagellatus, ac pœnis omnibus cruciatus, ſeruatur in carcere; tres autem nobis filii fuerunt, qui pro eiuſdem debiti neceſſitate diſtracti ſunt.* De oppignoratione videamus, & certum eſt non licere patribus filios pignori dare, cum ſint homines liberi. *l. ob æs. C. de obligat. & action. l. 1. C. de patrib. qui filios diſtrax.* imò creditor relegatur, qui ſciens eos

pignori

pignori acceperit *l. vlt. D. quæ res pign.* & amittit omne ius crediti *Nou.* 134. Sed quæritur an ſaltem in eodem caſu famis liceat oppignorare, ſicut licet vendere? & multi, tum veteres tum noui interpretes, licere hoc caſu dicunt, argumēto à maiore ad minus, item alio ducto, ex illa Regula Iuris quod emptionem venditionem recipit, etiam pignorationem recipere poteſt. *l. ſed & quod.* §. 1. *D. de pignorib.* Sed falluntur; nam ea Regula loquitur de rebus quæ ſunt in commercio, nec argumentum à maiori hic valet, vtpote in reb. nimis odioſis, vt rectiſſime docet Alciatus lib. 2. de Ver. ſign. ſicut in cauſis meri Imperii nihil valet, puta ꝓconſuli licet ad mortē aliquē dānare. Ergo licebit & deportare. falſum enim hoc eſt, quia deportādi ius ſpecialiter ei datū non eſt, vt omnia dari debent, quæ ſunt meri imperii. *l.* 1. *D. de eo cui mandat. l.* 1. *D. de officio præf. vrb.* & plurib. docui in lib. III. de Iuriſdictione. Deinde ſæpe coercetur oppignoratio, non venditio, vt L. Iulia marito licet fundum dotalem alienare conſentiente vxore, ſed oppignorare non licet etiam conſentiente vxore; quia facilius mulier inducitur ad oppignorandum, quam ad alienādum, vt pulchre exponit Theoph. in princip. Inſt. quibus alienare non licet. Poſtremum erat, exiſtimatio, quam eſſe in ditione parentum noſtrorum diximus, tum quia pater impune iniuria vel contumeliā filium afficit; tum quia ab aliis illatas filio iniurias ſolus ipſe iudicio perſequi poteſt, vel eas etiam inuito

filio remittere, *l. ſed etſi vnius. §. plane. D. de iniur.* qua de re plura infra dicam in loco de Actionibus, quas pater nomine filii exercet. Ex his omnibus apparet, filiosfam. (licet à Plinio lib. VIII. Epiſt. ad Ruffin. mancipia vocentur) non fuiſſe ſeruorum loco habitos, cum ſeruos & liceat vendere, & oppignorare ex arbitrio, aliæque & multæ graues differentiæ, inter ſeruos & filiosfam. ſint cum ſeruus plane nihil ſit iure ciuili, & loco pecudũ habeatur iure prætorio. *l. 2. D. ad L. Aquil. l. ſeruus. D. de Reg. iur.* Item filiusfam. in omnibus rebus habetur pro libero, ideoque ex contractibus obligatur omnibus, excepto mutuo, & voto. *l. ſi filiusfam. D. de oblig. & action. l. 2. D. de pollicit.* Item filiusfamilias omnia munera, omnesque honores capere poteſt, & ſi magiſtratus ſit, etiam in patrem ſuum habet ſummum imperium. *l. ille. §. vlt. & leg. ſeqq. D. ad Senatuſconſultum Trebell.* in publicis enim non ſequitur ius patriæ poteſtatis, vel vt ad hanc rem Valerius lib. II. cap. I. loquitur publica inſtituta potiora ſunt priuata pietate. Poſtremo quod valde notandum eſt, adeo filios diſtingui à ſeruis voluerunt, vt nec flagellis liceret filium cædere, quod ſerui flagellis cædi ſolerent; eamque ob cauſam pater qui filium flagellis ceciderat, lapidibus obrutus ſit à populo, teſte eodem Valerio. Neque illud prætermittendum eſt, quod pater filium manumittens, non poteſt libertatis cauſa ei aliquid imponere, veluti operas, quia hoc nomen & nota ſeruorũ eſt qui manumittuntur, filii enim parentib. pietatem debere, non operas dicuntur.

cuntur.l.pen.D.ſi quis à parente man.l.vlt.D.de obſeq.& par.& patronis praſt.

CAPVT III.

De bonis paternis.

RES externæ, quas habemus, ſunt bona, in quæ etiam magna eſt parentum poteſtas; ſed hic duplex inſpectio occurrit, vna eſt de bonis patris, altera eſt de bonis filiifamilias. Bona patris eadẽ dicũtur eſſe & filii viuo patre. ſimul enim dicuntur eſſe domini, vnde filiifam. heredes ſui appellantur, quaſi bonorum ſuorũ heredes ac domini, non paternorũ. illud enim, *ſuus*, refertur ad ipſum filiũ, non ad patrẽ; cum dicitur ſuus heres, vt pulchre docet Hotomãnus lib. IX. cap. X. Paulus etiã appellat domeſticos heredes, aitque etiam eos viuo patre dominos eſſe. *l. in ſuis.D.de lib.& poſth.* vnde & particeps à Terentio dicitur in Eun. & Cicero Verrinã III. *Quibuſcũ*, inquit, *viui bona noſtra partimur*. neq; obſtat, quod duo ſimul, & in ſolidum domini eſſe eiusdẽ rei non poſſunt. *l. vt ſi certo.§.finali.D.cõmodat.* Nã pater, & filiꝰ vna perſona cenſentur eſſe, ob vinculũ patriæ poteſtatis, quo ſoluto, puta per emãcipationẽ, dicuntur ſeparari, ac diſtingui perſonæ; vt Theophilus ſcribit in *§.an ſeruo. Inſt.de legatis.* ſicut & manumiſſione duæ perſonæ conſtituuntur, quæ antea pro vna habebantur, id eſt,

domini, & ſerui. *l. Pamphilo. D. de option. legat.* Deinde, filii non proprie & vere domini ſunt viuo patre, ſed quodãmodo domini exiſtimantur, vt loquitur *d. l. in ſuis.* atque ita exiſtimari ad multas res vtile eſt, vt tum Iaſon, tum alii ad *d. l.* explicant; inprimis autem, vt mortuo patre continuetur in filios dominium paternorum bonorum, vt qui non tam patris hereditatem percipiant, quam liberam bonorum adminiſtrationem conſequantur. *d. l. in ſuis.* §. 2. *Inſt. de hered. qual.* §. 4. *Inſt. de hered. quæ ab inteſtat.* Imo, quod plus eſt, non ſolum dominiũ bonorum paternorum, ſed etiam ipſa poſſeſſio in filios continuatur morte patris, vtpote quæ dicatur retinere, non acquirere. *l. ſi patronus. D. de bonis libert.* Extranei autem heredes & dominium acquirunt, non aliter quam aditione vel pro herede geſtione, neque poſſeſſionẽ acquirunt, niſi naturali rerum hereditariarum apprehenſione. *l. cũ heredes. D. de acquir. poſſeſſ.* Tametſi non ignoro de poſſeſſione plerosque interpretes aliter ſentire, vt tradit Alexander in *d. l. cum heredes. & in d. l. in ſuis. &* Nicolaus Bellonus in ſupputationum lib. IV. cap. XV. Sed facile eſt illud eorum argumentum, quia inquiunt poſſeſſio eſt quiddam facti & extinguitur vna cum perſona patris, Ergo non poteſt à patre in filium ipſo iure continuare. futile, inquam, hoc eſt; neque enim poſſeſſionem patris continuari dicimus, ſed ipſius filii, qui eam habuit, etiam viuo patre, ſicut & dominium. Eadem ratione quod filii ſcilicet non acquirere ſed retinere dicantur bona paterna

d. l.

d.l.ſi patronus. & argumento *l.ſi is qui duo.D.de adim.leg.* filii non acquirere feudum ſed retinere mortuo patre dicuntur, ideoque ob delictum patris, magis feudo priuantur filii quam agnati, vt ſcribit Baldus in *cap.* 1. *ſi vaſallus feudo priuatus fuerit, cui applicari debeat.* Cum autem hæc ita ſint, tamen pater etiam habet poteſtatem ſummam in bonis ſuis aduerſus filium, qui ſimul dominus eſt; vtpote cum ea bona poſſit ei eripere per exheredationem. quid ni enim exheredare liceat, cum & occidere licuerit? vt ait idem Paulus *in d. l. in ſuis in fine.* Cæterum neque hic ſine iuſta, & graui cauſa licuit vnquam filium exheredare, cum etiam ipſa natura hereditas parentum filiis debeatur. *l. cum ratio. D. de bonis damnator.* Sed cauſæ iſtę olim erant incertæ, & nulla lege definitæ, quas poſtea definiuit, & ad certũ numerum, id eſt, XIV. redegit Imp. Iuſtinianus in *Nou.* 118. *vt cum de appellation.* §. *alind quoque capitulum.* Si autem ſine aliqua iuſta cauſa fili⁹ ſit exheredatus, exheredatio, adeoque totum paternum teſtamentum reſcinditur querela inofficioſi teſtamenti. atque ita etiam in bonis non eſt poteſtas patria Romanorum Tyrannica ſed regia & ciuilis, vt Ariſtoteles debere eſſe dicit. Imo filii exheredati multa tamẽ retinent, veluti iura cõſanguinitatis, & agnatiõis in tutelis, & hereditatib. agnatorũ. *l.* 1. §. *vlt. l.* 2. §. 1. *D. de ſuis & legitim. l. vlt. D. Vnde legit.* Itẽ libertos ſibi aſſignatos: itẽ lucra omnia nuptialia. *l.* 1. §. *vlt. l. hac edict. C. de ſec. nuptiis. & Nou.* 22. ſicut & lucrũ, ꝙ appellat̃ caſus militię, *Nou. XXXV. &*

Nou.LIII. Itẽ dotẽ ſibi à parente datã, vel liberis ſuis ab auo paterno, vel eorũ nomine parẽti; *l.dotẽ. D. de collat.bonor. l. 1. §. Celſus.l.13.D.de dote prælegat.l.vnica.§ videamus.C.de rei vxor. action.* Itẽ retinet filius iura ſepulchri hereditarii, licet heredis & filii ius nomẽq; amiſerit exheredatione *l.vel quod.§. liberis. D. de religioſ & ſumpt.fun.* quo & illud ptinet, ꝙ filii à patre exheredati, vel à matre p̃teriti, q̃ p̃teritio habeẽ pro exheredatione. §.1. *Inſt.de exheredation.liberor.* tamẽ parentes mortuos cogũtur lugere, vt heredes. *l. 9.§ ſi filium. D. de liberis & poſth.l. vlt. D.de his qui not.infam.* Deniq; exheredatio nõ tollit ius patriæ poteſtatis. ideoq; pater filio impuberi exheredato poteſt pupillariter ſubſtituere. *Inſt.de pupill.ſubſtitut.* Imo nec tollit q dẽ ius ſuitatis; vel certè nudũ nomẽ heredis ſui, cuius nudi nominis aliquot sũt & magni effect⁹, qua de re vidẽdus eſt Hotomã.in d.lib.9. Obſ. c.X.col.pẽ.& Iaſ.*ad.l.qui ſe patris.n.1.& aliq.ſeq.*

CAPVT IV.

De Bonis Liberorum.

DEinceps de bonis liberorũ cognoſcendũ eſt. Igitur olim quidẽ omnia patri pariter acquirebãtur p filios ſine vlla rerũ exceptione & diſtinctione; adeo quidẽ, vt ne momẽto vno in filiorũ pſona conſiſtere dicatur, ꝙ p eos acquiritur. *l.placet.D.de acq.her.Inſt.per quas perſ. nob.acq.* Sed Repub.ſub principũ poteſtatẽ redacta primũ ſeparari bona in caſtris acquiſita cœperũt, in quib. nullũ ius patri eſſe Principes voluerunt, adeo vt filiusfam. in his bonis dicatur

hoc plane eſſe paterfa. *l. 2. in fin. D. ad SC. Maced.* quare & de iis teſtari, & diſponere pro arbitrio ſuo poteſt. quod ſi teſtatus de iis nō fuerit, atq; ita deceſſerit, tū demū & in hoc ſolo reuiuiſcit quodammodo patria poteſtas. nā bona illa caſtrenſia pater accipit non iure hereditario, ſed iure peculii, id eſt, nō tanquam heres, & proximus agnatus filii, ſed tanq̄ pater. *l. 2. D. de Caſtr. pecul.* multū aūt refert vtrū dicamus. Nā ſi iure peculii occupat, tūc creditoribus filiifa. non tenetur vltra annū à morte filii *l. 1. & paſſ. D. quando act. pecul. eſt an.* item non tenetur in ſolidū, quā vires peculii ferant. nam neq; viuo filio in plus tenet̄. *l. frater a fratre. & Dd. ibi. D. de cond. ind. & paſſim titul. de pecul.* quorū vtrūque contra eſt, ſi hereditatis nomine ac iure pater ea bona caperet. nam & in ſolidū, & perpetuo teneretur. *l. pater qui caſtr. eſe. & ibi gloſſa & Bartolus notant. D. de caſtr. pecul.* Ad ſimilitudinē caſtrenſis peculii, idē poſtea priuilegiū datū eſt in iis bonis, quæ filiifa. opera forenſi ſibi acquirūt in militia ſcilicet togata, puta aduocādo. *l. ult. C de inoffi. teſt.* vnde & quaſi caſtrenſe peculiū nominātur. Idē deniq; ius quaſi caſtrēſis peculii ſimili ratione datū eſt clericis à Leone Imperatore. *l. ſacroſ. 24. & l. 50. vt lege l. C. de Ep. & Cler.* Qua ſimilitudine nimis abutuntur Interpretes, cū ea q̄ de veris & armatis militibus ſcripta ſunt in iure noſtro trahūt fere ad aduocatos & ad clericos, peruerſa diſciplina. exempli gratia priuilegiū militaris teſtamēti vel ſubſtitutionis itē priuilegiū *l. 2. C. de don. in. vi. & vx.* & alia multa. In peculio igit̄ ſunt iſti oēs pares,

Milites, Aduocati, & Clerici, in cæteris non item, niſi iure expreſſum reperiatur. Aliud peculii genus eſt, quod profectitium appellatur, quaſi à patre profectũ, vel è re patris, vel facto patris, vel contemplatione patris donatum & acquiſitum filio. *l. profectitia. D. de iur. doti. l. 2. §. 1. D. ſolut. matrim. l. 6. C. de collation. dot.* Atque hoc peculium in totum & pleniſſimum eſt patris, ideoque ab eo adimi filio poteſt pro arbitrio: & patre mortuo, tanquam cætera bona patris, in hereditate commiſcetur, & inter fratres diuiditur. *l. 4. l. certum. C. famil. Erciſc. l. filiæ. C. de Collation.* In his duobus generibus peculiorum nihil eſt immutatũ; ſed vt caſtrenſe vel quaſi caſtrenſe totum eſt filiifam. ſic profectitium totum eſt patris, vt iam dictum. Tertium genus eſt, quod aduentitium peculium appellatur, id eſt, id omne quod filiusfam. acquiſiuit quocunque modo, extra illas duas cauſas caſtrenſis & profectitii peculii. Vnde & aduentitiũ dicitur, quod hoc nomine ea quæ non domo & à patre, ſed aliunde & ab externis veniunt, ſignificari ſoleant, vt aduẽtitia & tranſmarina doctrina dicitur Græcorũ, Cicer. lib. I. de Oratore: Et Perſius, Satyra ſexta; *Poſtquã*, inquit, *ſapere vrbi cũ pipere & palmis venit, noſtrũ hoc maris expers.* vbi Interpres Cornutus, externã ſapientiã intelligere ait, quæ ad nos per mare. i. philoſophos græcos tranſiuit; atq; ita eruditiſſim⁹ Pædian⁹ in 3. Verrina, verbum Aduentitia ita exponit, *Quia*, inquit, *ab alieniore hereditas veniebat*; & ſimiliter veteres gloſſæ Latinogrecæ, *Aduentitiũ*, ξένον, ἐπεισακτόν

In

In hoc genere peculii multa poſteriores Imperatores mutauere, cum antea eodē iure aduentitia eſſent, quo profectitia, id eſt, in ſolidū patri acquirerentur. Sed priusquam eorū ius explicetur, admonēdi ſumus; quod vulgo parum animaduertitur, præter ſupra dicta bona, quæ peculii nomine cenſentur, habere filiosf. poſſe etiā res quæ in nullius peculii ius aut nomē cadant. Earum duo genera ſunt, pecunia paterna non peculio cōceſſa; & alicuius extranei. In pecunia paterna nihil planè habet filiusfam. cum multū habeat in peculio profectitio, puta adminiſtrationē, cuiꝰ videl. reſpectu poſſit cōtrahere, negotiari, ſoluere. *l. eius qui. D. de reb. cr.* ideoq; & patrimoniū eius quodammodo habeatur. *l. peculiū ex eo. D. de pecul. l. nō ſolū. D. de noxal.* tantum ei adempta eſt facultas donādi; quia donare eſt perdere, non adminiſtrare. *l. filiusfam. D. de donat.* pecuniam autem extranei poteſt habere filiusfam. puta, ex mutuo, vel ex depoſito, vel ex cauſa mandati, &c. In hac pecunia etiam nihil iuris habet; ſed is cuius illa eſt; niſi quod filiusfam. vt & alius quilibet, talem pecuniam alteri mutuo dando, quamuis initio mutuum non conſiſtat, cum dominium in accipientem transferre is non poſſit, quod neceſſario requiritur in mutuo. *l. 2. § mutuum. D de reb. cred.* tamen ſi pecunia illa ab accipiente fuerit conſumpta, hæc cōſumptio faciet mutuum, ita vt accipiens teneatur ex mutuo *l. nam etſi fur. & l. ſi à furioſo. & l. non omnia. D eod. tit.* ita igitur præter hæc duo genera, omnia quæ filiifam. habent aliquo pecu-

lii genere vel nomine continentur. atque ita Suetonius in Tiberio cap. 15. vbi ait. Tiberium poſtquam ab Auguſto adoptatus fuiſſet, nihil pro patrefam. egiſſe, aut ius quod adoptione amiſerat, vlla ex parte retinuiſſe; *Neque donauit, inquit, neq; manum-ſit, nec hereditatem quidem vlli aut legata percepit vlla aliter, quam vt peculio referret accepta.*

CAPVT V.

Quo iure & quid tribuatur parentibus in bonis liberorum aduentitiis.

OMnium ferè ſententia eſt, teſte præter alios Nicolao Bellono lib. 4. ſupput. cap. 5. Conſtantinum Imperatorem primum hoc ius introduxiſſe, vt bona materna ſepararentur à bonis profectitiis relicto in maternis patri dũtaxat vſufructu & cuſtodia atque adminiſtratione eorum, dominiũ penes filiũ remaneret. *l. 1. C. de bon. mat.* Quod ius paulatim increuit, ita vt idem ſtatueretur in bonis materni generis, puta ab auo vel auia materna profectis. *l. 2. eod. tit.* donec poſteriores principes inprimis Iuſtinian⁹ generaliter ad omnia aduẽtitia porrexerunt. *l. cum oportet. C. de bonis quæ lib.* Qua de cauſa in Dig. nulla talis diſtinctio reperitur, cum eodem iure eſſent profectitia cuius aduẽtitia, id eſt, in ſolidum vtraque eſſent patris, vt bene Adcurſius docuit, quem Cuiac. & alii ſequũtur, & oſtendunt clare de ipſis bonis maternis heredes. *l. qui in alieno. § ſed & ſi legitima. l. ſi-*

l. Filiusfam. D. ad SC. Tertull. l. 3. §. verbum. D. de donat. int. vir. & vx. & l. 1. C. de liberis exhibend. ſed obſtare quædam videntur. I. Quod etiam Claudii temporibus bona quę filii teſtamento matris aut aui accepiſſent iis ſeparata & cōceſſa fuerint. teſte Tacito l. 13. Annal. vbi de Suilii damnatione agit. Sed id ex benignitate & miſericordia in eo caſu factum eſſe, non autem ex vllo iure; neque ſolū in bonis maternis, ſed etiā idem ius eſt in bonis profectitiis, atque adeo in peculio profectitio, quamuis hoc ſit patris, tamen patris bonis à fiſco occupatis hoc peculium relinquatur filiofam. ex miſericordia, ex conſtitut. Diui Claudii *l. 3. §. 2. in fin. D. de minor.* qualem textū, nullibi alibi in iure reperiri, Bartol⁹, & poſt eū Cuiaci⁹ ſcribit. magis obſtat *l. pen. D. ad SCtum Tertul.* propter quam maxime Alciatus à communi ſententia diſceſſit; clare enim ibi ſcriptum eſt, hereditatem matris ad filiumfamilias pertinere. Ergo patri non acquirebatur etiam ante Conſtantinum. Sed recte Socinus, & alii reſponderunt, aliud eſſe ius ſuccedendi, aliud ius acquiſitionis; filiusfam. ſuccedit quidem matri ſuæ, & ita loquitur *d. l. pen.* de ſucceſſione, inquam; ſed idem hereditatem acquirit patri *d. l. qui in aliena. D. de acqu ir. her.* Non minus obſtant aliæ ll. ab Alciato allegatæ, *vt l. 1. C. Qui admit. ad bon. poſs. & d. l. cū oportet. D. de bō. quæ li.* quib. rectiſsime ab aliis reſponsū eſt, vt videre licet apud Ari ī Pinel. *in l. 1. p. 1 C. de bon. mater. n. 30. C. arbitr. tut.* Sed quicquid ſit, quāuis vſusfructus ipſe patri nō quæreretur, vt in eius pſona

conſiſteret, commoda tamen & emolumenta eius patri adquiri verius eſt, & diſerte probatur, *d.l.vlt.* VI. Exceptio interdum eſt in lucro nuptiali; in quo ne erremus, ſciendum eſt, generaliter ius eſſe in his quoque lucris idẽ, quod in bonis maternis & reliquis aduentitiis, nimirum vt vſusfructus tantum patri adquiratur, veluti ſi filiusfam. dotem ab vxore ſua, vel vxor filiafam. donationem propter nuptias à marito lucrata ſit *.l.1.& ſeqq. C.de bon. quæ lib.* Idemque ius eſt etiam in aliis lucris ex matrimonio deſcendentibus, puta hereditatib⁹, legatis, aliiſque quę vir ab vxore vel vxor à viro adquirit vllo titulo. *dd. ll.* ꝙ ius etiam ad ſponſos porrectum eſt, vt ſi quid ſponſus ſponſę, vel hæc illi donauerit, eius rei vſumfructum pater habeat. *l.non ſine C. eod.* Sed hæc, quæ diximus, de dote ſolum aduentitia intelligenda ſunt. quod ſi dos vel donatio talis ſit profectitia, id eſt, ſi pater filio, vel filiæ talem dotem vel donationem dederit, tunc non eſt locus d. regulæ. Nã pater mariti ad ſe recipit pleno iure talem donationem, quam nurui ſuæ fecit, & vice verſa pater vxoris pleno iure recipit talem dotem, quam genero dedit; recipit, inquam, ſoluto matrimonio. *l.2. C. de bon. quæ lib. l. iure ſuccurſum. D. de iur. dot.* Sed proprie dici hæc excepto non poteſt, cũ non ſit de genere regulæ, quæ eſt de aduentitiis, exceptio iſta de profectitiis Propius exceptioni adcedit, & pro exceptione ab Irnerio atque Adcurſio ponitur *in Auth. Idem eſt. C. de bon. quæ lib.* Si parentes matrimonium ſoluerint ſine le-

legitima cauſſa: detrudũtur enim in monaſte-rium vt pœnitẽtiam faciant, cũ tertia bonorũ parte, reliquæ duę liberis adiudicantur ſic, vt vſumfructum in iis pater nullũ habeat, *d. Aut. & in Nou. vt null. iudic.* VII. Exceptio eſt in donatione Principis facta filiofam. nam ex ea pater eius nihil conſequitur, cum huius donationis ea conditio ſit, vt ſolus is fruatur, cui Princeps donauit. *l. cum multa. C. de bon. quæ lib.* Quare ſi duobus ſimul aliquã rem donauit, vno mortuo, ad ſocium eius ipſo iure redit pars eius non ad heredes defuncti, *l. vnic. C. ſi imper. liberalit.* ideoque neciuri adcreſcendi locus in ea eſſe dicitur, vt tradunt Iaſon, & alii ad *l. re cõiunct. D. de leg.* 1. De feudis quæritur, & puto vſumfructum patri quæri; cum iure Feudario nihil de hoc cautũ ſit. Nec obſtat quod ſermonis ſeruitutis eſſe non poſſit. neq; enim Feudum vſusfructus eſt. Et ſi eſſet, tamen vſusfructus filiofam aut ſeruo relictus patri & domino adquiritur, *d. l. vlt. C. de vſufr.* Nec in caſtrẽſi peculio feuda numerãda ſunt. Sed de hoc alibi accuratius. Horum vſusfructus patri non quęritur. VIII. Exceptio eſt, ſi pater noluerit filio conſentire, vt adeat hereditatem ipſi filio delatam; filius enim poteſt per ſe ipſe adire, ita vt pater huius hereditatis nec vſumfructum conſequatur, propter denegatum filio conſenſum, & vice verſa, ſi filius nolit patri conſentire, filius mulctatur proprietate hereditatis, ita vt pleno iure ad patrem pertineat. *l. vlt. §. 1. & ſeq. C. de bon. quæ lib.* IX. Exceptio eſt, ſi pater hoc ſuum ius filio re[illegible]

rit, id eſt, ſi vſumfructum, quem à legibus habet in bonis aduentitiis filio remiſerit, & donauerit, vt rectè ſcribit Azo in ſumma *d. tit. C. de bon. quæ lib. l. cum oportet. §. ſin autem res. C. eod* vide gl *in l 2 C. de inoff. teſt. Tiraquellus in l. ſi quando. §. donatione largitus. C. de reuoc. don.* Idem probandum eſt, ſi pater permittat filium percipere fructus bonorum aduentitiorum. Neque tàm donatio eſt, quàm remiſſio lucri: ideoque ab initio valet; nec morte patris confirmari neceſſe eſt, vt Bartol. Angelus, & alii docent in *d. §. ſin autem.* & hanc eſſe veram & communem opinionem; præſertim ſi filius ſeorſum à patre habitauit, ait Pariſius conſil. 136. volum. 1. Sed fortè verius eſt ſi ipſe pater pœnitentia ductus donationem illam velit reuocare; permiſſum eſt, id ei facere. imò donatio iſta eſt patris in filium collata, & vt alia quæuis, generaliter non valet, non magis, quã donatio inter virum & vxorem facta. Quare vtramque libere reuocare poteſt donator, vſque ad extremum vitæ ſpiritum; ſed ſi non reuocauerit, tunc morte eius confirmatur, vt ab heredibus ipſius reuocari non poſſit. *l. donationes quas. pen C. de donat. inter vir. & vx.* & retrotrahitur ad tẽpus donationis. Poſtrema eſt, in reb. ſcelere quæſitis. horũ vſusfructus patri non quæritur: vt Bartolus docet in *l. cũ oportet. C. de bon. qu. l:b. l. quod ſeruus. D. de acq. poſſ.* Hi ſunt igitur caſus in quib. aduẽtitia bona filiorũ patrib. nullo modo adquiruntur; ne quidẽ quo ad vſumfr. vel adminiſtrationẽ eorũ. Quib. generib. exceptis in reliquis omnibus aduentitiis

gene-

generaliter dicem⁹ patri vſumfr. eorũ adquiri. Quod ſi ambigatur interdũ, vtrũ hoc vel illud liber bonis aduẽtitiis, an profectitiis: in eo hãc tradit diſtinctionẽ Azo, ſiue Ioannes, vt ſi filius ſit induſtrius patre inope vel luxurioſo, tũc ex bonis aduentitiis cenſeãtur. Contra ſi pater induſtrius, filii nequã: ex bonis profectitiis. quæ tamen diſtinctio, quã ſit lubrica, cuiuis liquet. Sicut & illud, ꝙ aiunt ex rebus etiã profectitiis percepta lucra peculio aduentitio interdũ aggregari, veluti ſi filius pecunia patris negotiat⁹ ſit, vel ſi fundũ paternũ induſtria ſua coluerit, nã vſuras & fructus inde perceptos, putãt media ex parte profectitii peculii eſſe, alia ex parte aduentitii. Illud ſciendum poſtremò eſt, ſi pater conceſſerit filio fructus bonorũ aduẽtitiorũ, videri conceſſiſſe nõ ſolũ fructus eius anni, ſed & ſequentiũ. vt eſt ſententia Baldi in *Auth, excipitur. C. de bon. quæ lib.* probata Alexandro in *l. diuortio. §. donationes. D. ſol matr.*

CAPVT VI.

Qualis ſit vſusfructus aduentitiorum.

NVnc naturã & conditiones huius vſusfructus paterni exponamus & primũ quæritur an ſit talis, qualis eſt ille cõmunis & vulgaris vſusfruct⁹, qui definitur eſſe ius alienis reb. vtendi fruendi ſalua earũ ſubſtãtia, & inter ſeruitutes perſonales connumeratur. *l. 1. D. de vſufr. Inſt. in pr. eod tit.* ali⁹ eſt vſusfruct⁹, q nõ eſt ſeparat⁹ à ꝓprietate, ſed cũ ea cõiũct⁹, & ab ea

manat & cauſatur, vnde à Dd. vulgo cauſalis appellatur. at prior ille, de quo dixi, formalis appellatur, quia ſeparatus à ꝓprietate ſua formã habeat, & per ſe conſiſtat, id eſt, ſeruitus eſt perſonalis in rebus alienis. Proprietatem & vſumfructum habent domini; nam vt Cicero eleganter ait in Epiſtola quadam ad Curium, id maxime eſt noſtrum, quo vtimur & fruimur. ideoq; dicitur plena proprietas, quæ vna cum dominio habet vſumf. adiunctum. quod ſi quis ſit dominus, ſed vſusfructus rei ad alium pertineat, puta pactionibus vel teſtamẽtis ei cõſtitutus ac debitus, tum proprietas nuda eſſe dicitur, dum vſufructuarius viuit, vel alio modo vſusfructus ad proprietatem nõ redit. & quãuis qui vſufructu caret, plenam proprietatem vel plenum dominium non dicatur habere. *l. cum filius. §. dominus. D. de legatis* 2. *l. eum qui.* 16. *l. proprietate. D. de Verb. Oblig.* tamen recte dicitur totum habere, veluti totum fundum ratione ſcilicet dominii, & ipſius fundi, qui cum ſit res corporalis, eius pars vſusfr. eſſe non poteſt, id eſt, res incorporalis. *l. rectè dicimus. D. de Verb. ſignif.* Neque obſtat, quod quibuſdã in locis dicitur vſusfructus eſſe pars dominii, vt *in l.* 4. *D. de vſufruct.* Nam diſtinguendum eſt inter dominium & rem puta fũdum vel domum, vt pulchre docet Donellus ad *l. qui vſufr. D. de Verb. Oblig.* Deinde ſciendum eſt non vere & proprie dici vſumfructum eſſe partẽ dominii, ſed in multis cauſis, inquit *d. l.* 4. id eſt, vſusfructus habet quoſdam effectus dominii: quia vſusfructus continet in ſe ple-

plenum rei emolumentum, in qua eſt cõſtitutus *l. Mænius* §. *pen. D. de Leg*. 2. quod de nulla alia ſeruitute ſiue reali, ſiue perſonali dici poteſt, vnde vſufructuarius loco domini eſſe dicitur. *l in venditione. D de reb. auctoritat. iudicis poſſid.* at proprie & vere vſusfructus non eſt pars dominii, ſed inſtar partis, vt ait *l. filius*. §. *dominus. D. de leg*. 2. & ſimilis eſſe parti, in *d. l. qui vſufructu. D. de Verb. oblig.* De illis autem quæſtionibus, an idem ſit proprietas & dominium, & an proprietatis ſit dominium, & vſusfructus dominium, & poſſeſſionis dominium, quia ſunt ab inſtituto noſtro alieniores, omittuntur. videri poſſunt tum alii, tum inprimis Robertus Aurelianenſis, & Cuiacius lib. III. Controuerſ. cap. 9. & ſeqq. His ita expoſitis, ſciendum eſt, vſumfructum, quem pater habet in bonis aduentitiis filii non eſſe illum cauſalem, id eſt, qui cum proprietate coniunctus ſit, & iure dominii habetur, cum proprietas & dominium earum rerum ſit penes filium, ſed eſſe formalem ſeparatum à proprietate, & ſpeciem ſeruitutis perſonalis. cæterum plurimis in cauſis hic paternus vſusfructus differt à communi, & vulgari: licet genere ipſo cum eo conueniat. de illo vulgari agitur toto *lib. 7. D. & lib. 2. Inſt. tit. de Vſufr. & in C. eod. tit.* & paſſim in iure noſtro: at de paterno hoc vſufructu non agitur, niſi in duobus vltimis titulis *lib. 6. Codicis*, Vno, ***de bonis maternis & materni generis***; altero, ***de bonis quæ li.*** & in quibuſdam legibus, ac Nouellis ſparſim. Dicitur hic vſusfr. de quo agimus, & paternus, quia ſoli

patri debetur & iure patriæ poteſtatis, item legitimus, quia ſola lege, id eſt, conſtitutionibus principum ſine pacto, ſine teſtamento vllo cõſtitutus eſt, & pleniſſimam poteſtatem, pleniſſimam adminiſtrationem, & dominio proximã cõtinere, quæ omnia aliter ſe in vſufructu illo vulgari habẽt, vt deinceps cognoſcetur.

CAPVT VII.

Modi conſtituendi ac finiendi vſusfructus.

AC primũ de modis, ac iure, quo cõſtituitur aut ſoluitur. Vſusfr. cõmunis conſtitui dicitur voluntate domini, id eſt, vel pactionibus inter viuos atque contractibus: puta ſtipulatione, emptione, donatione: vel teſtamẽto, atq; vltimis voluntatibus, puta mortis cauſa donatione, legato, fideicommiſſo. At paternum vſumfructum ſola lex conſtituit, & concedit patri. *l 1. & paſſim. D. de bon. matern. & tit ſeq.* Dixi ſoli patri eũ vſumfructum in bonis aduẽtitiis deberi iure patriæ poteſtatis, quod & verum eſt. Aliud eſt, quod patri, qui filium emancipauit, leges concedunt in præmium emancipationis nimirum vſumfructum dimidiæ partis bonorũ, quæ ante emancipationẽ filius habuit *l. cum oportet. l. cum autem. C. de bon. quæ liber.* ante Iuſtinianum tertia pars bonorum patri emancipatori dabatur: antea etiam, vetuſtiſſimo iure, totũ quodq; peculiũ aduentitiũ penes patrẽ remanebat, niſi in emancipatione ei pater donaſſet. *Inſt. per quas perſon. nobis acquirat §. hæc quoq; l. 1. D. quando de pecul. annal. act. eſt. l. donationes §. pater. D. de donation* Ceterum

[illegible] al is quibusdã cauſis leges vſumfru-
[illegible] conſtituunt, puta matri q̃ ad ſecundas nu-
ptias tranſiit exſtantib. liberis prioris matrimo-
nii, quã omnia bona nuptialia, quę ex ſponſalib.
vel ex donatione propter nuptias, vel ex legatis
vel ex donationib mortis cauſa, à priori marito
conſecuta eſt itẽ omnia quę ex ſucceſſione re-
liquorum ex filiis defunctorũ accepit ob pœ-
nam ſecundarũ nuptiarũ amittit, ſed vſusfru-
ctus tantum ei à lege conceditur, donec viuit,
proprietate penes liberos prioris matrimonii
remanente *l. fœmina. 3. cũ trib. Auth. ſeqq. C. de
ſec. nu. t. Nou. 22. de nupt.* Eſt & vſusfructus q-
dã, quẽ quaſi legitimũ appellare poſſumus, quẽ
iudex conſtituit in trib. illis iudiciis diuiſoriis,
id eſt, familiæ erciſcundæ cõmuni diuidundo,
& finiũ regundorũ dũ vni proprietatẽ, alteri v-
ſumfructũ adiudicat; *l. 6. vſusfructus. D. de vſu-
fr. l. 6. com. diuidun. l. puto. 12. D. famil. erciſcũd.*
Nũc de modis videam⁹, quib. finitur vel amit-
titur hic vſusfruct⁹, quorũ quidã sũt cõmunes
cũ vulgari vſufructu, quidã proprii hui⁹ pater-
ni cõmunis maxime eſt, q̃ morte vſufructua-
rii finitur vſusfructus. *Inſt. de vſufr. l. 1. & paſſ. C.
de bon. mat.* itẽ finitur maxima, vel media capi-
tis diminutione q̃ eſt quaſi mors quędã ciuilis,
cũ earũ altera libertas, altera ciuitas amittatur.
l corruptionẽ. § vlt. C. de vſufr. Sed in vſufructu
paterno quędã hîc ꝓprie occurrunt. nã ſi pater
capitis dãnatus ſit, amittit quidẽ is vſumfructũ
aduentitiorũ bonorũ, ſed vtrũ fiſco deferatur,
an filio cõſeruetur, q̃ſtio eſt? proprietatẽ quidẽ
penes filium remanere certũ eſt, ſed dubitatur

an vſusfruct⁹ qui patris eſt, dum viuit, tranſeat in fiſcum qui patris damnati ſucceſſor eſt, vt cum ſaltem habeat, donec pater damnatus viuat. In qua ſententia fuit Bartolus per *l. ſi poſtulauerit. §. iubet, & ibi notat. D. ad L. Iuliã de adulteris. & l. Statius. §. fin. D. de iure fiſci.* Sed contrarium verius eſt, id eſt, ſtatim ac pater damnatus eſt, vſumfructum ad filium pertinere, & cum proprietate coniungi, non fiſco deferri. primum, quia idem in peculio profectitio conſtitutum eſt, vt id ſeparetur & adiudicetur filio publicatis bonis patris ei⁹. *l. 3. §. vtrũ. in fine. D. de minorib.* cum tamen in tali peculio filius nihil plane iuris habeat, ſed totum ſit patris: quanto magis igitur in peculio aduentitio, quod & in filii eſt dominio, dũ pater viuit, & ad eum in ſolidum patre mortuo pertinet, dicendum eſt, vſumfructum damnato patre ad eum redire? Deinde, quia patria poteſtas, ob quam vſusfructus iſte patri conceſſus eſt, ſoluta eſt ſtatim pœna patris. *leg. final. C. de ſentent. paſſis. l. deportatus. C. de bon. proſcriptor.* Denique, quia id nuſpiam reperitur, fiſco applicari hunc vſumfructum debere: & in cauſis dubiis potius contra fiſcum debemus reſpondere. *leg. non puto. D. de iure fiſci.* Non obſtat *d. l. ſi poſtulauerit. §. iubet.* nam ea lex loquitur de vſufructu ſerui alieni, quem vſumfructum habebat reus adulterii, ait lex hunc vſumfructum ad publicum pertinere, id eſt, fiſco addici; ſicut & proprietas publicaretur, ſi eam talis reus haberet. Idque ea ratione conſtitutum eſt, vt

ſeruus

ſeruus iſte ſine vllo metu veritatem dicat, neque in quæſtione obduret, metu, ne reuertatur ad dominum ſiue vſufructuarium, & ab eo miſere tractetur, ſi aliquid contra ipſum in tormentis depoſuiſſet. Quæ ratio nullo mono accommodari huic quæſtioni noſtræ poteſt. Non obſtat etiam *d.l.Statius.* §*.final.* cum qui congruit & *l.cum pater.* §*. hereditatem. D. de leg. lib.* 2. Illic enim propter incertum vitæ matris quæ fideicommiſſum rogata erat poſt mortem reſtituere cuidam Felici, item propter incertum, an adhuc alia bona acquireret, ex quibus fideicommiſſum Felici ſolui poſſet, conſtitutum eſt, vt illud fideicommiſſum matre damnata, interim pertineat ad fiſcum, non ad Felicem; qualis incertitudo nulla eſt in propoſita noſtra quæſtione. Atque hæc ita ſunt, ſi pater damnatus ſit. quid contra dicendum eſt, ſi ipſe filius; an pater amittet propterea vſumfructum in eius bonis aduentitiis? nequaquã: cum enim patris ſit, non debet ei filii vel alterius facto & peccato eripi. *l.id quod noſtrum. D. de Reg. iur.* idque multo magis in hoc peculio aduentitio dicendum eſt, quod nec peculium caſtrenſe, vel quaſi caſtrenſe ob delictum filii publicetur, ſed patri conſeruetur. *l.ſi filius. C.de bon. proſcriptor.* cum tamen id peculiũ ſit in ſolidum filii. *l.2.in fin. D. ad Senatuſconſultũ Macedon.* Ex quo conſequitur, peculium aduentitium ne quidem quod ad proprietatem eius attinet, fiſco addici, argumento *d.l.ſi filius. & l. cum nõ ſolum.* §*.filius autem. C.de bon. quæ liber.* in qua l. filiofam. interdicitur etiã alienatio-

ne proprietatis bonorum aduentitiorum viuo patre, ne patri aliquid preiudicii fiat in ſuo vſufructu & adminiſtratione. Ergo nec delinquẽdo poteſt filius id alienare, argumento *Auth. è contra. ſi filii. C. de repud.* Nec obſtat quod conſtitutum eſt, minorem 25. annis non poſſe alienare prædia ſua, aliasque res immobiles. *l.* 1. *& paſſ. D. de reb: cor. qui ſub tutela. & tit. C. de prędiis minor.* & tamen minor delinquendo eas res amittit, atque ita alienat. *l. clarum. C. de authorit. praeſtan.* nam id verum eſt in patrefamilias, qui minor eſt 25. annis, cui ſi bona ob peccatum adimantur, nemini præiudicium fit; nec vero in delictis ſuccurritur minoribus, vt in contractibus. *l. auxilium. D. de minorib.* nos autem hîc agimus de filiofamilias, id eſt. qui in poteſtate patris eſt; & in cuius bonis vſumfructum & magna iura pater habet. quare rectiſſime Bartolus filiumfamilias, res ſuas per vim rapiendo non incidere in pœnam *L. ſi quis in tantam. C. vnde vi.* qua l. raptor violentus rerum ſuarum punitur, vt earum rerum dominium amittat, ſiue res mobiles ſuas, quæ ab alio poſſidentur, rapuerit, ſiue immobiles per vim inuaſerit, & poſſeſſorem deiecerit. Neque vero propter vſumfructum tantũ, & cætera quę diximus, intereſt patris, non alienari vel amitti à filio bona aduentitia; ſed etiã propter ius, & ſpẽ ſucceſſionis, quia filio defuncto peculium aduentitiũ pleno iure, id eſt; non ſolũ vſufructu, ſed etiã dominio redit ad patrẽ; in quo iure non debet filii delictum patri nocere, & rem patri in eum euentum deſtinatam ac debitam aufer-

auferre, vt bene Donellus ad *d. l. ſi quis in tantam.* in fine ſcribit; laudans hanc Bartoli ſententiam, legesque ab eo allegatas; *l. ſed ſi alia. D. de bon. damnator. & l. Statius. §. vlt. D. de iure fiſci.* quod & Menochius Remed. recuperandæ poſſeſſionis quæ. 7. probat. Et hæc de filiofamil. ob crimen aliquod capitale vel aliud graue damnato. Quod ſi etiam bona aduentitia ex aliquo ſcelere quæſiuit, ad patrem ea ne pertinebunt an ad fiſcum? Finge, eum hereditatem aliquã veneno vel alia fraude ſibi acquiſiuiſſe, eamq; hereditatem etiam patris ſui iuſſu adiuiſſe, vt leges hunc iuſsũ requirunt. *l. q. in aliena. cũ ſimilib. D. de acquir. vel amitt. heredit.* & verũ eſt patri quidẽ eã acquiti, ſed ei tamẽ à fiſco eripi, tanq̃ indigno filio, à quo parta eſt; cũ hoc in toto iure conſtitutum ſit & lucrá ſcelere parta defunctorum heredib. eripi, & fiſcum indignis ſuccedere, toto tit. *D. & C. de his quib. vt indig.* Atq; ita in *l. cũ ratio. 7. §. preterea. vlt. D. de bon. damnat.* ſcriptum eſt; *cuius §. vlt. verba* Cuiac rectiſſimè ſuppleuit. lib. 6. Obſer. cap. 23. Nunc proprios quoſdam modos videamus, quibus hic paternus vſusfructus finitur. Referuntur pleriq; ad ſolutionem patriæ poteſtatis, à qua is vſusfructus pendet. veluti emancipatione, ob quam ſupra diximus, patri ſemiſſem vſusfructus bonorum, quæ emancipationis tempore filius habebat, vtpote cũ emancipatio non ſolũ alia magna cõmoda adferat filiis, ſed etiã cauſa ſit, vt filii ſibi ipſis ſolis deinceps omnia in ſolidũ acquirant, nihil patri. vnde emãcipatio elegãter vocat̃ beneficiũ bo-

norum quærendorum in *l.2.D.ſi quis à parent. manumiſſ. fuer.* & merito, quia emancipatus eſt planè liber. eſt autem regula iuris, per liberã perſonam nobis nihil acquiri: *l.1. C. per quas perſonas. l.ſolutam. §. per liberam. D. de pignorat. action.* Quod autem cùm alii vulgò Dd. tum Cuiacius ad *tit. C. de bonis matern.* ſcribit etiam filios acquirere patri, quæ poſt emancipationẽ ipſis obuenerint, vt pater in iis habeat virilem portionem vſusfructus, tanquã mun⁹ lege oblatum reuerentiæ manumiſſorum: allegata *l.3. C. eod. tit.* Id verum eſt duntaxat in hereditate materna, vel materni, & acciti generis; non in aliis aduentitiis bonis, vt illi temere *d.l.3.* accipiunt; non etiam in aliis rebus à matre, vel auo materno profectis præter hereditatem; neque id, quod de vſufructu virili dixi, tributum patri eſt hoc caſu ob reuerentiam emancipatoris, vt illi aiunt; nam idem ius auo in ea l. tribuitur etiam ex nepotibus quos nunquam in poteſtate habuit; imò ex iis quos in poteſtate habere non potuit, id eſt, in nepotibus ex filio emancipato natis, poſt emancipationem, item ex filia natis. Sed tributum eſt ob ſolatium amiſſæ vxoris, & veterem quam ea viua habuit, poſſeſſionem ac dominium in bonis vxoris. in his igitur rebus, & in hoc ſolo caſu emancipatus aliquid acquirit patri ſuo, virilem ſcilicet portionem vſusfructus hereditatis maternæ, vel dicendum eſt, non tam propter filii emancipationem id patri acquiri, quam per legem, id eſt, conſtitutionem *d. l.3.* quæ eſt oratio

Imp.

Imp. Theodoſii ad Senatum miſſa; defert enim ea lex marito ſucceſſionẽ aliquam in bonis defunctæ vxoris. quod valde notandum eſt; cum aliàs filii ſoli deberent matri ſuccedere. §. *cum filius. Inſt. ne hereditatib. quæ ab inteſt. defer. & §. 1. Nouell. eod. tit.* Non autem maritus, præſertim cum ratione affinitatis nulla ſit ſucceſſio. *l. affinitatis. C. commun. de ſucceſſionib.* neque vir vxori, neque vxor viro ab inteſtato ſuccedit, niſi omnibus, & liberorum & agnatorum & cognatorũ gradib. deficientibus. *l. vnica. C. vnde vir & vxor.* & ita recte Accurſius hũc caſum ſucceſſionis pro ſingulari notat ad *d. l.* 3. & Salicetus ibi probat; licet alii per filiũ emancipatum hanc partem vſusfructus acquiri patri ratione & iure ſucceſſionis negent; qui vel ex eo refutantur, quod nulla ratio poſſit in hoc caſu conſiderari filii, vel emancipationis beneficii, vt propter hoc patri acquiratur hæc pars vſusfructus, cum iam antea docuerim etiam in iis nepotibus huic conſtitutioni locum eſſe, quos in poteſtate auus nũquam habuit nec habere potuit, ideoq; nec emãcipare potuit. & in ſumma duo tantum ſunt caſus in iure ciuili, quibus legitima & ab inteſtato ſucceſſio aliqua eſt inter virũ & vxoré, extãtibus liberis vel cognatis defuncti. vnus caſus eſt, qui notatur in *Auth. præterea. C. vnde vir & vxor.* & locũ habet in vxore paupere. nã ei quarta pars bonorũ mariti ſui defuncti debetur. Alter caſus eſt hic noſter, de quo hic agim⁹ ex *d. l. 3. C. de bon. mat.* qui vice verſa in marito ſolũ locum habet, vt ſupra expoſitum: in quo hæc tria valde admirabilia no-

tare debemus. I. Quod cum alias liberorum & deſcendentium cauſa ſemper ſit prima, tamen hic pater admittatur cum liberis emancipatis, vel ex emancipato natis. II. Quod cum ſucceſſio defunctorum ſit hereditas, & bonorum ac dominii acquiſitio. §. *vlt. Inſt. de heredum qualit. & different. §. his verbis. D. de heredibus inſtituend.* hic eſt caſus, quo heres, id eſt, maritus non ſuccedit in vllam partem dominii, ſed in partem vſusfructus duntaxat; quod ideo conſtitutum eſt, vt mitigaretur abſurditas, quæ videbatur in hac conſtitutione verſari, dum aſcendentes admittit vnâ cum deſcendẽtibus in bona vxoris. III. Quod pater, vel auus admittitur cum filiis & nepotibus, atque iis adimit partem aliquam ſaltem vſusfructus, & tamen ſi liberi nulli extarent, ſed agnati vel cognati tantum defunctæ vxoris, illi cognati in totum excluderent maritum; atque ita videmus, plus hoc caſu agnatis & cognatis, quam liberis, tribui: nam *h. l. 3.* loquitur ſolum de liberis nec extendenda eſt ad cognatos, cum ſit correctoria & odioſa, & propemodũ abſurda in ſua deciſione, vnde Pinellus aſſerere audet, eam ſaltem quo ad nepotes non obtinere in praxi, quod credendum non eſt, & excuſari facile poteſt ab authoritate generationis, aliisq; rationibus, quas ſupra expoſuimus. Sed ſatis de emancipatione. Si tamen illud adiecero, multarum hodie gentium moribus filios è patria poteſtate matrimonio contracto, tanquam emancipatione quadã, liberari. quod & iure Saxonico conſtitutũ eſt, ideoque in hoc caſu non

eſt

eſt locus huic vſufructui. ſed filiifamilias & filiæfamilias, ſeparati à domo patris, nuptiis contractis, ſibi adquirunt non patri. Imo & reſtituere iis pater bona materna tenetur: & vſusfructus marito acquiritur, licet non liberentur à poteſtate parentum. Schneidew. in *tit. Inſt. Quib. mod. ius patriæ, in fin.* neque enim matrimonium eſt modus ſoluendę patrię poteſtatis. *l. patriæ, cum ſimilib. D. ad L. Iuliam de Adult.* quod etiā ius Longobardorum, à Carolo Magno vt aiunt conſtitutum, quo iure filiæ nuptę exeunt è poteſtate patris & ſubiiciuntur poteſtati mariti, vt tradit gloſſa & alii ad §. 1. *Inſt. ad SCtum Tertull.* quod ius Longobardorum etiam in Germania hodie ſeruari, ſcribit Ioannes Sichardus *in l. vbi adhuc. n. 16. C. de iure dot.* licet non plane pro certo id ſe ſcire confiteatur. Vnde intelligi poteſt, quam inanis illa ſit Doctorum traditio, qui dicunt Doctori illuſtri de conſuetudine aliquid in lectionibus atteſtāti omnino credi oportere. contra quā recte pluribus ſcribit Alexander ad *L. poſt dotem. columna vlt. D. ſolut. matrimon.* Soluitur etiam patria poteſtas quibuſdam dignitatibus, ex iure nouo, puta Patriciatu, Epiſcopatu, monachatu. &c. § *filiusfam. Inſt. Quib. mod. ius patriæ poteſtat. ſoluat. l. vlt. C. de conſulib. lib.* 12. *Nou.* 81. quæ ad alias dignitates plures id porrigit. An etiam igitur vſusfructus paternus ob has dignitates vel qualitates perſonarū amittetur? Et verius eſt generaliter non amitti, ſi filius talē aliquam dignitatē vel conditionē adeptus ſit, cū nulla ſit ratio, cur alieno facto pater priuet̃

ſuo iure quod ei lex donauit, quod ſi ipſe pater clericus factus ſit, etiam retinet vſumfructum cum eius dignitas ſit potius aucta. Sed quid ſi monachus factus ſit, quo caſu conſtat eum tãquam ſeruum factum eſſe, & monaſterio omnia acquirere, an vſusfructus, quem ante ingreſſum religionis habuit, redit ad filium, an vero acquiritur monaſterio donec pater viuit? qua de re ingens eſt controuerſia apud Dd. noſtros, vt videre eſt apud Pinellum *in l.* 1.*p.*1. *n.*46.*&* 47.*ſeqq.C.de bonis matern.* vbi tandem probat ſententiam Accurſii tanquam veriorẽ & communius receptã, vt penes monaſterium vſusfructus remaneat, donec pater illius viuit. Sed aliquis ſic opponat: ciuitas & Eccleſia æquiparantur.*l,final. C.de Sacroſanct. Eccleſ.* ſed ciuitati relictus vſusfructus durat centum annis.*l.vſusfructus.D.de vſufruct.legat.* Ergo & in Eccleſia durabit 100. annis, atque ita non ſoſum quo ad viuit pater, Reſp. Quod de ciuitate diximus locum habet, quando directo ipſi ciuitati relictus eſt vſusfructus; idemq; in Eccleſia dicendum eſt; ſed aliud eſt in caſu noſtro, vbi ex ſucceſſione alterius, id eſt, monachi facti acquirit Eccleſia vſumfructum, vt recte Ioannes in notis ad Speculatorem docet *lib.* 4.*part.* 3.*n.*12.*tit.de ſtatu monachorũ.* Mutatione quoq; rei cum amittatur vſusfructus vulgaris *l.repeti. §.rei.D.Quib.mod.vſusfruct.amitta.* tamen hic vſusfructus paternus non amittitur, vt recte docet Accurſius in *l. cum oportet.§.nõ autem.C. de bon.qua lib.&* ratio eſt, quia durat patria poteſtas, ex qua pendet; adeo, vt ſi diceremus amit-

mitti: tamen ſalua patria poteſtate contin uo eundem repeti & cõfirmari dicẽdum eſſet. Atq; hæc de modis conſtituendi & finiendi huius vſusfructus. Nunc quæ onera patri incumbãt, quæque iura in eo habeat, item quæ filiofam. iura competant ratione dominii ſui exponendum eſt.

CAPVT VIII.

De Satisdatione, & Hypotheca.

VSufructu alicui conſtituto, illud ante omnia ei incumbit, vt cautionẽ domino fũdi eam petenti præſtet, ſe nimirum boni viri arbitratu vſurum, fruiturum, & rem ſuo tempore reſtituturum *l. 1. & paſſim. D. vſufr. quẽ. cau. c. vlt. ex. de pign.* quæ cautio ſatisdatio eſt. Satisdatio autem dicitur, quæ fit ſtipulatione, adhibitis ſimul fideiuſſoribus, vel pignoribus. *l. 4. C. de vſufr. l. 1. qui ſatisd. cog.* & in vulgari quidem vſufr. talis ſatisdatio omnino præſtanda eſt, & ab omnibus: adeo quidem, vt nec ipſe teſtator vſumfructum alicui legans, poſſit hanc cautionem ei remittere. *l. ſi cuius. D. de vſufr. l. ſcire. C. vt in poſſeſ. leg. vel ſid. cau.* Sed an etiam in hoc paterno & legitimo vſufr. eam præſtare neceſſe ſit quæritur? Et conſtitutum eſt, patrem non teneri cauere filio. *l. cum oportet. §. non autem. l. non ſolum. §. vbi. §. hoc pro-*

culdubio C.d bonis quæ lib. Quæ in re pater æquiparatur fiſco, qui nec ipſe hanc cautionem præſtat. *l.* 1. § *ſi ad fiſcum. D. vt leg. nom. cau.* Item & is non tenetur cauere, cui poſt vſumfr. legatum legata eſt quoque eiuſdem rei proprietas. *l. ſi vſusfructus.* §. *illud &* §. *plane. D. vſufr. quem cau.* & ratio eſt, quia hoc caſu nihil intereſt domini vel heredis, quomodo ille vtatur ea re, quæ omnino ipſius futura eſt. Sed quod de patre diximus, ei opponitur *l. hac edictali.* §. *iis illud. C. de ſecund. nupt. & l. iubemus.* §. *in ſupradictis. D. ad SCtum Trebell.* Reſp caſum ibi eſſe ſpecialem ob tranſitum patris ad ſecundas nuptias, propter quem pater cauere filio teneatur, præſertim in lucris matrimonialibus, idque in odium ſecundarum nuptiarum, vt alia multa, conſtitutum eſt. §. *placet. Nou. de nupt.* Cum alias regulare ſit, patrem non teneri vel non poſſe etiam filio ſatisdare, non ſolum propter reuerentiam paternam, ſed etiam propter patriam poteſtatem, qua efficitur, vt nulla actio vel obligatio inter filium & patrem poſſit conſiſtere. *l. Imp. D. ad S C. Treb.* §. *inutilis. Inſt. de inutilib. ſtipula. l. cũ filio. D. de leg.* 1. Alius caſus affertur in rebus à patre donatis filio emancipato, & iiſdem retentis & adminiſtratis. *l. litis* §. *patris. D. de ne. geſt. Paul. in ſenten.* 4. Sed ibi de ſatisdatione patris nullum verbum, ſed de rationibus tantum à patre reddendis. non ſequitur autem, cogitur quis rationes reddere, ergo cogitur ſatiſdare, vel eius bona tacite pignori obligata ſunt. Item ea l. loqui-

loquitur de filio emancipato, inter quem & patrem obligatio recte conſiſtit. *l.4. C. de pact. conuent.* Quo pertinet etiam illud de patre tutore filii impuberis, qui & ipſe ſatisdare tenetur, vt & alii tutores. *l. ſi ſuperſtite. C. de dotib. l. licet. C. ad L. Falcid.* Et ratio differentiæ inter patrem tutorem, & vſufructuarium ea eſt, quia tutela eſt tantum onus, & tota ſpectat ad vtilitatem pupilli, præſertim emancipati. At vero vſusfructus iſte continet totius rei emolumẽtum, pleniſſimamque poteſtatem in earum rerum adminiſtratione patri tribuit *l.1. & paſſim. C. de bon. mat.* Hæc de ſadisdatione, qua releuari patrẽ diximus. Cum autẽ neq; fideiuſſores neque pignora dare, id eſt, ſatisdare pro vſufr. ſuo teneatur; an ſaltem bona ipſius tacito pignori erunt obligata filiofa. pro reb. aduẽtitiis? Nec hoc quidẽ in reb. omnibus ſed diſtinctio hæc tenenda eſt. Vt pro bonis quidẽ maternis & materni generis, item pro lucris nuptialibus eam hypothecam in bonis patris filius habeat, pro aliis vero aduentitiis non habeat, puta pro iis quæ ipſe ſua induſtria, vel labore peperit, vel quæ aliunde ei obuenerunt, puta donationibus vel teſtamentis. *l. ſi quis prioris. §. fin. C. de ſecund. nup. l. vlt. verſ. exceptis. C. qui pot. in pig. l. cũ oportet. §. vlt. C. de bon. quæ lib.* Atq; ita *d. §. vlt.* conciliand⁹ eſt cum §. nõ autẽ hypothecas eadẽ l. vbi gloſſa tres ſolutiones affert: ſed media, q̃ nunc expoſui, veriſſima eſt, & verbis legis diſerte probatur. Illa autẽ Azonis falſa eſt, q nõ diſtinguit inter res aduẽtitias, ſed ꝓ omnib.

rebus pariter bona patris tacite obligari vult. Sed diſtinguit inter cauſas, vt ea obligentur ob conſeruationem rerum aduentitiarum, nō obligentur autem propter adminiſtrationem eorum, niſi vno tantum caſu, cum videlicet ob æs alienum filii pater res aduentitias non vendidit iuxta *d.l.cum oportet.§.cum autem. & §. ſed & tacitas* Diſtinctionis ratio illa eſt; quia bona materna & materni generis, vt & nuptialia filiis magis debeantur, quā alia. quod vel ex eo euidenter apparet, quia Conſtantinus & cæteri principes hæc ſola bona filiofam. addixerunt, vſufructu duntaxat patri relicto: donec Iuſtinianus exortus, qui idē ius ad reliqua bona aduentitia perduceret. Denique ſciendum eſt, iſtam tacitam hypothecam pro rebus maternis quæ dixi, incipere ſtatim ab ipſo initio adminiſtrationis paternæ, non autem ab eo tempore primum, quo pater aliquid male adminiſtrare vel gerere cœpit. *d.§.ſed cum tacitas.* id enim filio vtilius eſt, habere antiquiorem hypothecā propter cæteros creditores patris. Quomodo autem hæc obligatio hypothecaria præcedat obligationem principalem, quæ contrahitur ex mala patris adminiſtratione, mire diſputant Salicetus & alii *ad d.§.2.ſed cum.*

CAPVT IX.

De quaſi vſufructu in rebus aduentitiis.

ILla nobilis quæſtio hîc ſupereſt, an cautio fru-

fructuaria à patre ſit præſtanda in iis filii rebus aduentitiis, quæ vſu conſumuntur, puta vino, oleo, fruméto, pecunia. imò quæritur an in his reb. quaſi vſusfructus ad patrem pertineat, cũ leges de bonis aduentitiis loquẽtes, proprii tãtum & veri vſusfructus mentionem faciant? in his autem rebus quæ vſu conſumuntur, verus vſusfructus conſiſtere non poteſt. *l. 1. & paſſim: D. de vſufruct. & §. conſtituitur. Inſt. de vſufruct.* Quod ſi vſumfructum habet neceſſario & proprietatem habebit, vt mox docebo, quod eſt contra dictas conſtitutiones, quæ proprietatem omnino filii volunt eſſe. Igitur vt hæc recte intelligantur, ſciendum eſt, in his rebus q̃ vſu cõſumuntur, qualis eſt etiam pecunia, cũ nemo ea vti poſſit niſi expendẽdo & permutãdo, qua ꝑmutatione pecunia quodammodo extinguitur, vt ait Imperator in *d. §. conſtituitur.* In his igitur rebus ideo vſusfruct⁹ conſiſtere non poteſt, quia vſusfructus eſt ius vtendi fruẽdi reb. alienis, ſalua earũ ſubſtantia. Quorũ neutrũ in haſce res caditneq; .n. ſalua ſubſtantia vini poſſum vti vino, & ſimilibus. Neq; etiã poſsũ vti vt alieno, quia meas dũtaxat res, iure cõſumo, aut perdo, non alienas. Vſusfructus ergo nec iure, nec natura in his rebus conſiſtit, cum hæc ſint natura contraria res cõſumi, & earum ſubſtantiam ſaluã eſſe, item iuri contrarium, conſumere me res ac prodigere, quarum rerum dominus non ſum. Cæterum propter vtilitatem reperta eſt à Senatu Romano ratio atque remedium, quo in his etiam rebus quidam quaſi vſusfructus conſtituatur.

remedium illud eſt cautio, ſiue ſatisdatio, per quam vſufructuarius iſte cauet de re tali reſtituenda, puta, vino, oleo, vel pecunia, nō quidē eâdem ſpecie, vt noſtri Iuriſcoſſ. id eſt, eodē indiuiduo vt Dialectici loquuntur; ſed in eodem genere eâdemq; bonitate, vel etiam ſi vinum & oleum & tales res ſint, & cōmodius videatur, de reſtituenda earum rerum æſtimatione. *l. 2. l. ciuili. D. eod. tit. de vſufr.* Hæ res ſi poſtea ita reſtituantur, videntur eſſe eædē illæ, quæ in vſumfructum datæ ſunt, quia harū rerum eiuſmodi eſt natura vt functionē magis in genere quā in ſpecie recipiāt, vt ait *l. 2. D. de reb. credi.* Atq; ita quodāmodo fit, vt qui taliū rerum vſumfructum accepit, propter hanc cautionē & reſtitutionē, intelligatur quaſi vti frui iis rebus ſalua earū ſubſtantia. Dices, Quid ergo differt iſte vſusfructus à mutuo, & per conſequens qd opus fuit SC. cum & in mutuo tales res dētur, vt eadē in genere eodē reddantur & in eâdem qualitate? Reſp hic vſusfructus plurimū differt à mutuo, pſertim in eo ꝙ cautio, quā dixi, non interponitur ſimpliciter de re reſtituendâ, ſed adiicitur cū vſufructuarius morietur, vel capite minutus erit *d. l. vini. & d. §. cōſtituitur.* ꝙ eſt propriū vſufructus, nec mutuo vllo modo cōgruit. Ex quib. intelligimus, hunc quaſi vſumfructum non poſſe conſiſtere, niſi remedio illo cautionis interueniente, ideoq; cautio eſt de ipſa ſubſtantia talis quaſi vſusfructus, vt cū aliis, tum tradit Decius *conſil. 565. incip. Clariſſima videtur*; vnde & illud ſequitur, multo minus in hoc quaſi vſufructu eā cautionē à teſtatore remitti

mitti poſſe, q̃ in vero; in quo recte Cynus vulgo reprehenſus eſt, vt & Bartolus in *l. 1. C. de vſufruct.* per illam etiam legem quæ de pecunia loquitur. & ſic de reb. quæ vſu conſumũtur. at in vero vſufructu cautio licet præſtari debeat, non tamen eſt ita de eius ſubſtantia. cũ & ſine vlla cautione poſſit quis vti frui ſalua rerum ſubſtantia; & quibusdam etiam in caſibus remittatur, vt ſupra docui, & videre licet apud Accurſium & in *l. vſumfr. boni. C. eod. titul.* Nunc ad quæſtiones propoſitas reſpondeamus de patre. Etenim nullo modo videtur poſſe vſusfructus vllus ei cõſtitui in pecunia & ſimilib. rebus filii ſui, quia leges, quæ vſumfructum patri in rebus aduentitiis cõſtituunt, eædẽ ad filium ptinere proprietatẽ & dominium volunt; ſed pater nõ poteſt talib. reb. vti frui, niſi proprietatẽ earum habeat. i. ius dominii, quo eas cõſumat ac prodigat. Sed hoc nõ obſtante dicendum eſt, etiã in pecunia filii ſimilibusque habere patrẽ vſumfructum, cũ generaliter de omnib. bonis filii aduentitiis loquantur leges, nec vſpiã excipiant pecuniã ſimilesq; res, quæ vſu conſumuntur: exceptis quibuſdã. Ad obiectionẽ autem ſic reſpondendum eſt, nõ eſſe in patre, vt nec in aliis quibuſcunq; pſonis verum & proprium vſumfructũ talium rerum, ſed eſſe tamẽ talẽ, qualis eſſe poteſt. i. q̃ SC. introduct⁹ eſt, quo effectũ eſt, vt remedio illo cautiõis intelligatur proprietas talium rerum nõ eſſe penes vſufructuarium, ſed penes dominũ ipſum, & per cõſequẽs penes filium. Vnde & altera illa q̃ſtio ſoluitur, an ſcilicet pater in tali quaſi vſufructu teneatur cauere filio? tenetur. n. cũ aliter

vſusfructus iſte conſiſtere non poſſit; vt ſupra docui.nec obſtant leges , quæ patrem ab omnibus oneribus, & nominatim ab hac cautione fructuaria eſſe immunem iubent; quia de vero & proprio vſufructu loquuntur, non de hoc quaſi vſufructu, qui ſine cautione nō cōſiſtit.plane illud cum Donello,& aliis quibuſdam cēſeas, ne pater hic teneatur ſatisdare,ſed promittere tantum,id eſt,nude cauere, vel ſaltem inuentariū conficere, vt ſciri poſſit quid earum rerum reſtitui debeat,quid conſumptū ſit. Atque hæc de iſto quaſi vſufructu,quem & pater à legibus habet. De illa autem ſimili & hodie neceſſaria præſertim in Germania quæſtione,an videlicet eo caſu,quo filiusfam. inter reliqua materna,vel materni generis bona, habet etiam partes Metallicas,patri debeantur ipſi prouentus partium illarum metallicarum, an vero pecunia & lucrum tantum prouentuum loco vſusfructus ei competentis,videndus eſt eruditiſſimus Thomingius quæſtio. XII.

CAPVT X.

De Poſſeſſione.

NOn ſtatim cui vſusfructus legatus eſt, vel promiſſus,id eſt,debetur,etiam conſtitutum vſumfructum habet; ſed requiritur ad eius acquiſitionem,vt ei tradatur iuxta Reg.Iur. *l.tra-*

l.traditionibus.C.de pact. Sed quia res incorpo-
rales, vt ſunt ſeruitutes, & alia iura non poſſunt
tradi, ideo traditionis loco in iis habetur pati-
entia domini, ſi dominus prædii patiatur eum
vti ſeruitute, vel ſi ipſe in poſſeſſionem eum
inducat prædii puta, vſufructuarii, in quo ſer-
uitus debetur. *l.3.§.dare.D.de vſufr.l.vlt.D.de
ſeruitut.* Idemque eſt, ſi quis alicui rem ſuam
donet, retento ſibi eius rei vſufructu; nam do-
natarius dum patitur rem apud donantem eſ-
ſe, poſſeſſionem eius rei tradidiſſe donatori in-
telligitur. *l.quoties.l.quisquis. C. de donationib.
l.quod meo.D.de acquir.poſſeſſ.* Videamus igitur
num hac quoque in re pater à cæteris fructua-
riis differat. nam cæteri vſufructuarii non poſ-
ſunt propriâ authoritate occupare poſſeſſionē
fundi, in quo vſusfructus eis debetur. *l.1. D.
quor.legatorum.l.ſi exſtipulatione. D. de acquir.
vel amitt.poſ.l.non dubium. C.de leg.* Quare ſi
fructuarius inſcio vel inuito domino accepe-
rit, nō facit fructus ſuos, præſertim ſi cautionē
fructuariam petenti domino non præſtiterit.
*l.vxori.D.de vſufr.legat.gloſſ.in l. diuerſo. D.de
rei vindicatio.* Contra eſt, ſi ab eo petita ſit cau-
tio: neque enim tenetur eam vltro offerre, id-
eoque nec moram facere intelligitur, vt eſt na-
tura omnium cautionum, quæ non præſtātur,
niſi petuntur. *l.1.§ non exigit pretor. D. vt in
poſſ.legator.& ſimilib.* In vſufructu autem le-
gitimo & paterno contrarium dicendum eſt,
poſſe nimirum patrem poſſeſſionem rerum
aduentitiarum filii per ſe ipſum occupare, nec

filii aut iudicis traditione opus habere: quod his rationibus efficitur. Primum, quia ipſa lex non ſolum plenam poteſtatem patri in his rebus tribuit, ſed etiã omnem adminiſtrationẽ. *l. 1. C. de bon mater.* Ergo & ipſa lex ſine hominis facto defert poſſeſſionem patri. Secundo, quia executori teſtamenti eidemque legatario hoc permittitur, vt quod ſibi legatũ eſt, propria authoritate poſſit accipere, ex tacita voluntate teſtatoris, vt rectè docent Baldus & Alexander ad *d. l. non dubium.* argumento *l. fiſtulas. §. fundum. D de cõtrah. empt.* multo magis igitur patri. Tertio, quia filius punitur, qui vetat patrẽ poſſidere res aduentitias. ergo poſſeſſionem pater ipſo iure habet non acceptam à filio, cum nullibi dicatur filiũ debere poſſeſſionem patri tradere, ſed nõ impedire, quo minus poſſideat, *l. non oportet. §. non autẽ hypothecas. C. de bon. quæ lib.* Poſtremo, quia patri per filium iure veteri omnia acquiruntur; exceptũ autem eſt ſolum dominium rerum aduentitiarum ex nouis conſtitutionibus. at poſſeſſio nõ eſt excepta. Patri igitur, non filio acquiritur. Neq; obſtat, quod id expreſſe cautum non reperiatur, atq; ita Regulæ ſit ſtandum, quæ ait, fructuariũ ex manu domini poſſeſſionẽ capere debere, qua ratione Socinus in *cõſil. 131. incipiẽte, in præſente conſultat.* dicit, ſe nullibi reperire, quod vſufructuarius omniũ bonorum poſſit propriâ authoritate poſſeſſionẽ rerũ accipere, atq; ideo d. Regulæ ſtandum eſſe. Reſp. ſatis id cautũ eſſe illis legibus quę pleniſſimã poteſtatẽ & cuſtodiã patri attribuunt, aliisq; rationib.

ſupra adductis. & ſatis etiã expreſſum dicitur quod verbis generalibus cõtinetur, atq; ita etiam Dd. noſtri ſentiũt, vt Albericus de Roſato ad *l. cum oportet. ad finẽ principii. C. de bonis quæ lib.* & alii quos Boerius allegat *decis.* 199. *n.* 9. qualem autem pater poſſeſſionem habeat naturalem ne an ciuilẽ, infra commodius explicabo, vbi de illo patris iure dicetur quo poteſt rerum aduentitiarũ nomine omnes actiones exercere & exhibere, inter quas etiã ſunt, Interdicta, quæ poſſeſſionis cauſa dantur. Cæterum ſi pater à filio prohibeatur poſſidere, ita cautũ eſt in *d. l. cum oportet. §. non autem hypothecas.* in eum exercendam eſſe patriam poteſtatẽ quod ego ſic intelligo, vt ſi filius non deſinat, poſſit pater dominio earum rerum ipſum mulctare iure patriæ poteſtatis; quo iure res aduentitiæ in ſolidũ patri acquirebantur ante has cõſtitutiones; vulgo tamẽ Accurſ. Bartolus, & alii ea verba intelligũt de coercitione patris, quaſi pater poſſit hoc caſu verberare, & aliter caſtigare filiũ ſuũ. Iidẽq; interpretes ex hoc loco, id eſt, *d. §.* colligunt abſurdũ & indecorũ eſſe patrẽ à filio corrigi, ne dũ caſtigari, quod eſt quidem ita, vt dicunt. *l. his qui. D. de tut. vel curat. dat. l. fin. C. de bonis matern.* Sed non tamen ſemper verum eſt, veluti ſi pater ſit ſenex aut fatuus, aut prodigus. nam filius datur ei curator. *l.* 1. *§. vlt. D. de curator. furioſ. d. l. his qui.* Vbi reprehenditur Celſi ſententia, quod putauerit indecorum eſſe patrem à filio regi, & ſententia Diui Pii probatur, quam ille fortaſſis ex Platone hauſit, qui ſcribit in Protagora: Ideo

nos acquirere nobis & amicos & filios, vt ab iis in ſenectute regamur. Miror, quod Cicero aliique tantopere laudent iudiciũ illud Athenienſium de Sophocle poeta, quem filii tanquã inſipientem accuſauerunt, curatoremque ei dari petiuerunt, cum ob ſtudium poeſeos plane rem familiarem negligeret. prolatis enim verſibus ſuis ſapienter ſcriptis ſapiens pronuntiatus eſt, quaſi verò non poetæ ſint ſæpe vt in ſtudiis doctrinarum ſapientes, ſic in re familiari & communi vſu inſipientiſſimi. Vere enim ab Ariſtotele in libello de re poetica ſcriptum eſt, poeſin, eſſe vel inſigniter ingenioſi, vel furioſi.

CAPVT XI.

De Inuentario, & rationibus reddendis.

IMperator ait, *Non autem hypothecam filiifam. aduerſus res patris viuentis adhuc ſeu iam mortui ſperare audeant, nec ratiocinia ei ſuper adminiſtrationem inferre*, &c. Eſt hoc tributum paternæ reuerentiæ, tum iuri quod antea habuit in iis bonis, tum denique fiduciæ, quam leges de patre habent, ne rationes reddere adminiſtrationis cogatur. *l. ſi quis prioris. §. fin. C. de ſecund. nupt.* Eodemque loco, id eſt, in *l. cum oportet. §. non autem.* Imp. ait, *impunitam eſſe patris*

tris adminiſtrationem.quib.ex verbis colligunt pleriq; Dd.patrem etiam ab inuentarii confe- ctione excuſari.quia fruſtra faciat inuētarium, cum rationē reddere non teneatur, vt in *d.* §. ſcriptum eſt, & plenius in *l. vlt.* §.*ſin autē es a- lienum.d.tit.de bon.quæ lib.* Quo facit nobile illud dictum Baldi ad *l.cum tale.*§.1.*D.de condit. & demonſtration.*caput rationis reddendæ eſſe inuentarium.quod & alii probant,& Zaſius in *conſil.*18.*n.*24.*vol.*4. Sed in contrarium multa faciunt.'primū exemplum orphanotrophi, id eſt, eius qui orphanorum tutor vel curator eſt. Is enim etiam non tenetur ſatisdationem vllam dare. deniq; nec rationes reddere tene- tur,vt de patre ſupra docuimus. *l. orphanotro- phos.C.de Epiſcop.& Cleric.& Nou.*117.*de Ec- cleſiaſticis tit,*§.15.*Orphano.*vbi Cuiacius erudi- tè non ideo non teneri eos rationibus redden- dis,quia ſunt patrum loco, allegata *d. l. cum nō ſolum.vlt.*§.*ſin autē res, verſ.ſin autē non habeat. C.de bon.quæ lib.*& tamē orphanotrophi iſti te- nentur inuentariū cōficere.*d.l. orphanotrophos. & d. Nouell.* Ergo & pater tenebitur. deinde huc facit exemplum tutorum vel curatorum, qui itidem facere tenentur inuentarium. *l.tu- torum.D.de adm.tut.* Imò ipſi tutores, vel cura- tores bonis, vel ventri dati.*l.1.D.de vent.in poſ- ſeſſ.mitt.l.fin.D.de reb.auth.iud.poſſid.* quamuis iidem non teneantur ſatisdatione de rato, vel iudicio ſiſti, ſi pupillorum nomine vel agant vel conueniantur;idque ideo,quia loco domi- norū habentur.*l.vlt.*§.*de uentione.C.de admin. tuto l.1.*§.*ſufficit.D.eod.tit.* Tertio, quia inuēta-

rii confectio nō onerat patrem,& prodeſt filio: ergo faciendum. *l. in ſumma. §. item Varus. D. de aqu. & aqu. pluu. arcen.* vt ſaltē poſt mortem patris, vel eo remoto ab adminiſtratione, quod certis de cauſis fit, ſciri poſſit, quæ nā res aduentitii peculii fuerint. Bartolus in *l. facultas. D. de iure fiſci lib.* 10. Quarto facit huc ratio omnium fructuariorū. *l. 1. §. recte. D. vſufructuar. quemadmod.* à qua Regula non reperitur exceptus pater vſufructuarius. Poſtremo Dd. ſententia eſt, vbi quis obligatus eſt rē reſtituere, eum tenere etiam inuentariū conficere. Quid igitur dicendū? & veriſſimū mihi videtur non teneri patrē, inuētariū facere p̄ ſupra allegatas ll. & rationes; quamuis non negē & honeſtius, & tutius eum facturum ſi confecerit, tutius, ne poſtea lites oriantur, inter filiū & ipſum & heredes ipſius honeſtius, vt ſe ſuſpicione doli liberet; plus etiam admitto poſſe liberos etiam p̄ iudicem petere, vt patri hoc perſuadeatur, ſi nō ſolemne vt inuentiarum, ſaltem vt ſimplicē deſcriptionem bonorum faciat, vt probat etiam Matth. Weſenbec. *conſil. 92. pa. 2 & Mynſing. cent. 2. obſ. 93 n. 7.* Cæterum iure eum non teneri nec cogi poſſe ex eo apparet, quod neque alii quidem vſufructuarii p̄ciſe teneantur. nam *d. l. 1. §. recte.* conſilium dat domino fructuario, vt deſcriptionem rerū faciat, non autem imperat, vt recte ibi gloſſa docet, & *§. verba demonſtrant.* pra terea *in d. §* ideo hoc conſiliū datur, vt poſſit apparere, an & quatenus fructuari⁹ rē peiorem fecerit, vt ibi ſcriptum eſt. quæ ratio plane in patre fructuario locū non habet, q etiam ſi

iam ſi peiores res refecerit, nõ tenetur. Reliquę obiectiones facile ſolui poſſunt. nã exemp la illa tutorum, & aliorum non quadrãt in patrem, quia longe maiora habet iura in bonis filii, quã illi: imo illi nullũ ius nullumq; cõmmodũ habent, ſed omnia prorſus ad vtilitatẽ pupillorũ referre debent. Similiter non obſtat, ꝙ dictum eſt, hanc inuentarii confectionẽ non eſſe patri grauẽ. nã imo inuentarii cõfectio eſt ſæpe grauiſſima I. propter ſumptus, q in eo fiunt. maxime in his regionib. vbi notarii ex 100. florenis delibãt vnũ. II. propter moleſtias plurimas. III. quia inhumanũ & acerbũ eſt cuiq; oẽs ſuas res, vel pauptatẽ, aut vilitatẽ ſuã detegere, vel diuitias aliorũ inuidiæ exponere, vt ait *l. 2. C, quãdo & quib. 4. pars lib. X I.* Deniq; ita cõſuetudo obtinet, vt pater nę inuẽtariũ faciat, nec teneat, cũ id nulla lege caueatur, vt ſcribit Iohã vetus interpres in *aut de editione instrumentorũ §. viſo n. 4. verbo, oportet.* Atq; hæc ſentẽtia etiã in Camera Imperii Spiræ approbata eſt, & reb, iudicatis cõfirmata teſte Mynſin. *d. cent. 2. obſ. 93.* Hæc aũt omnia nobis dicta eſſe meminerim⁹ de patre fructuario, & adminiſtratore, in cui⁹ poteſtate filius eſt, ꝙ ſi alias pater ſit ipſe tutor filii ſui emãcipati, tũ omnino tenetur ad inuẽtarii confectionem, vt cæteri tutores, ſic & ad rationẽ tutelæ reddẽdam, & p conſequẽs etiã & mater & auia, ſi tutelam filiorum vel nepotũ ſuorũ geſſerit. & merito qa neq; filii emãcipati patribus ſuis quicquã adquirunt, vtpote ſoluta patria poteſtate, neq; filii vlli matribus, cũ nec ſint, nec poſſint eſſe in earum poteſtate,

atque ita recte Caſtrenſis, & alij notant ad *d. l. cum oportet.§.ſed cum tacitas.* per dictam rationem, & argumento *l.ſi ſuperſtite.C. de dolo.& l. licet C.ad L. Falcid.* Cæterum & in patre fructuario atq; adminiſtratore duo ſunt inſignes notandi caſus, in quibus inuendarium facere omnino tenetur. vnus eſt in rebus, quę vſu cõſumuntur, de quarum vſufructu expoſui ſupra ca.X. Alter eſt de morib. Germaniæ pręſertim Saxonię, quibus filius filiaue per nuptias, & per ſeparationem domus exire de patria poteſtate intelliguntur, vt ſupra in cap. V III. docui, quo caſu inuentarium conficere omnino teneri conſentaneũ eſt, & ita reſponderunt Dd. Witebergenſes, teſte Reubero in Quæſtionibus.

CAPVT XII.

Si pater male aduentitia adminiſtrauerit, an remoueri poſſit?

ARdua, & perplexa eſt hæc quæſtio, an pater ab adminiſtratione legitima remoueri poſſit ob dolum, & negligentiam: de qua mirifice video inter Dd. diſputari. Et videtur poſſe per *l. cum oportet .§. non autem æs alienum,* in illis verbis; *Omnia circa vſumfructum facere pater debet, quæ nullo modo poſſint proprietatẽ facere deteriorem.* item p *l. fin.§.1.C de ſentent.paſ.* ibi, *nam ſi patria poteſtate ad corrumpendi.* Tum

per

per *l. Imp. C. ad SC. Trebel.* Poſtremo quia videtur alius vſufructuarius poſſe ob hanc cauſam remoueri. *l. hoc amplius. 9. §. vlt. D. de damn. infecto.* vbi ſcriptum eſt, cum fructuarium qui non reficit ædes, à domino vtifrui prohibendum eſſe. Idem ergo de aliis rebus dicendum eſt, puta ſi arbores fundi exſcindat, ſi ædificia demoliatur. *l. æquiſſimum. §. ſi enim. D. de vſufr. l. 2. D. ſi vſusfruct petat. l. & eleganter. §. 1. de dol. mal.* qua ratione etiam Emphyteutę remouendi dicuntur; vt eſt recepta Baldi opinio, in. *l. Diuortio. §. ſi fundū. D. ſolut. matrimon.* Sed his non obſtantibus, contrarium verius exiſtimo, non poſſe patrem vllo modo remoueri. Id enim nullibi cautum eſt. Igitur non eſt admittendum, præſertim cum ſit contra reuerentiam paternam; & cum omnis remotio ignominiam aliquam afferat, vel ſaltem ruborem inurat remoto. *l. teſtamento. §. 1. D. de manum. teſtament.* Imo contrarium in ſimili expreſſus eſt in *l. ſi quis prioris. § fin. C. de ſecund. nupt.* ibi, *neque patris, neque matris adminiſtrationem filii valeant perſcrutari.* quamuis ibi bona hypothecæ ſubiiciantur ob tranſitum ad ſecundas nuptias. Nō obſtat *d. l. Imperator. D. ad SCtum Treb. & l. fin. C. de ſentent. paſſ.* quas maxime vrgent qui volunt patrem remoueri licet non ſit in dolo, & nouiſſime Schurpfius *conſ. XX. Cent. II.* Sed d. *l. Imp.* loquitur in caſu ſingulari, in fideicommiſſo, quod teſtator alicui reliquerat, vt is ſuo filio, cum è patria poteſtate exiſſet, omnino reſtitueret, & ne quid in ea pecunia, quandiu filius viueret, iuris haberet.

Ad *d. l fin.* reſpondeo, diſerte de patre prodigo & nequam, & vt ipſa lex loquitur, vitiorum omnium ſeruo loqui. talis pater remouendus eſt, imo curator ei dandus, tãquam furioſo *d. l. fin. & l. 1. in fin. D. de cur. furioſ.* Sed hęc remotio vel potius interdictio fit ſola prætoris authoritate *d. l.* 1. non autem actione à filiis eius mota, vel officio iudicis implorato, vt de moribus Atheniensium, & liberis Sophoclis poëtæ ſupra docui. nec hic fit remotio propter bona aduentitia filiorum ſed generaliter propter omnia bona etiam ipſius patris; vt ei interdicatur adminiſtratio *d. il.* Non obſtat etiam exemplum reliquorum vſufructuariorum. Primum, quia male ab his argumentum ducitur ad patrem vſufructuariũ, & adminiſtratorem legitimum, cuius ſumma eſt poteſtas, vt ſupra demonſtrauimus. Deinde nego etiã reliquos vſufructuarios remoueri ob malam adminiſtrationem & abuſum rei vſufructuariæ. id enim nullibi cautum eſt. ſed ſufficit cautio fructuaria, quã præſtãt de fruẽdo boni viri arbitratu, ad q̃ cõueniri à domino poſsũt, & ſtatim quoties aliquid diſſipãt, vel male gerũt *l. 1. §. habet aũt. D. vſuf. quem. caueat.* Nec obſtat *d. l. hoc amplius §. vlt. D de d m. infect.* nam loquitur nominatim de damno infecto, in quo propter periculum imminentis ruinæ, & hoc, & alia ſingularia recepta ſunt, vt oſtendit clare *l. 1. & l. 4. D. eod tit.* Non obſtat etiam *d. l. vlt. § ſin autem æs alienum. C. de bon. quæ lib.* nam ibi prorſus nihil dicitur de remotione patris; ſed hoc tantum dicitur, debere patrem recte filii res adminiſtrare, nec de-

deteriorem facere proprietatem, vt etiam in aliis legibus ſcriptum eſt. vt & in *l. 1. C. de bon. mater.* vbi dicitur, debere patrem omnem diligentiam rei tuendæ adhibere. ſed male ex eo colligitur, ergo pater, ſi non adhibeat remouẽdus eſt & priuandus adminiſtratione. Quid igitur? an impune poterit pater omnia diſſipare? ſed & hac in re legibus proſpectum eſt. prohibetur enim pater vllam rẽ ex aduentitiis filii alienare, vel pignori obligare, in quibus duobus maxime timenda fuit mala patris adminiſtratio. Quod ſi fecerit, leges iubent id factũ irritũ eſſe, conceſſa filio rerum alienatarũ vindicatione, adeo, vt nec præſcriptione longi temporis ab eo excludatur *l. 1. C. de bon. matern. & Auth. niſi tricennio. & ſeq.* Debemus autẽ pœnis legum & remediis eſſe contenti. Neq; noua introducere præſertim in præiudicium patris & patriæ poteſtatis. Sed quid ſi non conſultum eſſet hoc remedio? puta ſi res mobiles ab eo alienatæ ſint nec appareant. in quibus Bartolus putat remouendum eſſe patrem; vt etiam eo caſu, quãdo pater eſt mala fide, vel nõ eſt ſoluendo, vt ſcribit ad *d. l. Imperator, & d. l. cum oportet* §. *non autem hypothecas. & l. vlt. C. de ſentent. paſſis.* Quam Bartholi ſententiam licet Paulo Caſtrenſi & aliis probatam, probare nos nõ debem⁹; quia *d. l. 1. & ſimiles* indiſtincte de omnibus reb. loquuntur, & de qualicunq; patre. plane ſi de pecunia aduẽtitia pater diſſipet, vel alias res prodigat, quarum vſusfructus in conſumptione conſiſtit, is filiis cautum eſt per cautionem, quam pater in illis rebus tenetur præſtare, vt ſupra docui. quod ſi cauere pater non poſſit, tunc nõ improbauerim ſententiam Imolæ

ad *l. ſi conſtante. & ibi Iaſon. D. ſolut. matrim.* qui pecuniam ſequeſtrandam exiſtimat penes aliquem idoneum mercatorem, iuxta ſententiam *ca. per veſtras. ext. de don. int. vir. & vx.* Sic tamē vt pater vſuras eius pecuniæ habeat pro vſufructu ſuo. In Germania, præſertim in his locis cōſuetudo ita obtinet, vt mortua matre ſtatim filiis cōſtituatur aliquis tutor, qui quaſi inſpector ſit patris ne aduentitia bona diſſipet; quāuis pater optimæ exiſtimationis ſit; quod viri ciuili non cōuenit, cū filiusfam. non poſſit habere tutorem. *Inſt. de tutelis in princ.* Et ad has conſuetudines videtur Dd. noſtri reſpicere, cū aiunt alienationē à patre factā conſentiente filio valere, ſi filius non habuit tutorē, vel curatorem argumento *l. 3. C. de in integ. reſtitut. minor.* nec tamen abſurdā hāc conſuetudinē exiſtimare debemus, cum etiam iure ciuili in ſimili caſu reperiatur filiofam. impuberi tutorē cōſtituendum eſſe, quo pater nequiter & luxurioſe viuat, vt in ſpecie *d. l. vlt. & ibi Accurſ. notat. C. de ſentent. paſſ.* Illud ſciendū eſt ſi forte pater ab adminiſtratione remot⁹ ſit, vel iuxta diſtinctionem Bartoli traditam, vel aliorum, qui diſtinguūt inter dolum & culpā, vt propter dolū remoueri poſſit, non propter culpam, vel propter culpam quidem, quæ in committendo nō etiam eam, q̄ in omittendo verſatur; vel etiam deniq; iuxta ſententiam Azonis, qui nulla diſtinctione adhibita, patrem cenſet luxurioſum ſemper remouendum eſſe, Sciendum, inquam, eſt, hanc remotionem patri adimere tantum adminiſtrationem rerum aduentitiarum, non

etiam vſumfructum; cum nec ius patriæ poteſtatis ſoluat. Excipio ſemper caſum *l. Imperator. D. ad SCtum Trebell.* quo etiam patri omne emolumentum fideicommiſſi adimitur, quod malo dolo diſſipabat, alimentis duntaxat ei à filio tribuendis ex reditu, vel fructibus eius fideicommiſſi ꝓpter reuerentiam paternam; vt eſt in fine l. ſcriptũ. Igitur & patri ꝓdigò, & furioſo, & mente capto, cui bonis interdictũ eſt, ille vſusfructus legitimus, quem in bonis aduentitiis filii habet, ſaluꝰ manebit. *l. patre furioſo. D. de his qui ſunt ſui, vel alieni iur. l. Antiſtius. §. fin. alias l. furioſus, D. de acquir. vel omitt. hered.* de qua L. pluribus infra, vbi de hereditatibus aduentitiis agemus. Imo etiamſi pater nõ ſolum bona filii male adminiſtret, ſed etiam ipſum filium male tractet, retinet tamen vſumfructum, & omne ius in eo patriæ poteſtatis; tametſi eo caſu non cogatur filius cum tam ſæuo patre habitare, nec à patre vel vindicatione peti, vel interdicto de liberis exhibendis, iuxta *l. 1. de rei vindicat. l. 3. §. vlt. D. de liber. exhibend.* Contra eſſet, ſi filius cum patre habitare vellet, ſed pater eum domo expelleret, vel alimentis priuaret. tunc enim pater vſumfructum plane amitteret *l. 1. §. ſed ſcimus. C. de Latin. libertat. tollen.* argumento *l. necare. D. de aliment.* vt pluribus docet Pinellus *ad l. 1. part. 1. n. 55. & multis ſeqq. C. de bon. mater.* alere autem etiam patrem non intelligimus, qui filio expenſas denegat ad aliquam artem honeſtam addiſcẽdam, præſertim ſtudia liberalia, qua de cauſa patrem etiam-

ſenẽ,atq; inopem non debere à filio ali Dd. cõſentiunt,vt ſcribit Iaſon in *l. quidam cum filio. n. 33. D. de verb. Obl.* vbi notat idem etiam legẽ Solonis ſancitum fuiſſe; allegatq; Plutarchum in eius vita quod etiam memini à Vitruuio referri; vt dixi in libello de alimentis. Cæterum filio ſi male à patre tractetur, nulla eſt in patrẽ actio;quia iure patriæ poteſtatis id licet, & recte Seneca lib. 3. controu. ſcribit nullum patri curatorem dari,quia iniquus pater ſit, aut impius;ſed quia furioſus. & hoc ipſum tamen nõ actione vlla à filio peti poteſt,vt ſupra demonſtraui eſt quidem apud Rhetores actio dementiæ,ſed ea non huc pertinet,vel,vt pleraque alia,tracta eſt ex moribus Græcorum. Actio autem malæ tractationis quæ in Scholis dicitur, ea ad vxores pertinet, cui in iure Romano reſpondet actio rei vxoriæ,vel actio de moribus, de qua Cuiac. li. 9. obſ. ca. 14. & alii. Illud interdũ filio conceditur, vt ſi contra pietatem à patre tractetur, poſſit petere ſe manumitti,vt à Diuo Traiano conſtitutum eſt, & vt ſupra docui. deinde quidnam illa ſtipulatione contineatur,ſi quis aliquem promittat ſe vt filium tractaturũ,accurate explicat IC. Paulus in *l. cum quidam. D de Verb oblig.*

CAPVT XIII.

De alienatione & aliis quæ patri interdicuntur.

VEre Liuius lib. 48. *Nihil*, inquit, *tuto cuiquã permittitur,ſi ratio non ſit reddẽda:* talis autem

autem eſt poteſtas patribus data in adminiſtrationem rerum aduentitiarum, vt ſupra ſatis expoſitum. Cæterum, ne plane omnis licẽtia patribus concederetur, iiſdem legib. cautum eſt, ne res adu entitias filiorum liceret eis alienare. latè patet hic loc⁹, qui vt recte intelligatur, hęc tria ordine exponem⁹ I. Quid alienationis vocabulo contineatur. II. quænã ſit vis huius interdictiõis, quęq; remedia filio prodita ſint aduerſus alienationẽ patris. III. & poſtremo, qb: nam in caſib. patri permiſſum ſit, res fili. rũ aduẽtitias alienare. Alienationis nomine cõtinetur omnis actus, quo dominiũ rei amittitur vel in alterũ transfertur. deinde, per quẽ venitur ad talẽ amiſſionẽ. Prioris generis ſunt donatio, venditio, dotis datio, ſerui manumiſſio, & ſi q̃ ſimilia ſunt *l. 1. C. de fund. dotali. l. alieno. §. qui fideicõmiſſariã. D. de fideic. libert* Poſteriori genere cõtinetur hypothecæ, & pignoris obligatio. nã debitor, qui res ſuas obligat creditori, nõ transfert quidem in creditorem dominiũ, ſed ipſe retinet. Verum ſi nõ ſoluerit, ꝙ pebet, poteſt à creditorib. pignus vendi *l. pignus. & paſſ. D. de diſtract. pignor. l. ſi ceſſante. C. eod. tit.* idque verum eſt, licet ab initio inter ipſos cõueniat, ne vendere pignus liceret. nam nihilominus vendere poterit, ſi ter debitori denunciauerit, vt ſoluat. *l. 4. D. de pignorat. action.* Quare alienationis nomine etiam pignoris dationem ſignificari videmus *l. vltim. C. de reb. alien. non alienan.* Sæpius tamen diſtinctè ponuntur alienatio, & hy-

pothecæ datio, vt in his legibus, quæ bona aduentitia vetant alienari, vel obligari *l. 1. C. de reb. matern. l. cum non ſolum. §. ipſum autem. C. de bon. quæ lib.* & ratio huius prohibitionis eſt, non tam ne pater diſſipet; ſed quia rerum aduentitiarum dominus eſt filius, non pater. nemo autem rem alienam vel obligare, vel alienare poteſt; & minus quidem obligare quam alienare, vel vendere. nam ſi quis rem alienam vendat, non recte quidem facit, & ſatis illicita venditio dicitur, ſed tamen valet, & obligationem vtrinque parit empti venditi *l. 1. C. de cõmun. rerum alienation.* at rei alienæ obligatio, ſiue oppignoratio nulla eſt, niſi voluntate domini nexa ſit. *l. alieno. & l. petẽti. D. de pignor. act.* ratio differentiæ eſt, quod quis ſe ipſum obligare poteſt. in venditione autem hoc tantum agatur, non vt venditor rei dominium in emptorem transferat, ſed hoc tantum vt rem emptam emptori habere liceat, id eſt, eam poſſidere. *l. 3. l. ſi ſeruus. §. 1. D. de act. empt.* ita vt ſi venditor dominus rei ſit, faciat & venditorem dominum; ſi autem dominus non ſit, obligetur emptori de euictione, ſi à domino res emptori euincatur & auferatur *l. ex empto. §. 1. D. eod. tit.* vel nanciſcitur emptor occaſionem vſucapiendi, *l. clauibus. D. de contrah. empt.* At pignori obligare rem alienam non poſſum; quia ex hac oppignoratione naſcitur actio in rem. non debuit autẽ permitti vt quis onus vel ſeruitutem vel nexum aliquem alienis rebus imponeret. qua in re hallucinatus eſt Petrus Faber

lib. 2.

lib.2.cap.17.Semeſtr.Qui idem in pignore & venditione rei alienæ ſtatuit cōtra diſertos iuris textus;motus conſtit.Diui Pii, & Caii ſententia *l.1.§.vlt.D.quæ res pignori,&c.* Nam loquuntur proprie de rebus, quæ ſunt in noſtro cōmercio.quod ſi non ſint in commercio,puta res ſacræ,& religioſæ,ſimiles,earum vt pignus ſic nec venditio contrahitur. Hæc igitur ſunt, quæ patribus nominatim interdicuntur,in adminiſtratione bonorum aduentitiorum, quibus alia quædam ſimilia aggreganda videntur quaſi alienationis quædam ſpecies, V. G.tranſactio, in iudicium deductio, in Emphyteuſin datio,ſeruitutis impoſitio,teſtamenti factio de iis rebus;nam & teſtamētum alienationis nomine venit.*l.ſi quis prioris.§.2.C.de ſec.nupt.* poſtremo negligentia domini,qui rem patitur ab alio poſſideri tanto tempore,vt eam vſucapiat, vnde vſucapio quoque,ſiue hæc patientia,alienationis verbo contineri dicitur.*l. alienationis. D.de V.S.*Inprimis autem locus inſignis eſt de Actionibus,quas pater exercet nomine rerum aduentitiarum,cum alias dicatur ab Vlp.& Labeone abſurdum eſſe,vt cui alienatio interdicitur,ei permittatur actiones exercere. *l. ait prætor.§.quid ſit autem.D.de iur.deliberād.*Sed hanc abſurditatē abſorbet in propoſito noſtro ius patriæ poteſtatis,ob quam pleniſſima adminiſtratio, & dominio proxima conſtit. principum patri conceſſa eſt.

Capvt XIV.

De alienatione vſusfructus.

QVod ante dictum eſt interdictam eſſe patri alienationem vel obligationem rerum aduentitiarum, id propriè pertinet ad earũ rerum proprietatẽ quæ eſt filii nõ patris; vt vſusfructus contra eſt patris, ideoq; videtur ei permittendum eum alienare, iuxta *l. in re. C. de mandat.* & ſententiam illam Baldi in procœmio C. patrem ſi velit, poſſe omnia ſua bona in mare proiicere, atque ita filios damno afficere. Et in filium quidem quin alienare vſumfructũ poſſit vel vendendo, vel donando, vel alio modo dubitandum non videtur *d. l. cum oportet. §. ſin autem. C. de bon. quæ lib.* ſicut & in quouis vſufructuario ius eſt vſumfructum ſuum rei vſufructuariæ cedere vel vendere. ſed etiam an in alium, atque extraneum alienare poſſit, id quæritur? & ne poſſit hęc facere videtur. I. quia nec filio conceſſum eſt proprietatem alienare, quæ tamen eſt ipſius, vel eã obligare patre viuo *d. l. cum oportet. §. ipſum autem. verſ. filius fa. C. de bon. quæ lib.* II. Quia is vſusfructus patern' non ſolũ continet fructus & commoda omnia rerum aduentitiarũ, vt cõmunis vſusfructus; ſed continet etiam plenam adminiſtrationem rerum, ita vt pater non ſolum ſit vſufructuarius,

ùs,ſed etiam legitimus adminiſtrator, quæ adminiſtratio cum iure patriæ poteſtatis conceſſa ſit, non videtur vllo modo in alium poſſe transferri: nec vſusfructus. III. Quia nec aliis vſufructuariis, qui non ſint adminiſtratores, cōceſſum videtur alienare vſumfructum in aliū quam heredem ſiue dominum proprietatis. alioquin vſumfructum amitteret. *l. ſi vſusfructus. D. de iur. doti l. arboribus* §. 1. *D. de vſufr.* §. *illud: Inſt. eod. tit.* & ibi Iohannes Faber notat. IV. & poſtremo facit huc textus in *d. l. cum oportet.* §. *nō aūt hypothecas, ver. ſi quid.* vbi ſcriptū eſt, licere patri alienare vel quocūq; modo diſponere de fructib. ex vſufructu ſuo perceptis, vel de aliis rebus, quas inde comparauit & collegit, ſiue ſint immobiles ſiue mobiles; at non etiam dicit, poſſe eum alienare ipſum vſumfructum. Atque ita plurimi Dd de vulgari vſufructu ſentiunt, vt non poſſit vſusfructus, ſed cōmoditas eius ſola alienari. arg. *d. l. vſusfructus. D. de vſufruct.* & *l. neceſſario. D. de pericul.* & *commod. rei vend.* Sed contrarium verius eſt, licere patri ipſum vſumfructum alienare, vt alii cuiuis vſufructuario licet. *l. cui vſusfruct. D. de vſufr.* cuius legis hæc verba ſunt, *cui vſusfructus legatus eſt, etiā inuito herede eū extraneo vēdere poteſt* Is igitur vſusfruct⁹ vendi extraneo poteſt q legatus eſt; nō aūt ipſa tantū cōmoditas, vel facultas percipiendi fructus, quę legata nō eſt. Ita igitur & aliæ leges loquuntur, & intelligēdæ ſunt, de ipſo ſcilicet vſufructu, nō de commoditate vſusfructus, leges ſunt iſtæ *d. l.*

Pomponius.§.vſufructuarius. l. non vtitur, & l. ſeq.eod.tit.l.in venditionẽ. D.de reb: authoritate iud.poſſ.§.1.Inſt.de vſu & habitatiõ. cap.nuper. extra de donation.inter vir.& vx. Nõ obſtant quæ in contrarium allegantur,id eſt, ne poſſit vſusfruct' in extraneum alienari, vt *d.l.ſi vſusfructus.D.ſol.matri. l.vſusfructus.9.C.de vſufr. & d.§.1.Inſtit.eod. tit.* Non obſtant,inquam; nam ideo dicitur non poſſe extraneo cedi vel extraneo cedentem nihil agere, nihil transferre, vt intelligamus ex illa ceſſione vel alienatione, nõ alterari neque immutari vſumfructũ, qui eſt in vſufructuario eum cedente vel vendente,id eſt,nec eſſe, nec cõſtitui nouum aliquem vſumfructum in perſona eius in quam alienatus eſt; ſed eſſe eundem vſumfructum qui in alienante eſt. Semper enim verum eſt, ab ipſius vita pendere, & cum ipſo extingui iis modis, quibus conſtitutus eſt fructuario, non autem ex perſona eius, in quem alienatus,iuxta regulam *l.lex vectigalis.D.de pignorib.* reſoluto iure dantis, reſoluitur ſimul & ius accipientis: non etiam vt alienanti vſufructuario hæc pœna infligatur,vt vſumfructum amittat, & is ad proprietatem reuertatur, priusquam vſufructuarius eum legitimis modis amiſerit, id eſt,vel morte vel capitis diminutione.hãc.n. pœnam amiſſionis nulla lege cõſtituta reperimus,vt rectè Hotom.ſcribit ad *d.§.1.Inſt.*Non obſtant etiam alia argumenta ſupra allata,quæ pleraq; pertinent ad vſumfructum hũc legitimũ,& paternũ, de quo agimus. nõ obſtat primum,quod ſcilicet filio interdictum ſit aliena-
tione

tione proprietatis ſuæ. nam huius rei duplex ratio notanda eſt, quæ redditur in illo ipſo *d.§. in fine.§.ipſum autem. Melius enim eſt, coarctare iuueniles calores, ne cupidini dediti triſtem exitum ſentiant, qui eos poſt diſperſum expectat patrimonium*, quæ prima ratio eſt, & egregiè illuſtrari poteſt ex iis, quæ Lucretius lib. 4. elegātiſſimè de amore ſcribit. *Et bene parta patrum, fiunt anademata, mytræ.* Altera ratio ibidem notanda eſt in verbis, quæ ſtatim ſequuntur, *cū enim*, inquit Imperator, *parentes alere filios ſuos ſecundum leges & naturam compellantur, quare ad venditionem rerum ſuarum proſilire deſiderāt.* At ne pater alienet vſumfructum ſuum, & transferat, in quem vult, nulla ratio adferri poteſt. Non obſtat ſecundum de illa patris adminiſtratione; nam neque nos dicimus illam qualitatem tranſire in vſufructuarium extraneum, ſed vſumfructum tantum, de tertio iam ante reſpondi de vulgari & communi vſufructu, nō obſtat etiam quartum, quia non ſequitur, dicit poſſe patrem diſponere de fructibus. ergo negat patrem poſſe alienare ſuum vſumfructum, In ſumma tria hæc diſtinguenda ſunt, fructus, facultas fructus percipiendi, & ius ſiue ſeruitus vſusfructus: De fructibus dubitari non poteſt, quin vt omnes ſuos facit, ſic etiam liberè alienare omnes poſſit etiam futuros, quos ſcilicet durante vſufructu percepturus eſt. *l. nec emtio. D. de contrah. empt. l. interdum. D. de V. O.* facultas autem fruendi, & poſſeſſionis retinendæ etiam iure alienatur; &

fructuarius qui eam alienat, ipſe frui videtur, præſertim ſi pretium accepit. *l. non vtitur. & ll. ſeqq. D. de vſufruct. l. fundi. D. de vſufr. legat.* Vſusfructus autem ius, & ſeruitus cohęret quidem perſonæ fructuarii *l. 3. in fin. D. Quib. mod. vſufr. amitt.* Sed tamen transferri in alium poteſt, talis qualis eſt apud ipſum vſufructuarium; vt id ſolum transferat quod ipſe habeat, & quomodo habet. Idem igitur, quod in cæteris vſufructuariis, etiam in patre dicendum eſt, ſic cohęrere vſumfructum eius perſonæ, vt in ea duret, & extinguatur, quis in aliū ſit ab eo trāslatus vēditione, vel donatione. is n. in quę translatus eſt habet illum ipſum, qui penes patrem eſt, vſumfructum, eaque agere iure vſusfructus poteſt, quæ alii vſufructuarii poſſunt. non dico omnia, quæ pater poteſt; quia maxima illa poteſtas adminiſtrationis, quam pater habet, in quemlibet transferri non poteſt, vt ſupra docui. Poſtremo, illud hoc loco quæritur, ſi pater vendat, vel alio modo alienat res aduētitias, nec quicquam exprimat an ſint aduentitiæ, &c. Item an ſuum vſumfructum dicat ſe vendere, quid hoc caſu iuris ſit? valeat ne alienatio tanquam ſolius vſusfructus facta, an non valeat, vel reſcindi poſſit, quaſi rerum ipſarum facta? variæ enim ſunt hac de re ſententiæ. Sed breuiter ita dicendum eſt, vt ſi vel emptor ſciat res illas eſſe aduentitias filii, tunc emptio valeat ſolius vſusfructus, in hunc enim ſolum conſenſiſſe & ipſe emptor & pater venditor videntur; neque enim poteſt emptor aliud emiſſe intelligi, quam quod ſcit à vendito-

re ſolũ potuiſſe vendi;atq; huc recte facit *l. qui tabernas. D. de cõtrah. empt.* Vbi venditis tabernis, quæ in foro ſunt, non cenſetur quis vendidiſſe ſolũ, quod publicũ eſt, ſed ius tantũ ſuum, id eſt, poſſeſsionem & vſum earũ, qui ſolus vſus ad priuatos pertinet: atq; hoc eſt, quod Hannibal apud Liuium lib. 2. de bello Punico, cũ Romã in propinquo obſediſſet, publice in caſtris ſuis vendidit tabernas, quæ in foro Romano erant; indignatus quod audierat, p eos dies fuiſſe in vrbe q agros illos ille caſtris & corpore poſſidebat, emiſſent. propius etiã ad rẽ noſtrã facit *l. ſi domus. 71. § vlt. D. de Leg. 1.* vbi dicitur, ſi qs alicui fundũ vectigalẽ ſiue Emphyteuticũ legauerit, nõ videri ab eo ꝓprietatẽ rei, id eſt, fundi legatã, ſed id ſolum ius, ꝙ in vectigalib. fundis habem⁹, id eſt, ius ſimile dominio, & vt vulgo dominiũ vtile, nõ directũ. nã directũ eſt pẽnes ciuitatẽ, vel eos, quorũ eſt ille fund⁹ vectigalis. Atq; hoc ita eſt, ſi emptor ſciuit res aduẽtitias, quas emebat à patre. Quod ſi neſciebat, ꝓfecto cenſetur ipſas res emere voluiſſe, & plene, hoc eſt & vſumfructũ & proprietatẽ ipſarũ. quo caſu dicendũ eſt emptionẽ non valere. ſi pater vẽdidit vſumfructũ ſuũ, emptor putauit totã rẽ; cũ ſit diſſenſus in re, quæ emitur, quæ emptionẽ vitat, Donellus & alii allegãt *l. 41. D. de actio. empti.* nam illa L. hoc tantum dicit, ſi venditor celauerit emptorem de onere, ꝙ rei vẽditę impoſitũ erat. venditionẽ propterea nõ reſcindi; ſed emptorẽ, ſi de pretio à vẽditore cõueniatẽ, poſſe petere, vt ratio impoſiti, & celati

oneris habeatur; atque ita ob hanc rem pretiũ minuatur; vel ſi pretium iam integrum ſoluit, agere poterit actione æſtimatoria quanto minoris, vt recte Cuiac. docet ad *l. ſtipulatio iſta. §. ſi quis forte. D. de V. O.* Cæterum incongruũ non eſt, ſi fortaſſe dicatur emptionem talem à patre factam valere quidem, & obligari eum emptori ob dolum, cum rem emptam emptori haberi non liceat, per filium ſcilicet, cui datur rei vendicatio rerum ſuarum à patre alienatarum, vt ſupra dictum eſt. Illud animaduertendum eſt, ſi pater fundum, vel agrum aduentitium dicat ſe vẽdere, adiiciens vſq; ad ſuam vitam, ſiue vt emptor habeat ad vitam eius, hoc modo intelligi debere ſolũ vſumfructũ ſuum à patre venditum eſſe; quantumuis proprietatis vocabulo vſus ſit, cum fundum vel agrum dixit ſe vendere *l. quæſtio* 115. *§. 3. D. de V. S.* ſicut rei vocabulo non ſolum corpus, ſed & ius ſignificatur *l. 4. §. ad iura. D. de ali. iud. mut. cau. fact.* diſtinguiturque res à poſſeſſione rei; vt in definitione furti *l. 1. D. de furt. l. qui abſenti. §. 1. D. de acquir. vel amitt. poſſ.* Nam illa adiectio, quam dixi, ſatis demonſtrat, patrem de ſolo vſufructu fũdi intellexiſſe, vt in ſimili valde ſpecie probat Cuiacius, & ſingulare vocat in *c. nuper. 6. extra de donat. inter vir.* vbi illis verbis, ſi qua terra data fuerit alicui, quam dixerit poſſidendam, vſusfructus hic datus eſt, & ſignificatur. *vt & l. 3. §. vlt. C. de ſecund. nupt.* quo pertinet illud à Dd. paſſim receptum, ſi vir dicat in teſtamento, ſe vxorem ſuam relinquere

quere dominam & gubernatricem rerum ſuarum, iis verbis non intelligi aliud relictum quã vſumfructum; præſertim ſi liberi extent, vel heredes vniuerſales à patre inſtituti ſunt, quo caſu gloſſa ex ſententia Bulgari non vſumfructum ſed ſola alimenta matri relicta eſſe dici t., Ita enim vulgaris eſt vſus loquendi, cum vſum-fructum maritus, vel vxor relinquit, vt docet Zaſius ex communi opinione quam ait conſil. 18. vol. 4. n. 2. allegata *l. 1. cum Auth. hoc locum. C. ſi mulier ſecund. nupſ. & l. Titio. §. fin. & ibi Bartol. D. de Leg. 2.* Vt autem proprietatis nomine aliquando intelligitur vſusfructus, vt iá docui; ſic vice verſa vſusfructus nomine intelligitur proprietas. *l. vlt. D. de vſufruct. ear. rer. l. Proculꝰ, D. de vſufr. l. donationes. §. 1. D. de donationib.* & ita etiam in caſu ſibi propoſito Zaſius in dicto conſilio probat, matrem eſſe dominam & vere proprietariam. An delicto patris vel filii vſusfructus publicetur aduentitiorum vel alterius peculii, dixi ſupra cap. XVIII. vbi de modis eius amittẽdi dixi. An autem ceſſione bonorum per patrem vel filium facta creditoribus adiudicetur, dicam in fine huius libri.

CAPVT XV.

De tranſactione, compromiſſo, & fideicommiſſo.

TRanſactio, & compromiſſum in iure com-

patari ſolent. eſt enim vtrumque de re aliqua controuerſa compoſitio quædam amicabilis, dum receditur à lite & iudiciis. & ſicut in trãſactionibus nõ totum quis accipere ſolet, quod petit, ſed remittit aliquid de iure ſuo *l. ſi ſuper. 9. C. de tranſactionib.* ſic & in arbitriis. eaque re arbitrium differt maxime à iudiciis, de quo notus eſt ille Senecę loc⁹, *Iudice formulæ includ:t. &c.* & ille Cicer. pro Q. Roſcio, *Ad iudiciũ hoc modo venimus, vt totam litem aut optineamus aut amittamus; ad arbitrium hoc animo adimus, vt neque nihil neq; tantũ quantũ poſtulabimus, conſequamur.* Igitur nec compromittere pater poſſe videtur, nec tranſigere de rebus aduentitiis. Quia & compromiſſum & tranſactio. quędam eſſe ſpecies alienationis videntur, vt cui alienatio interdicta eſt, vt patri in rebus aduentitiis, eidem & cõpromittendi & tranſigendi de iiſdem rebus poteſtas adempta videatur. *c. cum tempore. ext. de arbitr. cap. contingit, ext. de trãſact.* & vtrobique Panormitanus notat. *l. non ſolum. C. de pred. minor. l. 1. D. de offic. procurator. Caſ.* facit huc exemplũ Vaſalli, & Emphyteutę, quos non poſſe ſine conſenſu directi domini compromittere & tranſigere de re feudali & Emphyteutica, verius videtur vt idẽ Panorm. & Imola putant, per Regulam ibi traditam, cui alienatio &c. Poſtremò prohibita alienatione omnia videntur eſſe prohibita, per quę ad alienationem quandoque perueniri poteſt. argumento *l. codicillis. § . matér. & ibi Bartolus. D. de leg. 2. l. ſi ad reſoluẽdum. & ibi Bartol. & Salicetus. C. de pred. minor.* Sed his non obſtantibus

dicen-

dicendū eſt, vtrūq; patri permiſsū eſſe in bonis aduentitiis & cōpromittere & trāſigere. Moueor his argumētis. I. Quia pater ob cauſas neceſſarias alienare res aduētitias poteſt *l. cū non ſolū. §. ſin aūt as al. C. de bon. qua lib.* Talis autē cauſa videtur hæc eſſe trāſactionis & cōpromiſſi, cū nō ſint niſi de reb. cōtrouerſis. II. q̄a pater omnino poteſt actiones mouere, & exercere in judicio de his reb, *d. l. vlt. cū nō ſolū. §. vbi autē,* Ergo etiā ei permittēdū eſt trāſactionē & cōpromiſſum facere; cū ſit tranſactio de ea re de qua lis & iudiciū eſſe poteſt *l. 1. D. de tranſ.* Cōpmiſſa aūt ſint ſimilima iudiciis, imo plane ad inſtar iudiciorū redacta eſſe dicantur. *l. 1. D. de recep. arbit.* Perperā doctiſſim⁹ vir hāc Accurſii ſentētiā in *l. 10. D. de Tranſ.* improbat; q̄a vt in agēdo, ſic in tranſigēdo cōſensū filii exigo, inquit, ne alioquin fructuari⁹ proprietatē lędere videat̃. alleg. *d. l. vlt. §. vbi aūt in vnū: & §. ſin aūt nō habeat. C. de bo. qua li.* Sed & actiōes mouere pl⁹ eſt, q̄ trāſigere, de quo infra, vbi quaten⁹ pater, quaten⁹ filius actiones exerceāt, agetur. & ꝓprietatē lædi negam⁹, niſi res alienet̃, de quo mox & poteſtas patris hāc lęſionē admittit. III. argumētū ab tutore duci poteſt, q poteſt de rebus vtilib. tranſigere. *l. p̄ſes. C. de tranſ.* IV. & poſtremo nulla l. reperitur, q̄ hiſce reb. patri interdicat. cū pleniſsimā poteſtatē poti⁹ ei tribuāt *l. 1. & paſ. C de bon. mat. & C. de bon. qua li.* ergo & hæc quoq; duo patri pmiſſa cēſeri debēt. Excipit̃. n. legib. ſola alienatio, & hypothecæ datio ab illa libera poteſtate. q̄ exceptiones cōfirmāt regulā in caſib. non exceptis, vt vulgo dici ſolet *l. quæſitum. §. idem reſpondit.* & *l. cum pœna.*

§.cum fundum.D. de fund.& inſtrument legat. Non obſtant argumenta ſupra in contrarium allata.& primum quod tranſactio & compromiſſum ſint ſpecies alienationis,neq; enim hoc ſimpliciter verum eſt; neq; neceſſario ſequitur alienatio ex tranſactione vel compromiſſo;vel ſi ſequeretur,tum alienationis cuiusdam neceſſariæ ſpecies ſunt;cum,vt dixi,vtrumque ſit de lite & re dubia; in alienatione autẽ neceſſaria non habet prohibitio locum de alienatione facta,vt plurib. poſtea demonſtrabimus; & generaliter alienatione prohibita intelligitur prohibita tantum voluntaria, non etiã neceſſaria *l.1.D.de fund.dota.l.3.§.3.D.de reb.eor. qui ſub tutel.* Ad ſecundũ de Vaſallo & Emphyteuta,reſpondeo,plurimum eos diſtare à patre legitimo aduentitiorum bonorũ adminiſtratore.igitur argumentum non valere,vt à diſparatis ductum. Deinde vaſallũ & eius ſimilitudine Emphyteutam etiã inſcio domino poſſe tranſigere cõplures tradunt,& probant in *cap. de vaſallo.titul. ſi de feud. fuer. controuer. & cap.1. de controu. inter vaſallum & alium.* Ad tertium & poſtremum,nego illam ſententiam perpetuam eſſe,vel pro regula habendam,cum ſit potius commentum & Brocardica,vt vocãt Dd. Cæterum vt in re dubia, & perplexa Baldi diſtinctio in d cap. ſi cõtrouerſia;omnino mihi æquiſſima videtur, quã pleroſq; etiã interpretes ſequi video,nõ ſolũ in patre,adminiſtratore,ſed etiã in Vaſallo & Emphyteuta;nec ſolũ in tranſactione,ſed etiã incõpromiſſo. licet de hoc magis dubitari ſoleat, an admittẽdum ſit.

ſit. Diſtinctio hęc eſt tripartita; aut enim tranſactio ita fit, vt rem aduentitiam ſiue feudalem, quam pater vel Vaſallus poſſidet, retineat, aliqua re inuicem data vel compromiſſa aduerſario ſuo; aut vt aduerſarius ipſe, qui rem aduentitiam poſſidet, retineat, modo aliquo iure nitatur: & his caſibus tranſactio à patre vel vaſallo facta valebit. & ratio eſt optima, quia in his caſibus nulla verſetur alienatio, id eſt, trãſlatio rei aduentitiæ, vel feudalis in aduerſarium. *l. nulli. & l. 1. ſi pro fund. & ibi gloſſa & Dd. D. de tranſactionib.* Aut denique tranſactione & cõpromiſſo id agitur, vt poſſeſſio rei, & res ipſa in aduerſarium transferatur: & hoc ſolo caſu recipi poteſt, ne tranſactio valeat, cum contineat alienationem, atque ita, vt dixi, plerique ſentiunt teſte Iulio Claro quæſt. 29. & 38. Supereſt nunc vt etiã de Diuiſione aliquid dicamus, quæ & ipſa videtur patri interdicta eſſe; quia ſit tranſactioni ſimilis, & ſpecies quædam alienationis. *l. non ſolum. C. de prædi. minorum. l. ſi pupillorum. in princ. D. de reb. eor. qui ſub tutel. l. in ſolis. D. de vſucap.* Cæterum omnino videtur patri permittenda eſſe, inter filios tamẽ & bona fide ſi ab eo fiat, hereditatis puta maternę, in qua diuiſione interpretes controuerſantur, vtrum in ea diuiſione requiratur Decretum iudicis, vt ſolet requiri in alienatione rerum minoris. Et Baldus quidem id adfirmat in *l. generaliter. C. de ſec. nupt.* quia diuiſio ſit alienationis ſpecies, in qua decretum requiri conſtat. *l. non ſolum. C. de præd. min. l. magis puto. D. de reb. eor. cum ſimil.* Sed hoc verum eſt in tutore, & cura-

tore. cæterum in patre adminiſtratore legitimo magis eſt, ne decretum iſtud requiratur, vt infra cap. XIX. demonſtrabimus, vbi de conceſſa patri alienatione dicemus.

CAPVT XVI.

De ſeruitutis impoſitione.

ALienationis verbo etiam ſeruitutis impoſitio continetur, ideoque & alienationis prohibitione ea prohibita intelligitur *l. pen. C. de reb. alien. non alien.* Neque obſtat *l. recte dicimus. D. de V. S.* Nam fateor ſeruitutem non eſſe partem domini eius rei cui eſt impoſita, imo potius eſt eius onus. nec libertas, quæ per ſeruitutes minuitur, eſt pars dominii. dominiũ.n. plenũ eſt meũ fundi, quamuis ei impoſita ſit ſeruitus. putaiter, actus *l. cũ filius. §. dominus. D. de Leg. 2.* Excepta ſeruitute vſusfructꝰ, nam decedente vſufructu, non proprie quis dicitur plenus dominus rei. nam vſusfructus omnia rei emolumenta continet *l. Mauius. D. de leg. 2.* at dominium rei recte habere dico etiam ſine vſufructu *d. l. recte.* in propoſito autem noſtro duplex incidit quæſtio. Vna eſt, an prædio vſufructuario ſiue aduentitio ſeruitutẽ pater adquirere: altera, an poſſit eidem ſeruitutem imponere? quod ad priorem attinet, dubitandum non videtur, quin pater non ſolum ſerui-

ſeruitutes, ſed alia commoda poſſit adquirere filio in bonis aduentitiis, vt Adcurſius, Bartolus, & alii docent in *l. quod dicitur. D. de V. O.* & ibi Iaſon communem hanc opinionem appellat: quæ tamen mihi non probatur, nec iure nititur. pater enim ſtipulando filio, iis tantum in cauſis adquirit, in quibus per filium ſibi ipſi adquirit, quodque ſtipulatur, ad eum per filium rediturum eſt *d. l. quod dicitur. & l. 2. C. de contrah. ſtipulation.* non autem in quibus cauſis patri adquiritur, ſed filio, veluti in cauſis peculii caſtrenſis, ſi pater filio ſuo ſtipuletur nihil aget, id eſt, nec ſibi, nec filio adquirit, iuxta regulam traditam, neminem alteri ſtipulari poſſe, nemini per alterum actionem adquiri, niſi per eum qui in eius ſit poteſtate vt filius, vt ſeruus. *l. ſtipulatio. §. alteri. & ibi late Donellus* diſputat contra Dd. rectiſſime. Quod ſi in cauſa peculii aduentitii pater filio ſtipuletur, hactenus tantum ſtipulatio valebit, quanti patris intereſt, vt ſcilicet patri adquiratur actio, quod ad ſuum vſumfructum duntaxat. *l. dominus. 29. D. de V. O. §. alteri. Inſtit. de inutilib. ſtipul.* Sed tamen, vt dixi, communis opinio eſt, patrem filio ſtipulantem in cauſis peculii aduentitii filio actionem adquirere, ſi non directam, vt plerique tradunt, ſaltem vtilem, vt Zaſius ſcribit ad *d. l. quodcunque. §. ſi quis ita. D. de V. O.* & Cuiacius ad *d. l. dominus. in fine.* qui Cuiacius valde probabiliter illa verba *d. legis. ſecundum quod leges permittunt*, item *leg.*

quod dicitur, illa verba, *quæque adquiri patri poſſunt*. à Triboniano adiecta puta, propter nouas conſtitutiones ex quibus patri non adquiruntur bona aduentitia. iuxta eam ſententiam igitur dicendum, eſt patrem ſine dubio adquirere poſſe ſeruitutem prædii aduentitii cum id multò minus ſit, quam res ipſas & prædia adquirere, præſertim cum pater teneatur omnẽ cuſtodiam, & vtilitatem rerum aduentitiarum præſtare. Quod non ita locum habet in aliis fructuariis, qui non poſſunt ſeruitutem fundo fructuario adquirere. *l. ſed ſi quid* 15. *§. final. D. de vſufr.* Quod ſit conſentienter *d. l. ſtipulatio. §. alteri. D. de V. O.* Altera quæſtio eſt & magis huius loci propria, An pater poſſit prædiis filii, in quibus vſumfructum habet, ſeruitutem aliquam imponere? & ſiquidem vulgaris vſusfructus rationem ſequitur, ita conſtitutum eſt, non poſſe fructuarium ſeruitutem vllam conſtituere in prædio fructuario; quod quidem certi iuris eſt, ſi id ſine conſenſu conetur domini, id eſt, proprietarii. non poteſt enim proprietatis cauſam deteriorem facere. *l. ſi cuius. §. fructuarius. D. de vſufruct.* ne dum, vt minuere eam poſſit; quod ſane fit per ſeruitutis conſtitutionem. *l. ſtipulatio iſta habere. §. ſi quis forte. D. de verb. obl.* Quamuis illud receptũ ſit vulgo, poſſe vſufructuarium ita conſtituere ſeruitutem, vt ea tam diu duret, quam diu durat ipſius vſusfructus. quod quidem in ſeruitute perſonali, puta vſufructu libenter admitto, vt ſatis ſupra

pra cap. XV. demonſtraui;in reali verò, puta itinere, actu, via dubitari poteſt;quia hæ ſeruitutes debentur rebus, non perſonis, & natura ſunt perpetuæ, neque ad tempus cõſtitui poſſunt. *l.* 4. *D. de ſeruitutib.* Cæterum ſi non ipſam ſeruitutẽ, at ſaltem ſeruitutis realis vſum poſſe a fructuario concedi puto, donec ſcilicet vſusfructus eius duret. quod idem in Vaſallo, & Emphyteuta probatur *cap.* 1. §. *quid ergo. de inueſtitur. de re aliena facta*: & Regula *l. lex vectigalis. D. de pignorib.* Dico vſum ſeruitutis, qui conſiſtit in facto, non in iure: vt nimirum liceat huic cui vſusfructuarius id conceſſit, ire, agere, &c. nõ iure ſeruitutis vllius, ſed iure obligationis perſonalis, qua ſe fructuari⁹ ei obligauit. Idem igitur in patre admittendum eſt; imo etiam in patre amplius, nimirum vt ſeruitutem recte conſtituere poſſit, ſi ad vtilitatem filii ea res pertineat, puta vendendo eam vel permutando, vt ſcribit Pinellus ad *l.* 1. *par.* 3. *n.* 70. *C. de bon. matern.* Sed an veram ſeruitutem poſſit fructuarius conſentiente domino imponere prædio fructuario, ardua quæſtio eſt propter mirabilem textum in *l ſi d & ſi quid* 19. §. *fin.* & *l. ſeq. D. de vſufructu.* vbi id negatur apertiſſime, cuius rei idoneam rationem nemo hactenus potuit adferre. nam Ludouicus Vitalis lib. 2. var. lect. cap. 8. eſt inter illos ſciolos numerandus, quos Pinellus refellit ad *d. l.* 1. *p.* 2 *n.* 24. Mihi non diſplicet & Conani, & Pinelli ſententia, qui textum illum varie exponunt & corrigunt. illud ego animaduerto in

d §.*vlt.* nihil dici de fructuario, quod ipſe non poſſit conſtituere vel imponere ſeruitutem etiam conſentiente domino ſed ſimpliciter eum non poſſe imponere, ex quo corruit ſententia Cuiacii in *d.* §. *religioſa*; in verbo; *niſi conſentiente. Inſt. de rer. diuiſ.* Quare ille textus nihil obſtat, quo minus fructuarius cum conſenſu domini ſeruitutẽ imponat. imo hoc mihi diſertè probat, ideoque incunctanter, & contra omnes dicendum eſt, id fructuario concedi cum conſenſu domini, & per conſequens patri quoque fructuario & legitimo adminiſtratori. Quod autem vice verſa proprietatis dominus non poſſit ſeruitutem imponere cõſentiente etiam vſufructuario, vt eſt in fine *d.* §.*vlt.* id mirabiliſſimũ eſt; quoniam vnicuiq; licere debeat ſuo iuri renunciare, & vſusfructuarius poſſit totum vſumfructum proprietario cedere, & donare *l. fructuarius. D. eod. tit.* cur ergo non ſeruitutẽ tantum poſſit dominus eius conſenſu conſtituere? Pleriq; illam rationem afferunt, quia ſcilicet nemo ſeruitutẽ poteſt conſtituere, niſi qui plene & perfecte dominus ſit *l.* 2. *D. cõ. prædior.* in qua tamen nõ eſt illud de pleno & perfecto dominio; & ſi eſſet; tamen hic fructuarii cõſenſus faceret plenum & perfectum dominium proprietarii, ſicut ſocius poteſt ſocio conſentire ſeruitutem imponere in fundo communi. *l.* 11. *D. de ſeruitutib. ruſt. præd.* Donellus lib. 10. comm. cap. 11. illã rationem reddit; quia conſenſus vſufructuarii in hac re improbatur iure, propter illam regulam qui non poteſt alienare, is nec poteſt alienanti

domini cõſentire *l. cũ quis. D. de Reg. Iur.* quę ratio licet ſit ingenioſa, tamẽ nõ diluit ſuperiores obiectiones; & illa regula potius ptinet ad dominos, quib certis de cauſis interdicta eſt rerũ alienatio, de quibus in *tit. Inſt. quibus alienar. non licet.* Quare vt in re perdifficili mihi placet illa Accurſii ſolatio, qui ait, non poſſe proprietarium imponere ſeruitutem etiam cum cõſenſu fructuarii, nimirum ita vt ea impoſita perduret vſusfructus; hoc enim fructuarii cõſenſu vſumfructũ amitti, argumẽto *l. apud Labeonem. §. quæſitum. D. de dol. mal. exception* niſi expreſſe fructuarius proteſtatus ſit, ſaluo ſuo vſufructu. *l. ſi debitor. §. in venditione. D. quib. mod. pign. vel hypothec. ſoluat.* eaque ratio cum allegatis ll. ſatis probatur, tum *l.* etiam huic ſubiecta. *§. vlt.* in qua ſcriptum eſt, ſi deterior fructuarii conditio non fiat per impoſitionem ſeruitutis, tum demum licere proprietario imponere eam, puta ſi imponat ædibus fructuariis hanc ſeruitutem, ne videlicet liceat altius eas tollere & vicini luminibus officere. Sed hoc de proprietario. fructuarius autem, vt dixi, non poteſt vllo modo ſeruitutem imponere, vtpote qui nec adquirere eam poteſt, vt in *d. § vlt.* ſcriptum eſt, at quin proprietario conſentiente & adquirere eam & imponere poſſit, nulla lex, nullaque ratio prohibet.

CAPVT XVII.

De Emphyteuſi, & Locatione.

QVod ad Emphyteuſin attinet, omnino dicendum eſt, non licere patri vllo modo res aduẽtitias in Emphyteuſin dare; cum Emphyteuſis ſit ſpecies alienationis *d. vlt. C. de re. alien.* & in Emphyteuticariũ tranſeat vtile dominium *l. 1. & 2. D. ſi ager vectigal.* idemque eâdem ratione probandum eſt de infeudatione, vt non poſſint in feudum à patre dari res aduentitiæ filiorum, cum ſint alienæ; & Vaſallus ſit quaſi dominus; *cap. vnico. § ſic etiam res per quos fiat inueſtitura.* De locatione, duplex eſt quæſtio, vna de ea quæ ad modicũ ſiue breue tẽpus, alia de ea quæ ad longũ tempus fit. lõgum autẽ tempus hîc definiunt decennium, vel vlterius, ſecuti omnes Accurſium in *l. 2. D. ſi ager vectig.* teſte Couar. 2. reſolut. cap. 26. & Pinello *ad l. 1 p 3. n. 63. C. de bon. matern.* Igitur de locatione ad modicum tempus Dd. ita tradunt, vt ea recte fiat à patre in bonis aduentitiis, quia nullam ſpeciem alienationis contineat, tum quia tutoribus idem permiſſum eſt in bonis pupillaribus, adeò quidem, vt nec pupillus talem locationem reſcindere poſſit finita tutela, nedum finito locationis modico tempore *l. ſi tutel. D de adminiſtrat. tutor.* & notant Dd. in *l. ſi filiusfamil. § ſi vir in quinque. D. Sol. matri-*

[illegible]. Imo tenetur pupillus, vel filius locationi ſtare præciſe. quod in locatione rerum dotalium à marito facta paulo ſecus ſe habet. nam vxor, heresue eius non tenetur ſoluto matrimonio præciſe ſtare ei locationi, ſed ita, niſi marito cauere velit, ſe omne damnum marito præſtaturum, quo caſu contigerit maritum actione ex conducto damnari, colono aduerſus eum agente, vt eſt receptior interpretatio *d. §. ſi vir*, quam etiam Duar. ibi ſequitur, qui & rationem differentiæ eleganter reddit inter maritum, & tutorē. Sed de patre, qui fructuarius eſt, opponi poſſe video exempla reliquorum fructuariorum, qui ſcilicet locauerint rem fructuariam. ea locatio non tenet heredes ipſius, *l. ſi quis domum. §. 1. D. Locati.* Reſp. primum, maiorem eſſe poteſtatem patris, quam aliorum vſufructuariorum; cum pater etiam ſit legitimus adminiſtrator. deinde nos hic agimus de filio, non tanquam de herede patris ſui, ſed vt de eo in cuius bonis aduentitiis pater vſumfructum legibus conſtitutum habet, & qui ea bona poſt mortem patris recepturus eſt, quantumuis non ſit heres patris, quia patri de iis teſtari nullo modo licet. *l. 1. §. & paſſim. C. de bonis mater. & l. cum oportet. C. de bon. quæ lib.* Rurſus ita quis opponat, ſi filium non tanquam heredem & ſucceſſorem patris vniuerſalem ſpectemus, ergo poterit locatione per patrem facta reſilire, quia ſingularis ſucceſſor non tenetur ſtare vlli locationi, puta emptor domus, à venditore factæ, *l. emptorem. C. de locat.* Reſp. filium hic ne-

que vt ſingularem, neque vt vniuerſalem ſucceſſorem conſiderari oportet, neque enim vllo modo ſuccedi patri in his bonis aduẽtitiis ſed iure domini & proprietarii ea bona recipit finito patris vſufructu, & adminiſtratione. Deinde patri id permiſſum eſt, vt dixi, ratione legitimæ adminiſtrationis, ſicut & marito eiuſdem adminiſtrationis, quam habet in reb. dotalibus, vnde & pro domino in iis habetur. Locatio autem ad longũ tempus, an patri permiſſa ſit plus dubitationis habet, nam hæc locatio videtur alienatio quædam. certe comparatur locationi perpetuæ & emphyteuſi ab Adcurſio in *d. l.* 2. atq; ita Dd. ſentiunt. quod ſane in locatione perpetua, vt accipi in iure noſtro ſolet verbum perpetui id eſt, vſque ad 30. annos, admittendum omnino puto; in locatione autem ad decem vel plures annos non item; quia hęc locatio nullo modo dici poſſet alienatio, vt recte idem Adcurſius ſcribit in *l. codicillis.* al. *l. Titius* §. *Scæuola. D. de leg.* 2. & ille §. ſatis probat. vt mirer hãc ſententiam Adcurſii paſſim à Dd. damnari, vt ſcribit Caſtrenſis *ad l. vlt. C. de reb. alien. non alienand.* ſed ſi ſpectatur Adcurſii gloſſa; deprehẽdi eam falſo allegari à Dd. certè eam nihil de longi temporis locatione loqui, imò diſerte hoc ait, prohibitũ alienari ſi is in cẽtum vel etiã mille annos rem locet, non tamen videri alienare arg. *d.* §. *Scæuola, vel* §. *inſtituto.* & *l non ſolet. D. Locat.* Sed hoc recte dicitur in iis caſibus, quibus ipſe dominus rei puta heres prohibitus eſt à teſtatore alienare, non autem vbi tutor vel adminiſtrator alienare prohibetur. Id

enim

enim ideo non poſſunt in longum tẽpus, aut vt ego ſentio in 30. annos locare, quia ſcilicet res reſtitui debet dominis ſuis, id eſt, filio, vel pupillo, vel vxori. De vſucapione dicam infra cõmodius, vt & de exercitione actionũ in reb. aduenticiis, in quibus etiam alienationis ſpecies contineri videtur, vt ſupra monui. De alienatione per teſtamentum, id eſt, heredi inſtitutione, & legato ſupra monui prohibita alienatione contineri; cum per ea maxime dominiũ transferatur in heredem, vel legatarium *l. ſi quis ita §. eadem l. D. de V. O.* De permutatione idẽ plane quod de venditione dicendum, multoq; magis de donatione niſi forte ad antidora, de qua Cuiac. *ad Nou.* 7. & nos infra in cap. ſeq. nonnihil dicemus.

CAPVT XVIII.

De Vi interdictionis.

ALterum quod de interdicta alienatione quæri diximus eſt vis & effectus huius interdictionis. cuius ſumma hæc eſt, alienatione contra leges à patre facta, eam & pater & filius reuocare ac reſcindere poſſunt, rẽ, inquã, alienatam vindicare pater filii nomine, filius nomine ſuo, *l.* 1. *in fine, C. de bonis mater,* ſic, vt

nulla vindicanti filio obſtet exceptio temporis niſi præſcriptio temporis 30. annorum. *Auth. niſi tricennale.* quæ ſubiecta eſt *d. l.* 1. *ſumpta ex Nou.* 22. *de nuptiis.* §. *ſed quod ſancitum, vel cap.* 24. Primum igitur videndum eſt, an venditio aliaue à patre facta alienatio ipſo iure nullius momenti ſit, atque non ſolum filio nihil noceat; ſed neque patri, neque fideiuſſoribus eius? & videtur dicendum, ipſo iure non valere, vtpote cum facta ſit contra interdicta legum iuxta Regulam *l. non dubium. C. de LL.* atque ita in ſpecie noſtra vel propoſito ſancit *d. Nou. de nuptiis.* vbi ſcriptum eſt. ſi quid tale à patre factum ſit in bonis aduentitiis pro nõ facto, proq; non ſcripto habendũ eſſe. Sed contrariũ verius eſt, valere eam ipſo iure, ſicut valet rei alienæ venditio *l. rem alienam. D. de contrah. empt.* Nec obſtat d. regula l. *dubium,* quia *d. l.* 1. *C. bonis matern.* aliæque ſimiles, non ſimpliciter, ſed reſpectiue & ſecundum quid prohibent patrem alienare, ita vt ſi alienet, concedant filio vindicationem, ideoq; ſuadent emptori vel alii, qui eas res à patre accipit, vt fideiuſſorem ſimul à patre accipiat. Valet igitur alienatio etiam quodammodo, quo ad filios, licet eam reuocare poſſint, deinde & quidem firmiter aduerſus patrem, & fideiuſſorem, vt ii teneantur emptori, ſicut rerum dotalium vel donationis propter nuptias; quamuis ipſo iure nulla ſit harum rerum alienatio quo ad mulierem, eoque differt à rebus aduentitiis. *Nou.* 61. tamen valet firmiter, quo ad obligationem mariti alienantis, & qui cum eo cõtraxit

noui Nou. & *l.ſi rem alienam.§.pen.l.ſi pignore §. primo D.de pignor. action. l.ſi ab eo. D.de pignorib.* Neque obſtat d. *Nou. de nuptiis cap. 24.* nam ſine inſpecto etiam, id eſt, rei vindicatione, quæ filio datur, perinde eſt ac ſi nihil geſtum eſſet, quod ad filium attinet; ſecus eſt quo ad patrem, & fideiuſſores: in eorum enim præiudicium ſane valet; vt etiam gloſſa ſcribit ad *d. l. 1. C. de bon. matern.* allegata *l. & ſi is. C. de præd. minor.* Nun de patre cognoſcamus, quem reuocare alienationem à ſe factam poſſe, ſupra diximus. Cui nulla obſtant. ac primum, quod nemo contra ſuum factum venire, vel audiri debeat. *l. poſt mortem. D. de adoption. l. cum profitearis. C. de reuocand. donation.* item quod, eum, quẽ actio euictionis tenet, agentem repellat exceptio. *l. vindicantem. D. de euiction.* patrem autem emptori vel alii de euictioni teneri, certum eſt. Sed hæc non obſtant, neque habent locum, vbi lex ipſa prohibet alienationem, idem vbi is qui vendidit, vel alienauit non dominus, ſed adminiſtrator tantum fuit, qualis eſt pater in aduentitiis, prælatus in Eccleſiaſticis, maritus in vxoris bonis. His etiam omnibus, & ſimilibus datur poteſtas reuocandi à ſe alienata, durante ſcilicet patria poteſtate, vel officio prælaturæ, vel matrimonio. *l. quemadmodum in fine. C. de agric. & cenſit. cap. ſi quis presbyterorũ. extra de rebus Eccleſ. non alienand.* perſeram. cum reuocent alienationem non ſuo, ſed filiorum, vel Eccleſiæ, vel vxoris nomine, atque ita vt nomine procuratorio, &

alieno quod non vetat Regula *d. l. vindicantem.* quæ loquitur de hoc caſu quando is qui alienauit, vult reſcindere alienationem nomine ſuo, forte quia nouum aliquod ius in re alienata nactus ſit, vt eleganter docet Adcurſius *Inſt. in princ. verbo interdicta. Quib. alienare non licet.* quem Dd. plerique ſequuntur. Atque ita pater ſimileſque adminiſtratores cum alieno & procuratorio nomine hic agant, non tenentur de euictione, & per conſequens non repellentur per dictam Regulam. Neque id ſolum in bonis aduentitiis a patre alienatis locum habet, ſed etiam in rebus fideicomiſſo obnoxiis, & filio reſtituendis. eas enim pater à ſe alienatas recte reuocat filii ſui nomine, vt tradit Paul. Caſtren. in *l. filiusf. §. 3. in fin. D. de leg.* 1. Et nouiſsimè reſpondit etiam Menoch. *conſil.* 116. *incipit prima. n.* 47. *& ſeq.* vbi etiam ad quaſdam obiectiũculas in hac re reſpõdet, veluti ad illud dictum Pauli & Iuriſconſultorum, *Filius; ergo heres.* Item, quod patris & filii perſona vna eſſe dicatur. *l. vlt. C. de impuber. & aliis.* Itemque quod eſſe dicatur vtriuſque vox §. *ei vero, Inſtit. de inutilib. ſtipul.* Quod omnium optime explicat Donellus in *l. ſtipulatio iſta habere §. alteri. nũ.* 26. *D de V. O.* Hæc de patre. Filio autem nominatim legibus permiſſa eſt reuocatio, & vindicatio rerum aduentitiarum à patre alienatarum *d. l.* 1. *& Auth. ſeq. cum ſimilibus tit. de bon matern. & tit. de bonis quæ lib.* Sed hic primum videndum eſt, an viuo et-

an exiſtenti patre id ei concedatur an duntaxat mortuo? & quod viuo patre non poſſit agere, probatur his argumentis. I. Quia filiusfam. regulariter agere non poteſt vlla ex cauſa, niſi caſtrenſis peculii, & aliis quibuſdam ſcriptis in *l. filiusfa. D. de O. & A.* quibus alias quaſdam glοſſas adiicit. Deinde, quia ſoli patri diſerte datur hæc poteſtas actiones mouendi, & excipiendi pro rebus aduentitiis. *l. vlt. §. vbi autem C. de bon. quæ lib.* Tertio ex *d. Auth. niſi triennio.* & apertius ex *d. Nouel. de nuptiis. §. ſed quod ſancitum.* vnde & Auth. ſumpta eſt; quo in loco ſcriptum eſt, filiofam. non currere præſcriptionem longi temporis, dum eſt in poteſtate patris conſtitutus. cuius rei nulla alia ratio eſt quam quia non poſſit agere, quamdiu pater viuit, & in poteſtate eum habet. Quarto idem colligitur ex textu expreſſo in *l. 1. in fin. C. de annali excep.*, vbi ſcriptũ eſt, non debere obiici filio vllam præſcriptionem, niſi ex quo poteſtate paterna liberatus fuerit, cum antea legibus prohibeatur agere. Poſtremo, ita Bartolus ſentit in *l ſi conſtante. n. 63. D. ſolut. matrim.* aliique allegati à Pinello in *d. l. 1. p 3. n. 74. Et ad d. Auth. niſi triçenn. n. 44.* Cæterum Pinellus non probat hanc ſententiam, ex *d. Auth. vel d. Nou. de nuptiis,* quia ibi non agatur de bonis aduentitiis, ſed de lucris nuptialibus quæ patri acquiruntur, olim quidem in ſolidum ſic vt diſponere de iis poſſet etiam alienando, & teſtãdo *l. generaliter. §. vlt. l. ſi quis prioris. §. 1. & §. certum. C. de ſecundis nuptiis.* Sed

poſtea ex *Nou.* 298. facta ſunt inalienabilia, & debent liberis prioris matrimonii reſeruari, ita vt pater vſumfructũ tantum habeat, vt prolixè ad illam *Nou.* 298. Cujac. ad *Nou.* 22. *de nuptiis.* exponit. In his igitur lucris tantum dicta Auth. loquitur, ideoque ait non pertinere ad alia bona liberorum aduentitia, Pinellus: & filium pro his aduentitiis etiam viuo patre ad agendum contra alienationem factam admittit, quia plus iuris in his habeat, quam in lucris nuptialib9. Sed obſtat *d. l.* 1. *in fin. C. De an. excep.* cuius generalis eſt tum ſanctio, tum ratio. Nec bene ad eam reſpondet Pinellus multis licet allatis rationibus. Vnde Baldi ſententia adcedit qui poſſe etiam viuo patre filium agere ſcribit *in l. fin. § imo cogitatione. C. de iure deliberand.* Sed male contra expreſſas leges, vt dixi. neque obſtat *l. Imperator. D. ad S Ctum Trebel.* nam ei9 L. caſus, vt ſupra demonſtraui, valde eſt ſingularis. multo minus obſtant aliæ ratiunculæ, quas d. loco & ad *l.* 1. *par.* 3. *n.* 74. *& ſeq. C. de bonis matern.* adfert. Mortuo autem patre dubium non eſt, quin filius agere poſſit & alienata reuocare d. ll. illud modo quæritur, an id etiam poſſit facere, ſi patri ſuo heres extiterit? dices, inutilis quæſtio, cum filius ſit heres neceſſarius & ſuus patri. *Inſt. de hered. qual. & diff.* Ita quidem eſt iure ciuili, ſed iure prætorio quo ei facultas ſe à paterna hereditate abſtinendi conceſſa eſt, filius redigitur ad conditionem extraneorum *l. nam nec emancipatus. D. de leg.* 1. Quod beneficium perpetuo habet, ſi ſe non immiſcuerit hereditati

pa-

paternæ. *l. neceſſariis. D. de acquir. hered.* Vnde & illud receptum eſt, vt non intelligatur vnquam filius patri heres extitiſſe, niſi probetur etiam ſe immiſcuiſſe, vt multis locis Accurſius docet, præſertim in *l. ſi cum dotem. §. tranſgrediamur. & ibi Bartolus. D. ſolut. matrim.* Igitur ſi heres patri extiterit, an reuocare alienationem bonorum aduentitiorum à patre factam poterit? Quam quæſtionem tum alii tum idem Accurſius accuratè tractant in *l. cũ à matre. C. de rei vindication.* vbi cõcludit, quod non poſſit, his argumentis. Primũ, ex regula *d. l. cũ à matre.* qua conſtitutũ eſt, vt heres, quaten' defuncto ſucceſſit, eius factũ cõprobare teneatur. Deinde quia eadem ſit heredis conditio, q̃ erat venditoris, cui ſucceſſit, qui venditor repellebatur ab agendo *l. 2. C. de fruct. & lit. exp. l. cum heres. D. de diuerſ. & tempor. præſcript.* Tertio textum in *l. filium. D. de liberal. cauſ.* vbi ſcriptum eſt, filium nõ poſſe reuocare libertatem à patre datam ſeruo ſuo, id eſt, filii proprio, & additur ibi hæc ratio, quia patri heres extitit, nec ſolus filius ſed alius ibi heres, reuocare eam manumiſſionem non poteſt *l. ſi ſeruo alieno. C. de ſeru. al. manumiſſ.* In contrarium faciunt *d. l. 1. C. de bon. matern. & l. cum oportet. §. non autem. C. de bon. quæ lib.* quæ indiſtincte & generaliter loquuntur, conceduntque filio reuocationem. Deinde quia ſi patri ipſi conceditur, qui alienauit, vt ſupra dictum. *§. quemadmodum. C. arbitr.* ergo filio multo magis concedendum eſt, licet heres ſit; cum heredi plerunque plus permittatur, quam de-

functo *l. fin. C. de euictio.* Quarto, quia idē, hoc eſt, reuocatoria actio conceditur patrono heredi liberti, ſiue ex teſtamēto ſiue ab inteſtato ei ſucceſſerit. *l. 3. §. ſi patronus. & §. ſi inteſtat⁹. D. ſi in fraud. patron.* quibus quinto loco adiiciēdū eſt illud argumentū, quia raro, & fere nūquam poſſet iſta reuocatio legib. conceſſa filio locum habere; cū ferè ſemper patri filio heres exiſtat. vnde quidā ad euitandam hanc abſurditatem eo delati ſunt, vt dicerent filiū admittendum eſſe, viuo patre, quod ſupra ſatis refutaui. & refellitur etiam ex eo, quod abſurdum ſit plus permitti filio patre viuo. q̄ patre mortuo, cum pater viuus habeat vſumfructum & adminiſtrationē bonorum aduentitiorū, quæ iura deſinunt eo mortuo; ideoque patre viuo, filio recte dici poſſet, ꝙ eſt in *l. 1. §. ſi impuber. an. fin. D. de colꝫbo.* præmatura eſt tua actio, cū adhuc viuat is de cuius bonis & iure agitur, id eſt, pater. Repudianda eſt igitur hæc Accurſii ſententia, quam propterea, ꝙ ſatis dura videretur, limitationibus quibusdā temperant, præcipuè quantum obſeruō duabus. vna eſt, quod nō in totum velint excludi filium heredem patris ad vindicationē rerum ſuarum, ſed pro ea tantum parte, qua heres patri exſtitit, iuxta Regulam *d. l. cum à matre.* Altera eſt, quod ſi filio nihil præter ſuam legitimā relictū ſit à patre, in totum admittatur ad reuocationē, quia legitima plena debeatur, nec poteſt à patre vllo modo grauari. *l. quoniā in priorib. C. de inoffic. teſt* quib. de limitationib. latiſſime diſſerit Pinellus ad *d. l. 1. p. 3. n. 79. & ſeqq.* Indiſtinctè igitur tenēdum

datum eſt filium admitti ad reuocādum, etiamſi heres patris ſit per ſupra dicta iura, & argumē-ta, quibus male gloſſa ad *l. matre.* reſpōdet & alius: omnia ad argumenta contrariæ ſententię facillime reſponderi poſſit. Sunt enim generalia, & longe petita. filiorum enim ſunt hæc bona aduentitia, nec quicquam in hanc vel in illā debet facere hereditatis paternæ ratio. Vnde etiā & dona nuptialia pertinent ad liberos, quāuis patri heredes nō extiterint. *l hac edictali. §. vlt. C. de ſec. nupt.* Poſtremo, vt emptori, vel alii rem [illegible] à patre accipienti conſulatur, ita conuentum eſt, vt emptor fideiuſſorē à patre petere & exigere poſſit, euictionis ſcilicet nomine: hoc enim demōſtrant illa verba *d. l ſi velit*; poteſt igitur atque ab inuito etiam patre dari fideiuſſor debet, quaſi in ipſo limine contractus immineat euictio, iuxta *l. ſi poſt. C de euictio.* Idque ita eſt niſi pater doceat rem quā alienauit, eſſe ſuam, non filii. ita enim illa verba *d. l.* 1. in-[illegible], *docere pater debet, &c.* Illi autem inepus & Accurſius, qui dicunt hanc L dare conſilium patri mentiendi, ſed cauſatiue tantū: hoc eſt ſi velit emptorem reperire: vel etiam, vt Salicetus & alii, quaſi poſt litē de euictione motam patri hoc onus incūbat res illas fuiſſe ſuas, nō filii. quis enim de hoc dubitat? Sed illa verba ideo poſita ſunt vt exonerent patrem à præſtatione fideiuſſoris, ſi docuerit illas res non eſſe filii ſui, ſed ſuas.

CAPVT XIX.

Exceptiones, ſiue caſus, quibus permiſſa eſt alienatio.

NVnc quibus caſibus patri adminiſtratori iure permiſſum ſit alienare & obligare res aduentitias, ita vt alienatio reſcindi non poſſit, cognoſcamus. quod erat caput poſtremum, ex tribus, quæ de alienatione horum bonorum propoſuimus: ſunt autem cauſæ maximæ duæ expreſſæ, ob quas alienatio patri permittitur. Vna eſt cauſa æris alieni, altera legatorum, & fideicommiſſorum ſoluendorum. *l. cum non ſolum. §. ſin autem æs alienum. C. de bon. quæ liber.* in eo igitur §. ſcriptum eſt, *ſi ex defuncti perſona æs alienum deſcendat, & quæ inde ſequantur.* quibus verbis ſignificatur hæreditas aduentitia alterius filiofam. delata. in qua hereditate reperitur æs alienum à teſtatore defuncto contractum, item legata & fideicommiſſa ab eodem relicta. hic primum quæritur, an non etiam ob alienum æs, quod ex defuncti perſona deſcendat, fieri hæc alienatio poſſit? & verum eſt, poſſe ob quodcunque æs alienum, cum in omni eadem ſit ratio, & quod de ære alieno hæreditario in *d.* §. expreſſum eſt, exempli cauſa factum eſt; & quia maximè in eo alieno valere ſolet ac debet, vtpote cum filius hereditatem habeat, etiam eius incommoda habere debet.

imò

imo hereditas vel bona, de quibus hic agimus, proprie non intelliguntur eſſe, niſi prius ære alieno deducto, vt generaliter de omnibus bonis traditum eſt in *l. bonorum.* & *l. ſubſignatum. §. bona. D. de V. S.* Vnde facta ob hanc cauſam alienatio non videtur eſſe alienatio, quia bona filii non intelliguntur, niſi detracto hoc ære alieno, vt eleganter Imp. ait, in *d. §. ſin autem æs alienum.* Deinde quæritur, an patri adminiſtratori in hac alienatione opus ſit decreto Iudicis? ſicut eſt opus tutori in alienatione rerũ minoris *l. quæ tutores. C. de adminiſtrat. tutor. l. magis puto. §. paſſim. D. de reb. eor. qui ſub tutel.* Quo videtur etiam facere *d. §. 2.* vehementer. *Sin autem æs alienum*, in illis verbis, *Rite vendere*, item *rite pignori ſupponere.* Nam *Ritè* eſt ſolemniter. igitur non ſine decreto, quod eſt ſumma pars ſolemnitatis. Videtur eſſe etiam ad hoc textus expreſſus, & in ipſo patre, in *l. cum emancipatione. C. de præd. minor.* & *l. pupillorum. §. ſi pater. D. de reb. eor. qui ſub tut.* Poſtremò cum *d. l non ſolum. § ſin autem.* de hac re nihil dicat, ſed licentiam patribus det alienandi aduentitia ex certis cauſſis; videtur non aliter eam dare, quam vt mos eſt in aliis adminiſtratoribus, puta tutore, curatore, & ſimilibus. Et ita in Camera Imperii iudicatũ refert Mynſing. cent. 6. obſ. 61. Sed his non obſtantibus, communiter recepta eſt Azonis ſententia, vt decretum in patre adminiſtratore non requiratur ad alienãdum, quæ opinio nititur his rationibus. Primo quia leges non requirunt hoc decretum. Deinde quia idem conſtitutum eſt

in Epiſcopo, qui eſt adminiſtrator & velut pater pauperum, vt poſſit ſine decreto eorum res immobiles alienare. *§ ſi quis in nomine Auth. de Eccleſiaſt.* Sed in eo §. qui vulgo ad id citari ſolet, nihil reperio, ſed in §. 11. *ſi quis autem.* & in §. *fin.* quamuis neque ibi quicquam nominatim de decreto dicatur. Tertio quia *d. § fin aũt æs alien.* ſimpliciter patri concedit alienationẽ in his cauſſis. Quarto, quia patris poteſtati ampliſſimæ id conueniat, & illi fiduciæ quam leges de patre habent *l. Aurelius. §. Titius teſtamento. D. de liberation. legat.* vbi dicitur, præſumptio propter naturalem affectum facit videri, omnia patri eſſe conceſſa. Et *d. l. finali. §. vlt. ibi. paterna pietate licet. C. de bon. quæ liber.* Non obſtant in contrarium ſupra adducta; & primo exemplum curatorum & tutorum, quia longe maior poteſtas patris, quam illorum. nam pater adminiſtrator excuſatur etiam à rationibus reddendis, &c. vt ſupra ſuis locis expoſuimus, at tutor quamuis idem ſit & pater, puta ſi tutor ſit filii ſui emancipati, non eſt immunis à rationibus reddendis. *d. §. Titius teſtamento. & l. ſi ſuperſtite. & ibi Dd. C. de dolo. l. licet. C. ad L. Falcidiam.* Non obſtat ſecundo argumentum ductum ex verbo, *Rite*, quia iſtud verbum deeſt in veteribus exemplaribus, ideoque & circumſcribi ſolet. Deinde alias ſolemnitates & ordinem à Iuſtiniano in *d, §.* expoſitum ſignificat, id eſt, quænam res prius vendi debeant, quænam poſterius; non autem decretum vllum magiſtratus. Non obſtat tertium: quia de patre tutore emãcipati loquitur;

nos

nos autem hic de patre adminiſtratore, qui habet filium in poteſtate. Quartum etiam nihil obſtat, ſed magis pro nobis facit; quia erubeſcere debemus ſine lege loqui, vt ait idem Imp. Nec illud quidem obſtat, quod de iudicio Cameræ attulimus. Nam in alienatione voluntaria decretum iudicis requiri probauit, non aũt in neceſſaria, id eſt, ęris alieni cauſſa: neque aliter Azo ſenſit, vt idem Mynſingerus docet, neque aliter hæc quæſtio proponi debuit, quam in ea alienatione quæ iure permiſſa eſt. Tertio loco quæritur, an idẽ ordo in alienatiõe bonorũ aduentitiorum, patri ſeruãdus ſit, qui ſeruatur in exſecutione iudicati, vel vice verſa? Et ꝙ ad ordinẽ in iis bonis aduentitiis alienandis à patre attinet, certũ ius habemus cõprehenſum in *d.l.non ſolũ.vlt.§.ſin aũt.C.de bon.quæ liber.* vt primo vendantur res mobiles, deinde ſi eæ nõ ſufficiant æri alieno ſoluendo, res immobiles. Id.n. longe filio debitori vtilius eſt, cui leges in hac alienatione conſultũ volunt, ſicut & minori 25. annis, vbi tutor alienat eius res *d.l. magis. §.non paſſim. D.de reb.eor.l.1 § diminutio.D.de ventr. in poſſ. mittend.* vbi illud etiam adiicitur, quod etiã cõſentit cum *d. §.ſin autem as.* vt initium vendendi fiat à reb. viliorib. & deterioribus, deinde ad meliores veniatur, quo exẽplo plerique Dd. idem obſeruandum eſſe dicunt in executione rei iudicatę, de qua agitur in *l.Diuo Pio.§.itẽ.&§.in vẽditione.D.de re iudic.* Sed bene Duarenus illic id improbat, eâ ratione: q̃a in venditione pignorũ ex cauſa iudicati captorũ id obſeruatur, ꝙ facilius viſum eſt, & commo-

dius creditoribus, quorum gratia fit illa venditio, & quibus conſultum leges magis volunt, quam decoctoribus, qui ipſi ſunt in culpa, & paſſi ſunt, ſuis tergiuerſationibus remeo deduci, vt iuſſu magiſtratus eorum bona pignori capi & diſtrahi debeant. Idemque confirmat etiam *Nou. de fideiuſſerib. §. quod autem*. vbi pro auro debito iubentur in ſolutum dari creditori res meliores, ita vt deteriores apud debitorem remaneant. idemque ex eo probatur, quod in *d. l. a Diuo Pio:* hic ordo præſcribitur, vt primo mobilia, deinde immobilia, tertio iura, & obligationes vendantur, propter facilitatem ſcilicet; facilius enim mobilia venduntur, quam immobilia, & facilius immobilia etiam quam iura, ſiue nomina debitorum quæ ſæpe ſunt mala; ideoque recte idem Duar. & alii quidam dicunt, ordinem illum *d. l. a Diuo.* poſſe ab executore rei iudicatæ immutari, pro cupiditate ſcilicet & commodo creditorum. at contra eſt in alienatione bonorum aduentitiorum, quam pater adminiſtrator facit, vel bonorum minoris. quia leges magis fauent filio, & minoris debitoribus quam creditoribus: ideoque nullo modo debet præſcriptus ordo à Iuſtiniano, & ab aliis, immutari. Ratio autem differentiæ non ſolum eſt illa culpa, de qua iam dixi, quæ debitoribus damnatis & iudicatis adſcribi poteſt. nulla autem minoribus vel filiisfam. præſertim cū aduentitia hereditas eius obuenit ære alieno grauata; ſed etiam vtilitas Reipub. cuius ſtatus maxime continetur rebus iudicatis, vt Ci-

cero

cero ait. Quarto quæritur, cuius nomine facienda ſit venditio rerum aduentitiarum? & in *d.* §. *ſin autem æs alienum*, ſcriptum eſt, nomine filii faciendam eſſe, vt cauſa venditionis appareat. quo facit & *l.* 1. *D. de ventr in poſſ. mit. l. diuus. D. de petit. hered.* Atque hic pro cautione obſeruandum eſt emptori, vt pretium, quod ipſe ſoluit, conuertatur in ſolutionem æris alieni, propter quod venditio à patre facta eſt. Poſtremò quæritur quid ſi pater alienare res aduentitias ob neceſſitatem æris alieni ſoluendi neglexerit? De eo ſic cautum eſt in *d l. vlt.* patrem cogi de ſua ſubſtantia, vel ex ſuo vſufructu ſoluere creditoribus æs alienum, vnà cum vſuris. quod ſumme notandum eſt in vniuerſali fructuario, qualis eſt pater. Altera cauſa eſt alienationis iuſtæ, propter legata & fideicommiſſa. *d.* §. *ſin autem æs alienum.* nam & hæc loco æris alieni habentur *l. irritum. C. ad leg. Falcid.* & notat Zaſius in *l. hereditariũ. in fin. D. de bon. auct. iud. poſſid.* De his ita cautum eſt ſub diſtinctione, cuius hæc prior pars eſt, ſi legata ſiue ſemel relicta ſiue in annos relicta, id eſt, annalia, debeant à filiisfam. hæredibus ſolui. ſoluere autem debere patrem ex reditibus hæreditatis. in qua priori parte notandum eſt, quod pater adminiſtrator & vſufructuarius tenetur de reditibus bonorum aduentitiorum, atque ita de ſuo vſufructu ſoluere annua legata. eſt igitur hoc onus vſusfructus paterni; quia eſt vſufructus vniuerſalis. vnde idem dicendum eſt in omni alio

vſufructu, etiam non paterno, dum ſit vniuerſale omnium bonorum alicui conſtitutum vel relictum teſtamento, quod fieri poteſt. *l. omnium. & l. quotiens.* §. 2. *D. de vſufruct.* nam ſi pater tenetur, multo magis tenebuntur alii vſufructuarii, qui tantum ius non habent, quantum pater. & ad hanc rem. §. iſte *ſin aũt æs alienũ* inprimis eſt notabilis. Sed an vice verſa alia quoq; onera pater ſuſtinebit, quæ alii fructuarii vt ea enumerantur in *l. ſi vendentes.* §. *ſi quid. D. de vſufruct.* & verius eſt patrem quoque teneri; cum & mancipia alere teneatur, d. §. *ſin autem æs.* & quidem ſecundum dignitatem & conditionem eorum, vt alii fructuarii. *l. is cui.* §. *vſufructuarius. D. de vſufr.* & omnino ea facere, quæ ad tuendam augendamque proprietatem filii pertinent. *l. 1. & paſſim. C. de bon. matern. & d. l. vlt.* Altera pars diſtinctionis illa eſt, vt ſi ex reditibus aduentitiorum non poſſint legata illa ſolui, tunc vendere patri liceat res aduentitias, non quaſuis tamen & paſſim; verum mobiles primum, deinde immobiles, eaſque quę ſteriles ſunt, licet non ſint inutiles, quales ſunt domus pretioſæ in prouinciis, vt ait *d. l. vlt.* Steriles ideo, quia non locantur, nec quæſtus ex iis facile percipi poſſunt & tamen non inutiles, quia vendi poſſunt ſplendidiori vel potentiori alicui quod valde facit ad controuerſiam de lectione *l. fructus. 6. §. ſi vir. D. ſolut. matrimon.* inter Robertum Aurelianum, & Cuiacium lib. 1, cap. 23. animad. & notarum. Atque hæ

duæ

duæ cauſæ ſunt, ob quas ſolas Imp. *in d. §. ſin autem as. & §. ſeqq.* permittit alienari vel hypothecari res aduentitias, vetatque diſerte, & ſæpius, ne extra has cauſas id facere liceat, & tamen ſtatim exceptionem vnam addit, niſi ſint res aliquę damnoſę & mora deteriores futuræ, & in ſumma oneroſæ hereditati vel filiofam. has æquum eſt vendi licere, vt vendere eas quoque licet hereditatis poſſeſſori *l. non ſolum. D. de hereditat. petit.* tutori, & curatori. *l. qua. §. ſin. D. de adminiſtr. tut.* Etiamque heredi deliberanti de adeunda hereditate; cum ei tamen omnis diminutio ſit interdicta rerum hereditariarum *l. ab iſto. D. de iur. deliberan.* contra eſſet, ſi hereditatem adiuiſſet; tunc enim libere ei licet alienare; nec debet aut poteſt à creditoribus hereditariis impediri, qua in re iſte atque acerrime M. Cicero reprehendit Q. fratrem Aſiæ prætorem lib. I. Epiſt. II. in illis verbis, *Ne diminuat heres?*

E contrario quæritur quid ſi res non ſint quidem damnoſæ, ſed tamen vtilis filio futura videatur earum venditio, vt pretio ex iis redacto alia meliora comparentur, an talis cauſa alienationis valet? Et omnino dicendum eſt, non valere, propter vehementem, & ſæpe iteratam interdictionem alienandi, *in §. ſin autem as. & §. ſeqq.* Et quia facile hac in re fraus à patre admitti po-

teſt,dum fingit, vtile id filio eſſe, tametſi non ignoro Adcurſium,& alios multos interpretes contrarium ſentire,argument. *l. 2. D. de acceptilat.* aliarumque ſimilium, quibus facillimè à quouis reſponderi poteſt.Hic de tribus caſibus dubitatur, an recipiendi ſint? quorum vnus ob impenſas neceſſarias, alter ob pactũ de retrouendendo, quod hæret rei aduentitiæ.tertius ob donationem remunerandi cauſa factam, præſertim à filio nobili. Ad primum quod attinet, nego propter impenſas vllas alienationem permitti debere, & quia hæc cauſa non eſt à Iuſtiniano approbata,& quia impenſas omnes pater facere tenetur ex ſuis fructibus quos percipit: omnes, inquam,etiam in litem, ſi qua de proprietate rerum aduẽtitiarum moueatur. *l. 1. & ibi Bartolus. C. de bon. matern.* cum alii vſufructuarii non teneantur in proprietatem facere impenſas, niſi ad refectionem *l. hactenus. D. de vſufr.* in litem autem, ſi de ipſo vſufructu ei lis moueatur; non etiam, ſi de proprietate. & ratio differentiæ inter eos, & patrem eſt;quia pater omnia bona filii poſſideat, vnde & filium alere cogitur, at non ita cæteri vſufructuarii poſſident bona proprietarii , neque eum ita vllo modo alere tenentur. Quid igitur ſi fructus aduentitiorum nõ ſufficiant?hoc caſu putat Angelus ex alienatione proprietatis ſuppleri debere, argumento *d. §. fin aũt as alienum.* in quo § contrariũ potius probatur;debet. n. pater potius huiuſmodi res, de quibus lis eſt inſtituta,alienare & proiicere,

quam

quam tantos in eas ſumptus facere; qui ſuperent ipſarum rerum valorem. Ad ſecundum dico, ineptè dubitare an pactum de retrouendendo alienari res aduentitiæ poſſint? poſſe enim certum eſt, cum talis res, cui hoc pactum annexum eſt, non ſit perfectè filii. ideoque ſi pecunia à venditore reſtituatur, qui ſcilicet eam rem ſub pacto tali vendidit non videtur ea res alienari ſed reſtitui, cum ius cogat, & res in priſtinam cauſam redeat ſoluta venditione. *l. voluntate. in fine. D. Quib. mod. pignus vel hypotheca ſolu.* Quare omnino dicendũ eſt, ſi tale prædium in hereditate aduentitia reperiatur libere id à patre reſtitui venditori: neque enim pater ei obiicere poterit præſcriptionem vllam etiam longiſsimi temporis, quia nulla præſcriptio excludit hoc pactum de retrouendendo, ſicut nec ius luendi pignoris, quemadmodum in Camera Imperii iudicatum eſſe teſtantur And. Gail lib. 2. obſer. 16. & 18. &c. Mynſingerus cent. 1. obſer. 16. Sed opponitur hoc loco vehemens argumentum ex *l. 1. §. fin. D. de reb. eor. qui ſub tutela.* vbi pignus appoſitum rei à minore 25. annis emptæ dicitur non conſiſtere, vtpote cum oratio Diui Seueri vetet res minorum alienari, vel oppignorari. Sed reſpondeo, primum illius §. vltimi deciſionem eſſe valde rigidam, ideoque facile à Principe impetrari eius pignoris confirmationem, vt ſcriptum eſt in *l. ſeq. eod. titulo.* Quare ea deciſio nullo modo debet extendi ad hanc quæſtionem noſtrã.

Deinde, pactum de retrouendendo fuit appoſitum ab initio cum iure potuit apponi; ſed cōuentio pignoris in ſpecie *d. §. vltimi*, iure non potuit apponi, vtpote cum res empta in dominium minoris emptoris iam tranſiiſſet, res autem minorum vt dixi oppignorari non poſsūt. Ad tertium & poſtremum de donatione ſimpliciter dicendum eſt, donationem à patre nulla ex cauſa fieri poſſe rerum aduentitiarum, licet remunerandi cauſa fiat, licet filius ſit nobilis *d. l. vlt. § fin. aūt. & paſſim*. donare enim eſt perdere, non adminiſtrare *l. filiusfam. in princ. D. de donation. l. fin. D. de curator. furioſ. l. generaliter. C. de ſecund. nupt.* vbi ſcriptum eſt, patri adminiſtrationem eſſe commiſſam, nō cum diſpendio, ſed cum vtilitate pupillorum; & generaliter omni adminiſtratori interdicta eſt donatio *l. pater. & ibi Dd. notant. C. de tranſactionibus*.

CAPVT XX.

De Actionibus,

SPecies quædam alienationis eſſe videtur, rem in iudiciū deducere, quia ex eo periculū ſubimus rei per ſententiam iudicis amittendę; cum omnis iudiciorum exitus, tanquam præliorum, ſit incertus. Quare heredi deliberanti cum edicto prætoris interdictum eſſet, diminuere

nuere aliquid de hereditate; hæc interdictio à veteribus ſic accepta eſt, vt neque actiones hereditarias ei exercere permiſsũ ſit; quia abſurdum videretur ei, cui alienatio interdicitur permitti actiones exercere. *l. ait prætor. §. 2. D. de iure deliberand.* Cæterum hoc ita locum habet in herede deliberante, qui dubitatur, an ſit futurus heres, & interim vult tanquam heres factus & dominus actiones hereditarias mouere ſuo nomine quod ei permittẽdum non eſt, cum hæc contraria videantur, deliberare, an velit heres eſſe: & interim ſe pro herede gerere; quod fit actionibus hereditariis exercendis *l pro herede. D. de adquir. vel amitt. heredit.* Aliud dicendum eſt in patre adminiſtratore, cui cum interdicta ſit aduentitiorum alienatio, permiſſum tamen eſt actionum in iis bonis exercitium *l. 1. C. de bon. matern. l. cum oportet. §. cum autem. & l. vlt. §. C. de bon. quæ lib.* Sicut & tutori, & curatori & ſimilibus præſertim, cũ non ſuo nomine agant, & tanquam domini, ſed nomine alieno & procuratorio ſiue adminiſtratorio. pater autem hoc amplius habet, quam cæteri adminiſtratores, quod agit quidem nomine filii, ſed nõ ad filii ſolius vtilitatẽ, ſed etiam ad ſuam. Imo etiam ſi pater nomine filii non conciperet, libellũ, neq; adderet ſe adminiſtratorio nomine agere, tamẽ libellus valeret, ſi appareat de quib: rebus agatur, id eſt, de rebus aduẽtitiis. nihil. n. in iure noſtro reperio, quare iſta expreſſio requiri debeat, præſertim poſt formulas ab Imp. Cõſtantino ſublatas *l. vnica. C. de for. & imp. ſu.* q̃uis nõ ignoro in cõtra

rium ſtare Bartoli ſententiam eamque communiter receptam eſſe, vt teſtatur Felinus in *cap. cum olim, extra de teſtibus.* Et reſpondit nouiſſime Menoch. *conſil.* 332. *n.* 19. Illud quæritur, an agenti patri in aduentitiis neceſſarius ſit conſenſus filii? quod omnino dicendum videtur ex Conſtit. Iuſtiniani, in *d.l.vlt.§. vbi autem in vnum. C.de bon.quæ lı.* vbi eſt textus expreſſus ait enim *adhibeatur filii conſenſus.* Atque ita multi ſentiunt, diſſentiente licet eodem Bartolo, & aliis qui ad illum textum ſatis frigidè reſpondēt. Et tamen veriſſima eſt Bartoli ſententia, ob has rationes. Primo quia *d.l.* 1. *C.de bon. matern.* non exigit vllum filii conſenſum. ſicut neque alia vlla lex. & *ad d.§ vbi,* poſtea reſpondebo. Deinde, quia id non conueniat ampliſſimæ & dominio proximæ poteſtati paternæ *d.l.cum oportet.§. non autem hypothecas.* Tertio quia abſurdum eſt, requiri conſenſum filii, qui maior ſit ſeptem annis, quin etiam, qui maior ſit 14. annis, cum nullum ferè ſit huiuſmodi ætatis conſilium. imo etiam minoris 25. annis, vt ait *l.* 2. *& alia. D. de minorib.* Quarto quia pater poteſt procuratorem ad litem conſtituere ſine filii conſenſu; vt infra dicam. Poſtremo quia nec tutori neceſſarius eſt conſenſus pupilli. *l.* 1. *§. ſufficit. D. de adminiſt. tutor.* Neque huic ſententiæ obſtat d. *§. vbi autē in vnū,* quia loquitur diſerte, vt §§. præcedētes & ſequentes, de hereditate aduentitia filiof. delata. & ratio differentiæ cur in actionibus hereditatis huius nomine exercendis requirat̄ conſenſus filii, non autem in actionibus aliarū

rerum

rerum aduentitiarum, illa eſt; quia etiam veteri iure, quo patri aduentitia in ſolidum adquirebãtur; tamen hereditatem filio ſuo delatam adire vel repudiare non poterat ſine filii conſenſu. *l. qui heres. §. final. D. de adquir. heredit.* multo magis igitur nouo; qua de re plura infra cap. proximo. At res alias aduentitias per filium, & per ſe libere adquirebat. quæ differentiæ ratio quibuſdam doctiſſimis veteribus recte probata eſt, licet ea Pinello diſpliceat. atque hæc ita ſe habent etiamſi filius præſens ſit, cum pater agere vult, vt eius conſenſus patri non ſit neceſſarius, excepto ſi agatur de hereditate aduentitia, vt iam dixi. quid ſi filius abſens ſit? neque in hoc caſu hereditatis requiritur eius conſenſus, ſicut neque ſi in prima ætate conſtitutus ſit d. §. *vbi autem* .Sed an pater teneatur ſatiſdationem in iudicio pręſtare ſiquidem ſit actor de rato, id eſt, filium ſuum ratum habiturum, vel ſi pater conueniatur ſatiſdationem iudicatum ſolui, inter Dd. noſtros controuertitur. De hac re videtur eſſe textus expreſſus in *l. filiusfam. D. Qui ſatiſd. cog.* vbi Paulus ſic reſpondit, eum, qui abſentem defendit, etiamſi filius vel pater ſit, ſatiſdare actori ex forma edicti debere. & ita tradit etiam Menoch. *conſil.* 279. *n.* 23. vbi ait patrem non poſſe agere nomine filii abſentis pro bonis aduentitiis, niſi præſtet cautionem de rato, quod ſcilicet filius ratificabit, quod iudicatum erit, allegatque Iaſonem *in l. 2. §. voluntatem .n.* 12. *D. ſolut. matrimon.*

Qui tamen nihil fere ad hanc ſententiam facit, cum loquatur de filiafam. & de dote eius, in qua præcipua eſt ratio, ſoletq; ab aliis rebus profectitiis & aduentitiis diſtingui, vt apparet ex *d l.2. & alibi*. In contrariumq́; pater non teneatur in iudicio ſatisdare de bonis aduẽtitiis: primo faciunt leges omnes *tit. de bõ. mat. & tit. de bõ. quæ li. C.* in quib tãtũ abeſt, vt pater iubeatur hãc ſatisdationẽ pſtare, vt cõtra generaliter releuetur ab omnib. cautionibus & oneribus, quæ aliis fructuariis incumbunt, vel alienas res adminiſtrantibus, puta tutoribus. Deinde argumentum tutoris hoc idem probat, quod tutores ſatisdationem non præſtant. *l. fin. §. defenſionem. C. de adminiſt. tutor.* & hæc ſententia vera eſt, neque obſtat *d. l. filiusfamil. D. Qui ſatisdar. cogant.* quia illa l. non poteſt vllo modo intelligi de patre legitimo adminiſtratore, & fructuario bonorum aduentitiorum, cum hoc ius demum introductum ſit ab Imp. Conſtantino, & ab aliis deinceps confirmatum & amplificatum dd. titulis. C. Nunc videamus, an pater conſtituere procuratorem poſſit ad agendum? & certum eſt, poſſe *l. 1. in* illis verbis: *per ſe vel per procuratorem poſſe. C. de bon. mat.* ſed an etiam ſine conſenſu filii quæritur? Et dicendũ eſt etiã ſine cõſenſu eius, idque non ſolum lite iam ab ipſo patre conteſtata, quo caſu quia procurator per litis conteſtationẽ fit dominus litis, etiam licet ei alium procuratorem conſtituere *l. neque. C. de procuratorib.* Sed etiam ante litem cõteſtatam id pater facere poteſt, id eſt, procuratorem ſine

filii

filii conſenſu dare, cum ſit legitimus admini-ſtrator, cum pleniſſima poteſtate conſtitutus. *l. cum oportet. §. non autem hypothecas. C. de bon. qua lib* idque probatur ex *d. l.* 1. quę plane ſimpliciter & indiſtinctè loquitur. Concludendũ eſt igitur, patrem ſine conſenſu filii actiones aduentitiorum nomine exercere poſſe filii nomine, vt plerique putant; ſed ſumptibus tamen ſuis, non filii. vt cautum eſt in *d. l.* 1. Quamuis pater ea bona alienare non poſſit, vt ſupra docuimus. ſed an conſentiente filio poſſit alienare dubitari video, & dicunt talem alienationem valere, ſi filius non habeat tutorẽ, vel curatorem, ſi tamen ex ea alienatione filius damnum patiatur, dicunt eum poſſe in integrum reſtitui ratione ætatis, quod probant ex *l. 3. C. de in integ. reſtitut. minor.* Sed hæc ſententia vel etiam hæc quæſtio abſurda mihi videtur, cum filiusfam. qui eſt in patris ſui poteſtate nõ poſſit habere tutorem, vel curatorem. Cæterum noſtris moribus non eſt abſurda, cum videamus mortua matre relictis filiis in patris poteſtate conſtitutis, tutores etiam dari propter bona materna, aliaque aduentitia. Poſtremo quæritur de actione iniuriarum, an pater poſſit eam nomine filii ſui exercere, vel remittere? & exercere eum poſſe, dubium non eſt; nec ſolum nomine filii, ſed etiam ſuo proprio, quia filiofa. facta iniuria etiam in patrẽ redũdat, ſicut facta ſeruo in dominum, facta vxori in maritum, ideoque his omnibus datur actio. *l. 1. §. non autem D. de iniuriis. §. 1. Inſtit. eod. tit.* Moribus noſtris etiam toti familiæ ſæpe actio iniuriarum datur de iniuria facta

alicui ex ea familia, præſertim inter nobiles. Quòd iuri ciuili non conuenit, licet conueniat Solonis legibus, quib. cautum fuit, teſte Plutarcho in eius vita, vt vnicuique ciuium liceret iniuram alteri factam iudicio proſequi. Remittere etiam patrem poſſe iniuriam filiio ſuo factam, manifeſtum eſt ex *l. ſed ſi vnus. §. plane. D. de iniur.* niſi pater vilis ſit perſona, filii autem nobilis atque honeſta. *d. l. §. interdum. & §§. ſeqq.* Cæterum hodie ob ius de aduentitiis bonis à Conſtantino & Iuſtiniano introductum videtur pater non poſſe remittere actionem iniuriarum, cum ea ſit filio adquiſita, nec pater habeat ius donandi, vel remittendi, vel alienandi vllo modo res filio adquiſitas. atque ita Azo ſenſit, quem plerique ſequuntur teſte Pinello ad *l. 1. C. de bon. mater.* Sed hæc ſententia Azonis falſa mihi videtur propter expreſſum textum *d. l. ſed ſi vnus.* neque hac in re quicquam video iure nouo de rogatum veteri. ergo ius vetus ſeruãdum eſt *l. præcipimus. C. de appellat.* nec obſtat illud argumentum de rebus filio adquiſitis. Quia id verum eſt, de rebus & bonis filio adquiſitis. actio autem iniuriarum non computatur inter bona præſertim ſi lis de ipſa actione non fuerit conteſtata. *l. iniuriarum. 28. D. de iniur. l. pœnales. D. ad L. Falcid.*

CA-

CAPVT XXI.

De hereditate adeunda, vel repudianda.

Diligenter de hac re cautum eſt ab Imp. Iuſtiniano in *l. cum non ſolum. vlt. C. de bon. quæ lib.* eiusque diligentiæ ſuæ rationem illam Imperator reddit, quia hic tractatus ſit vtiliſſimus, & varias altercationes habeat, ſemperque, vt ait, in iudiciis verſetur, quomodo quidã Paulum rogat, vt ea quæ ipſi proponit plenius attingat, quotidiana enim ſunt inquit *l. legaui. D. de liberat. legat.* Sciendũ eſt igitur, iure veteri ante haſce Iuſtiniani & Conſtantini conſtitutiones, ſi filiofam. delata ſit hereditas matris, vel alterius cuiuſuis, quia hæreditas in totum patri adquirebatur, vt & alia omnia bona aduentitia, ideo filiumfam. non potuiſſe hereditatem illã adire vel repudiare, niſi præcedente patris iuſſu *l. qui in aliena. l. à Titio. §. fin. D. de adquir. vel amitt. her.* ne videlicet filius patrem ſuum æri alieno obligaret inuitum, vt ſolet in hæreditatibus aliquid æris alieni reperiri. *l. more. D. eod. tit. l. vlt. C. de heredıtar. actionib.* Adire autem filius ſua voluntate debet, nec cogi à patre poteſt, vt nec ſeruus quidem *l. 3. C. de heredib. inſtit.* His ita ſummatim expoſitis, videamus, an hæc in omni genere heredi-

tatum locum habeant; & an de iure veteri aliquid immutatum ſit nouis principum cōſtitutionibus? ac primo de hereditate caſtrenſi, deinde de profectitia, poſtremo de aduentitia dicam. Igitur caſtrenſis hereditas eſt, quæ militi relicta eſt à ſuo commilitone, ſiue ab eo, quem occaſione militiæ cognouit, & propter militiam. Hanc hereditatem ſibi à filio delatam filiusfam. miles poteſt adire citra iuſſum patris ſuoque arbitrio ſe pro herede gerere. *l. miles filiusfam & l. de herede. in princ. D. de caſtr. pec.* Quare ea quæ de iuſſu patris paulo ante diximus, in hac hereditate locum non habent. *d. l. filiusfam.* & merito, quia filiusfam. in caſtrenſibus ſicut & in quaſi caſtrenſibus habetur loco patrisfam. vt nihil patri ſuo adquirat nec veteri, nec nouo iure *l. 2. in fin. D. ad SC. Macedon. Inſt per quas perſon. nob. adquir. l. cum oportet. in fin princ. C. de bon. quæ lib.* imo perſecutionem rerum caſtrēſium filius habet etiam inuito patre *l. 4. D. de caſtren. pecu.* Quid igitur ſi filiusfa. talem hereditatem adire nolit, ſed eam repudiet? an pater eam ipſe adire poterit? De hoc ita cautum eſt in *d. l. vlt. § ſimilique modo. C. de bon. quæ lib.* vt patri liceat eam adire, tanquam ſi ipſe ab initio heres fuiſſet inſtitutus, & per conſequens omnia commoda atque incōmoda ad ipſum patrem pertineant, nihil ad filium. Hîc obiicitur: quo iure pater iſtam caſtrenſem hereditatem ad ſe trahit, cum in ea nihil prorſus iuris habeat? Reſp. verum eſſe, quod dicitur nihil iuris eum habere, ſiquidem filiusfamil.

mil. nolit eam habere, id eſt, ſi ipſe filius herèditatem illam ſibi adquirat, & de eà diſponat, vel inter viuos, vel teſtamento, prout vult; id enim omnino ei licet facere. ſed ſi filius non vtatur hoc ſuo iure, & priuilegio militari, tunc patria poteſtas quæ in his rebus caſtrenſib. velut ſopita & extincta erat, reuiuiſcit quare ſi filius nullum teſtamentum de iis rebus fecerit, pater ſuccedit ei inteſtato, non tamen tanquã heres, & iure hereditatis, ſed tanquam pater, & iure peculii ea bona capit. *l. 1. D. de caſtr. pecul.* Videamus nunc de hereditate profectitiá. bona profectitia, ſiue peculii profectitii dicuntur, quæ à patre, vel ex re patris, vel ex facto & meritis patris ad filium quaſi proficiſcũtur *l. 2. D. de iur. doti.* talia bona in ſolidum ſunt patris, vt cõtra caſtrenſia in ſolidum ſunt filii. Sed hereditatem profectitiam, quæ filioſa defertur, non poſſumus intelligere hereditatem patris eius, quia viuentis nulla eſt hereditas. *l. 2. C. de heredit & actio. vendit.* Ergo intelligimus eam hereditatem quæ filiofam. alterius teſtamento relicta eſt, ſed contemplatione patris ipſius, non autem filii, cui relicta eſt. Hæc hereditas vtpote profectitia ad patrem tota pertinet, argumento *l. a Titio. § fin. D. de adquir. hered & l. ſi plures §. in arrogato. in fin. D. de vulg. & pupil. ſubſtitution.* Sed quæritur, quando cenſeatur hereditas filio relicta cõtẽplatione patris? & recte Bartolus in *l ſi filio D. de donat. cauſ. mort.* cuius ſententiam & alii probant, & Salicetus in *l. cum quis. in princ. C. de iur. delib. rant.*

trahit in dubium, tunc cenſeri relictam patris contemplatione, ſi teſtator in ea relinquenda fecerit mentionem aliquam patriæ poteſtatis vel expreſſe vel inuolute. Expreſſe, veluti ſi dicat, ſe relinquere Titio filio Caii q in eius poteſtate ſit. Implicite, veluti Titio filiofa. Caii. *l. familia. D. de V. S.* neque enim fruſtra teſtator intelligitur feciſſe mentionem patriæ poteſtatis, cuius effectus eſt præcipuus in adquiſitione poſitus. quod ſi ſimpliciter dixerit, Titio filio Caii; tunc non patris contemplatione hereditatem reliquiſſe cenſebitur, ſed illa verba, filio Caii, adieciſſe demõſtrationis gratia. *l. fin. C. de vſufruct.* His ita cognitis duo nobis videnda ſunt. Primum quid iuris ſit vel patri vel filio in adeunda vel repudianda tali hereditate profectitia? Deinde, an ex veteri iure aliquid in eo immutatũ ſit per nouas conſtitutiones, præcipue Iuſtiniani in *l. cum oportet. & l. cum non ſolum. C. de bon. quæ lib.* quæ l. de aduentitia tantum agit, & nonnihil de caſtrenſi *in §. ſimilique modo.* At de profectitia plane nihil dicit. Ius igitur hoc eſt in hereditate profectitia, vel etiam aduentitia iure quidẽ veteri; filiusfam. cui hereditas delata eſt, debet eam præcedente patris iuſſu adire. *l. ſi quis mihi bona. §. iuſſum. D de adquir. vel amitt. heredit.* Sed ſi filius nolit adire, quæritur, an vel pater ipſe per ſe adire poſſit hereditatẽ, & ſi non poſſit, an aliquo remedio cogere filium ad adeundum? de quo ita dicendum eſt, patrem ipſum nullo modo adire poſſe, quia is adire debet cui relicta hereditas eſt. Eſt autem relicta filio,

filio, non patri. *l. ſi quis extraneus. §. 1. D. eod. tit. l. qui liberis. §. vlt. D. de vulg. & pup. ſubſtit.* idque adeo verum eſt, vt ſi ſeruo relicta ſit, quã-uis domino adquiratur, & ex perſona domini valeat ſerui inſtitutio, tamẽ ipſemet ſeruus adire debeat, non dominus, *l. cum proponas 3. in fin. C. de hered inſt.* Igitur & filius ſolus adire poteſt, licet iuſſus patris requiratur, & ita rectiſſimè Cynus, & alii ſentiunt, nec quicquam de hoc veteri iure in hereditate vel bonis profectitiis immutatum eſt, per *d. l, non ſolum,* vel alias vllas; vt verè ſcribit Accurſius in *l. 1. in verbo, tranſacto. C. qui admitti ad bono.* & *l. fin. in verbo dies, D. Quis ordo in bonor. poſſ. ſerue.* & alii vulgo Dd. probant. Quid igitur ſi filius recuſet pertinaciter adire, an cogi poterit? & Bartolus quidem in *d. l. mihi bona. §. iuſſus.* ſcribit, quoniam filius non habeat iuſtam contradicendi cauſam, poſſe à patre iure patriæ poteſtatis adire compelli, eamque aditionem valere per ea quæ notantur in *l. quæ in fin. D. eod. tit.* Sed hæc ſententia repudianda eſt; nam neque ſeruus heres inſtitutus poteſt à domino cogi, vt velit adire *d. l. cum proponas. C. de hered. inſtituend.* cui legi non obſtat *l. cum aliquis. C. de iure deliberand.* vbi ſcriptum eſt, omnino ſeruum compellendum eſſe officio iudicis adire. nam ea l. loquitur in caſu valde ſingulari, & controuerſo, vt Imper. ipſe teſtatur, nimirũ de eo homine, qui ſe pro libero gerebat, & cum domino de libertate litigabat, qui contra hereditatẽ ſibi delatã contemplatione illius domini, vt verba *d. l* indicãt per ſummam

nequitiam adire nolebat, vt dominum eo damno aſſiceret, neque à domino poterat moueri vel cogi cum ſe pro libero gereret. malitiis enim iura occurrunt, quod mirum non eſt in tali ſeruo ita conſtitutum eſſe, cum liber homo heres inſtitutus & rogatus alteri hereditatem reſtituere, ſi adire eam detrectet, poſſit officio magiſtratus ad adeundum & reſtituendum cogi. *l. quia poterat. D. ad SC. Trebell.* Igitur ſi verus ſeruus poteſt nolle adire imperante domino *d. l.3.* quãto minus fili⁹ poteſt cogi imperante patre? quod ſi vel ſeruo vel filio metus verberum aut alius adhibeatur, ea aditio non facit patrem vel dominum heredẽ, vt diſerte ſcriptum eſt in *d l. qui in aliena. §. vlt.* Cui §. opponi ſolet *l ſi mulier. §. ſi metu. penult.* Vbi ſcriptum eſt ſi ego metu coactus adii hereditatem, valere aditionem, & me heredem effici. Nam reſpondeo ex ea l. ſolutionem colligi, cum ait licet ab initio noluiſſem, ſi liberum mihi fuiſſet, tamen coactus volui. & tamen quia ab initio nolui, ideo aduerſus hanc aditionẽ meam poſſum in integrum à prætore reſtitui, vt aditam hereditatem repudiem, vt ibidem ſcriptum eſt. Huius reſtitutionis cogitatione, ac ſpe præſumor ego noluiſſe adire, quæ ratio in ſeruo & filiofam. nullo modo locũ habere poteſt; imo nec altera illa ratio, quaſi metu coacti voluerint tamen tandem adire. nam cũ ſeruus vel filius ita coactus adit, fallere & ſimulare potius voluntatem intelligitur; & hoc nimirum eſt quod in *d. §. vlt l. qui in aliena,* ſcriptum eſt, *fallens adierit*, hoc eſt, ſimulans

vt

vt euitaret malum. Multo minus obſtat vel potius nihil plane ad rem facit *l. itemque. §. ſi cui mandauero. D. Mand.* quam Bartolus allegat ad hanc rem *l. is qui. D. de adquirend. hered.* poteſt igitur pater quidem filium ad adeundum compellere ſine effectu, quia licet filio reclamare, vt ſcriptum eſt in *l. cum non ſolum. C. de bon quæ lib.* Atque hæc de hereditate profectitia, itemque aduentitia iure veteri dicta ſunto. Sed in profectitia quidem nihil immutatū eſt, vt ſupra monui. In aduentitia autem multū eſt immutatum nouis conſtitutionib. quibus bonorum aduentitiorum proprietas ad ipſum filium, ſolus vſusfructus & adminiſtratio ad patrem pertinet cum iure veteri aduentitia in ſolidum patri quærerentur nō ſecus ac profectitia. Igitur Iuſtinianus in *d. l. cum non ſolum. vlt.* i a ſancit, vt delata filiofam. hereditate aliqua aduētitia, ſi quidem filius & pater in ea vel adeunda vel repudiāda cōſenſerint, rata ſit aditio vel repudiatio, ita vt neque adita poſſit iterum repudiari, neque repudiata poſſit iterum adiri iuxta reg. *l. 4. C. de repud. hered. cum ſim.* Quod ſi diſſentiant, ita vt alter adiri velit, alter repudiari atque omitti, tunc ſiquidē filius velit adire, pater autem nolit, ita ſtatuit, vt filius libere poſſit eā adire ſine patris iuſſu vel cōſēſu. eiuſue aditionis hūc eſſe effectū iubet, vt filio ea hereditas in ſolidū adquirat̄, atq; ita pater legitimo ſuo vſufructu mulctetur, quē ex cōſtitutionib. habitur⁹ erat, ſi filio cōſenſiſſet. vice verſa ſi fili⁹ nolit, pater velit adiri & adquiri, eadē pote-

ſtas adeūdi patri permiſſa eſt, idemq; ius ea datum, vt ſcilicet hereditatem eam in ſolidum ſibi quærat; atque ita filius mulctetur dominio, quod cōſtitutiones ei in bonis aduentitiis dederunt. Ex his apparet, quam multa in hereditate aduentitia immutata ſint iure nouo, id eſt, Imp. Iuſtiniani Conſt. in *d. l. cum non ſolum.* nam primum pater delatam filiofam. hereditatem, ſi is nolit adire, poteſt ipſe per ſe adire cont. *d. l. ſi quis extraneus.* §. 1. *D. de adq. hered.* & *d. l. ſi quis liberis.* Deinde quod diſſenſus patris, vel filii ita vt dixi, puniatur, & filiofa. adquirantur bona aduentitia in ſolidum, quæ patri iure veteri in ſolidum adquirebantur, iure nouo quo ad vſumfructum. Tertio, quod filiusf. nō habet opus iuſſu patris in adeunda hereditate, contra *l. q. in aliena.* & *ſimiles. D. de adquir. hered.* imò etiam patre inuito adire poteſt, *d. l. cum non ſolum.* quo argumēto Accurſius eſt vſus, vt demonſtraret filiumfam. poſſe hereditatē adire abſente & ignorante patre iuxta reg. *l. qui poteſt. D. de R. Iuris.* Atque hanc ſententiā omnes ferè ſequuntur & veteres & noui interpretes, inter quos Donellus noſter eſt lib. 7. comm. iur. ſolus Angelus in d. l. contrariū ſentit, nimirum non poſſe abſente & ignorāte patre filiumfam. hereditatem adire, ſed patrem prius admonēdum eſſe, idque ea ratione, quod de patris iure & præiudicio hîc agatur, vtpote ad quem pertineat vſusfructus & adminiſtratio hereditatis, ideoque æquum eſt eum certiorari vel citari, vt fieri ſolet & debet cum alicuius intereſt aliquid fieri vel non fieri. *l. nam*

ita. D. de adoptionib. Deinde hoc iuri veteri cõgruit, cui non eſt in hoc caſu abrogatum per *d. l. cum non ſolum*, vt mox docebo. ergo cur id ſtare prohibemus, vt ait Imp in *l. præcipimus. C. de appell.* accidit & illa ratio potentiſſima, quod pater eſt legitimus adminiſtrator omniũ aduentitiarum filii *d. l. vlt. & l. cum oportet. §. ſin autem.* Eſt autem magna pars adminiſtrationis curare, ne filius decipiatur in adeunda vel repudianda hereditate, in quo etiam homines prudentiſſimi ſæpe labuntur. *l. ſcimus. & paſſim. C. de iure deliberan.* Item adhuc magis confirmatur ex his, quæ nunc reſpondebo ad ea quæ in contrarium obiici ſolent pro ſententia illa ſcilicet communi. Ac primnm non obſtat d. regula, quod alio inuito facere poſſum, idem & eo ignorante poſſum, *d. l. quod poteſt inuitis. D. de R. Iur, l. 4. illud. D. de fidecommiſſar. libert.* Nam ea locum habet, vbi eadem eſt ratio inuiti & ignorantis, vt pulchrè Decius docet ad *d. l. quod poteſt.* contra ubi diuerſa eſt ratio, vt in *l. duo ex tribus. D. eod. tit. & l. item ſi in tres. D, de arbitr,* Simile eſt, quod de Prælatis cautum eſt, vt non vocato aliquo qui in electione Epiſcopi adeſſe debet, tota electio ſit irrita. & tamen eo præſente & inuito facta electio valet. *cap. quod ſicut. extra de electione. cap. 1. extra de arbitr.* Diuerſa antem eſt & in propoſito noſtro ratio ignorantis patris, & inuiti propter ea quæ diximus. Secundo non obſtat, quod dicitur, fruſtra hic requiri, vt pater à filio certior fiat de hereditate ſibi

delata,cum etiam eo recuſante, filius eam adire poſſit; id enim plane verum non eſt; quia pater admonitus poſſit filium docere, & deterrere ab hereditate adeunda, forte damnoſa & inuidioſa,& periculoſa. Tertio non obſtat, quod filio hodie dominium hereditatis aduétitiæ adquiratur,ideoque ceſſare videatur. illa ratio veteris iuris,quo requirebaturpatris conſenſus, & iuſſus,q.a ſcilicet adquirebat, vt Donellus ait & ante eum Fulgoſius ſcripſit. Non obſtat, inquam nam patri tãtum hodieque vſusfructus adquiritur & adminiſtratio pleniſſima & dominio proxima, vt ait *l.cum oportet*. Ideoque licet filius hodie capax ſit adquiſitionis,tamẽ nõ eſt capax adminiſtrationis Quarto non obſtat *d.l.cum non ſolum.§.ſin autem recuſante*;quia loquitur de illo ſolo caſu, cum pater ſcit & diſſentit; at ignorans & abſens non poteſt dici diſſentire,neque leges nouæ temere ſunt extendendæ ad alios caſus, de quibus non nominatim loquuntur; *Auth. quas actiones,& ibi Dd.notant. C.de SS. Eccleſ.* eſt autem *d l.cum non ſolum*. fere correctoria. corrigit enim ius vetus de conſenſu,& iuſſu patris, non ſolum limitat;vt inepte Iaſon ſcribit ad *d. l.1.C. qui admitti n.27.& ſeq.* Vbi tamen rectiſſimè probat hãc Angeli ſententiam,aitque eſſe meram veritatem, atque ita etiam Raphael Cumanus *conſ.106.incip.Antonius Canonicus*, reſpondit.eamque ſententiam placuiſſe Duareno video. ea igitur nobis quoque tenenda eſt. Atque hæc item ita ſe habent, ſi filius ſit inte-

tegra & plena ætate, his enim duobus vocabulis Imp. vtitur in *d l. cum non ſolum. in princ.* Quibus ſignificat ætatem maiorem 25. annis quæ alias legitima ætas dicitur, vel perfecta, vel ſtatus ætatis *l. cum pater. §. curatoris. D. de legat.* 2. Vt Virgilio, *firmata virum te fecerit ætas*, id eſt, quod Vlp. poſt 25. annum compleri virilem vigorem. *l.* 1. §. 1. *D. de minoribus.* aliud eſt quod Impp. dicunt vigoris nondum emerſiſſe veſtigia *l.* 3. *C. Qui teſtam. fac. poſſ.* intelligunt enim puberem, qui nondum ſigna pubertatis habeat. Denique varie accipitur in iure ciuili ætas legitima, nunc pro 14. nunc pro 18. nunc pro 25. annis. Ideoque eleganter Arnotius Aſer comment. in Pſalmum. VIII *Vt non ſolum,* inquit, *ætates legitimæ: ſed etiam infantes & lactẽtes ad laudem eius irrumperent.* Quod ſi filius ſit minor 25. annis, quæ ætas ſecunda appellatur *in d. l. cum non ſolum.* §. 1. cũ prima ætas ſit ante pubertatem, id eſt, 14. annum, quam appellat idem puerilem in eadem *l. in §. vbi autem.* 6. Si igitur minor ſit 25. annis, eadem locum habere ſancit *in d.* §. 1. Iuſtinianus, quæ ſupra ſanxerat in maiore 25. annis, hoc tamẽ addito, quod ſi minor 25. annis hereditatem vel adiuit vel repudiauit, atque in ea re læſus captusque fuerit, competat ei remedium in integrum reſtitutionis, vt ſcilicet aditam hereditatem repudiare poſſit, vel repudiatam adire, ſic tamen vt patri ſuus vſusfructus ſaluus permaneat. Quod ſi patre recuſante adire, filius ipſe adiuerit, & pater nolit hereditatem illam admi-

niſtrare vel gubernare, tunc filius, quia eſt minor 25. annis, poteſt eo caſu magiſtratum adire, & petere vt curator à magiſtratu aliquis detur hereditati, qui eam adminiſtret, *d.* §. 1. *l. vlt.* Sicut & in aliis caſibus fieri ſolet, cum pater abeſt, & patris procurator nolit agere vel defendere filium, de quo ſcriptum eſt in *l. filiusfa. D. de procurat. & l. ſed ſi vnius.* §. *interdũ. & ſeqq. D. de iniur.* & dicã infra cõmodius, vbi de iure filii in agendo exponam. Hereditati autem, inquit, Iuſtinianus, curatorem dari non ipſi adoleſcenti, quia ei dari non poteſt, cum ſit in patris poteſtate. *Inſt. de tutel. in princ, l. vlt. in fin. C. de cur. furioſ.* bonis igitur tãtũ curator datur, vt alias ſæpe *l.* 1. *& paſ. C. de curat. bonis dand.* quid aũt ſi non hereditas, ſed res aliqua ſingularis filiofam. relicta ſit, & pater nolit eam habere vel gubernare? idem dicemus vt curator in ea re detur, vt ait Accurſius recte ex *Auth. vt liceat matr. vel aui.* atque hæc ita ſe habent, cum filius à patre diſſentit & alter vult, alter non vult hereditatem adire. Quid dicendum, ſi non tantum diſſentiat, ſed etiam aperte repudiet? hæc enim diuerſa ſunt, nolle adire, vel conſentire, & repudiare. repudiatione enim hereditas ſtatim amittitur. at poteſt qui hodie non vult, cras velle. de hoc ita nobis prodita regula eſt ab Vlp. in *l. is qui heres.* §. *vlt. D. de adquir. hered.* Neque filiumfam. repudiando ſine patre, neque patrem ſine filio, alteri nocere. vtroſque autem poſſe repudiare. in quo ne erremus, diſtinguendum eſt inter

ge-

genera hereditatum. Nam hereditatem caſtrenſem filius recte repudiat ſine patre, at pater ſine filio nullo modo repudiare poteſt, & ratio eſt, quia hæc hereditas filiofamil. in ſolidum adquiritur, eius autem eſt repudiare, cuius eſt adquirere *l. is poteſt. D. de adquir. heredit.* Sed hodie ſi filiusfam. talem hereditatem recuſet adire, patri permiſſum eſt, vt ipſe adeat, *d. l. cum non ſolum. §. ſimilique modo.* an igitur repudiatam à filio poterit adire? Reſp. ſi verum eſſet. quod Bartolus ad *d. §. vlt. l. is qui heres.* ſcribit, dictam *l. cum non ſolum.* loqui de repudiatione & quidē expreſſa, dum pater repudiatam à filio ſine dubio adire poſſit. ſed mihi contrarium videtur eam l. non loqui de repudiatione, ſed de diſſenſu duntaxat filii, dum patri iubenti adire id recuſat. De profectitia autem hereditate ita ius eſt, vt à filio non poſſit repudiari, quia eſt tota patris, tametſi filius, cui delata eſt, cogi non poſſit, vt eam adeat inuitus, vt ſupra docui, pater autem poterit eā repudiare, quia repudiando nihil noceat filio, atq; ita ceſſet ratio Regulæ *d. §. vlt. l. is qui heres.* neque .n. in profectitia hereditate quicquam immutatum eſt per nouas conſtitutiones, vt rectè docent vulgo interpretes, & Donellus lib. 6. comm. cap. 17. in medio. deinde ea eſt hereditatis profectitiæ conditio, vt non ſolum patri per filium, ſed etiam mihi adquiratur per liberam perſonam, quæ ſeruit mihi bona fide, id eſt, ignoranti eam liberam eſſe, ſi videlicet is propter me heres ſit ab aliquo inſtitutus, & meo iuſſu hereditatē adierit. *l. à Titio. § fin. D.*

*de adquir.hered.l.liber homo.in fine.D.de adquir-rer.dom.*ſicut vice verſa, ſi aliquis heredem puta Titium inſtituerit, vt hereditatem reſtituat filiofam. Caii, cum is paterfam factus eſſet, ideo ne patri eius adquireretur, pater ab ea hereditate omnino excluditur, vt in pulchra ſpecie Africani *l.cum quidam filium. D.de heredib. inſtituen.* neque obſtat argumentum illud Bartoli, pater non poteſt adire hereditatem ſine filio. *l.ſi quis mihi bona.* §. *iuſſum. D. de adquir. hered.* Ergo, inquit, pater etiam non poteſt repudiare ſine filio. *l.is poteſt.D.eod.tit* Reſp. enim *d Regulam l.is poteſt.* primum loqui de eo qui ſuo nomine & propter ſe ſolum adit. deinde ea Regula potius valet in contrarium; ait enim, is poteſt repudiare qui poteſt adquirere: ergo pater , quia ei ſoli adquiritur hereditas profectitia, poterit etiam ſolus eam repudiare. In aduentitia autem hereditate, iure veteri nec pater ſine filio, nec filius ſine patre repudiare potuit. *d.l.*§.*vlt.l. is qui heres. l. renitente. C. de iur. deliber.* Sed cur non potuit pater ſolus repudiare, ſicut profectitiam poſſit, cum iure veteri ante has nouas principum conſtitutiones inter aduentitia & profectitia plane nulla eſſet differentia, ſed omnia æque patri in ſolidũ adquirerentur. ergo pater aduentitiam repudiando non magis nocet filio, quam repudiando profectitiam. atque ita dicendum eſt, poſſe eum ſolum repudiare, cum ceſſet ratio *d.*§.*vlt.* Ad hoc ita reſpondeo, idcirco non poſſe iure veteri repudiare patrem aduen-

uenticiam hereditatem ſine filii conſenſu,quia filius poſſit tamen aliquando eam hereditatem ſibi adquirere, non patri: puta ſi mortuo patre adiret, vel emancipatus à patre, vel in ſpecie *d.l. cũ quidã filium.* atque ita filius poſſet differre aditionem, & ſibi patrifamilias facto adquirere hereditatem ſibi filiofam l. delatam. *l. non eſt dubium. C. de iur. deliberand.* quod contra ſe habet in profectitia hereditate, id eſt, relicta filio contemplatione patris. nam licet eam emancipatus adiret, tamen eam patri adquireret, cum & per liberam perſonam nobis adquiratur, vt antea docui. Hodie autem, id eſt, ex *d. l. cum non ſolum. C.de bon. quæ liber.* poteſt quidem pater, vel filius hanc hereditatem repudiare; eaque repudiatio valet, ſed ita tamen valet, vt repudianti duntaxat noceat, alteri autem qui non repudiauit,ius integrum ac plenum eius ſibi adquirendæ remaneat. in quo hoc ius nouum differre mihi videtur à iure veteri, quo iure, nec quod ad ipſum repudiantem pertinet, talis repudiatio valet, ita loquitur *d. l. qui heres. §. vlt. D. de adquir. hered.* Atque hæc de maiori & minori 25. annis. Reſtat nunc, vt de minori 14. annis, id eſt, de puero exponamus. De quo Iuſtin. agit in *d. l. cum non ſolum. §. vbi autem pueris. C. de bonis quæ lib.* Puerilem ætatem non accipit totam illam vſque ad 14. annum, ſed vſque ad annum ſeptimum, quam enim in *d. §. vbi.* appellat puerilẽ ætatẽ, in *§. ſeq.* de eo-

dem agens, appellat infantilem. Deinde in eodem §. vbi ait, quando legibus permiſſum eſt patri adire hereditatem nomine filii in puerili ætate, id autem L. Theodoſii Imperatoris permiſſum eſt tantum nomine filii infantis. *l. ſi infanti. C. de iur. deliberan.* infans autem eſt minor ſeptem annis *d. l. & l. 1. §. 2. D. de adminiſtr. tutor.* Vnde Græci vocant infantem, ſeptiannẽ. alias puer & puerilis ætas dicitur vſque ad 14. annum in maſculis, vſque ad 12. in fœminis, id eſt, vſque ad pubertatem. *l. pueri. & ibi gloſſa. D. de V. S.* Poſtremo puerilem ætatem de infantili hîc intelligendam eſſe, liquido apparet ex eo, ꝙ in *d.* §. vbi Imp. dicit, ſine conſenſu filii poſſe patrem adire, quod dici non poteſt de eo, qui maior eſt infante, nam pater ſine eius conſenſu adire non poteſt. *d. l. ſi infanti.* & Accurſius notat ibi, in prima gloſſa. Sed vt hæc rectè intelligantur, dicam diſtinctè de infante, & de pucro qui maior eſt infante, & primum de aditione paterna, deinde de repudiatione. Igitur de aditione ita ius eſt, vt pater delatam filio infanti hereditatem poſſit ſolus adire, ſed nomine tamen non ſuo, ſed filii *d. l. ſi infanti. C. de iur. delib.* ſi ſuo nomine adiret, nihil aditio valeret, vt recte illic Bartolus monet, iubens nos in huiuſmodi aditionibus cautè agere. Olim, id eſt, ante dictam conſtitut. Theodoſii non poterat pater pro infante filio, hereditatem adire, licet poſſet pro ea agnoſcere bonorum poſſeſſionem. *l. potuit. C. eod tit. l. ſi infantis. C. qui admit. ad bonor. poſſeſſ.* ratio differentiæ eſt, quod facilius quis fiat bonorum

norum poſſeſſor iure ſcilicet prætorio, quam heres iure ciuili. Heres enim idem eſt quod domin⁹, vt ait Imp. *tit. Inſt. de bonor. poſſeſſ.* Sicut & Germanis vocabulum HERRN à latino heres dictum putat Ioh. Sichardus ad *d. l. ſi infanti.* Sed rectius id duxiſſet à Germanico itidē verbo ERDT, id eſt, terra. nam & latinū heres ductū à latino herediū, quod terram ſiue eius proprietatē ſignificat. Sed cōtra dictāTheodo. conſtitutionē, quam Iuſtinian. in *d l. vlt. §. vbi autem.* confirmat. duo obiici ſolent, vnum quod cum hereditas adita ſit, ſoleat heredem æri alieno aliiſque oneribus obligare. *l. qui in aliena. l. more. D. de adquir. hered.* filius autem non poſſit patre ſuo authore obligari *l. vlt. §. pupillus. D. de V. O.* Ergo ſequitur, nec patrem hereditatem ipſi delatam adiri ſine ipſo poſſe. Alterum eſt, quod infans vbique ferè in iure comparetur furioſo. *l. pupillus. D. de adquir. hered. §. pupillus. Inſtit. de inut. ſtipula.* Sed delata furioſo hereditas, neque ab eo adiri poteſt, quia intellectu caret, neque à curatore eius, quia ius prohibet. *l. vnic. D. de bonor. poſſeſſ furio. l. vlt. §. ſin autem furore. de curat. furioſ.* Quamuis interim curator fructus eius hereditatis percipiat. Ad hæc ita reſpondendum eſt, ad primum quidem, verum eſſe filiumfam. non poſſe patre auctore obligari, cum poſſit tutore authore. Sed huius rei ratio illa eſt, quia ſi tutore authore obligetur, & ex eo læſus ſit, habet regreſſum aduerſus tutorem. *l. 7. D. de tutel. &*

rationib. diſtr. Sed aduerſus patrem non habet regreſſum, aduerſus quem nec agere poteſt. §. *hi qui. Inſt. de O. quæ ex delict. naſcunt.* Quod ſi aliquà ita legibus proſpectum ſit filio, vt quamuis obligetur à patre, id tamen ei non noceat, tum dicemus eum rectè ab eo obligari; id autem in hac aduentitia hereditate ita cautum eſt noua illa Theodoſii conſtitutione, quam Iuſtinianus ita confirmat, & ex cuius mente dat filiofam. in integrum reſtitutionis beneficium, ſi aditione patris obligatus ſit damnoſæ hereditati, ipſe enim pater ſolus tenebitur omnibus oneribus hereditariis. *d. §. vbi autem. l. cum non ſolum.* Ad alterum, differentia eſt inter infantem & furioſum in hac re, de qua agimus; eiusque differentiæ ratio illa eſt, quia infans habet intellectum ſaltem potentia, quæ breui in actum educenda ſit; at furioſus ſemper talis futurus præſumitur, qualis nunc eſt, vt Salicetus ad *d. l. ſi infanti.* ſcribit, ideoque relicta furioſo hereditas, donec furor eius durat, nec delata quidem ei intelligitur, nec eius dies vnquam cedit. *d. l. vlt.* Deinde cũ cæteris non eſt tanta authoritas, quanta eſt vel tutoris, vel patris adminiſtratoris legitimi *l. in copulandis. C. de nuptiis. l. cum oportet. §. ſin autem. C. de bonis quæ lib l. cum in vna. §. vlt. de app.* Quid dicendum autem eſt, ſi filius iſte neque ſit in patris poteſtate, quia ſit ab eo emancipatus, neque etiam ſit in tutoris? hoc caſu pater eſt filii ſui impuberis tutor legitimus. *l. 3. §. fin. & l. ſeqq. D. de legit. tutorib. Inſt.*

de

de legit. parentum tutel. Quare pater poteſt e-ius nomine etiam hereditatem adire, vt tutor alius poſſet pupilli infantis nomine, *d. l. ſi in-fanti. verſ. eadem vero. C. de iur. deliberan.* Qui caſus in patre vnicè notãdus videtur tanquam ſingularis & admirabilis, vt Fulgoſius ait; quia hoc caſu pater eſt adminiſtrator & tamen i-dem non eſt fructuarius in bonis aduentitiis; vſufructus enim non adquiritur patri, qui fili-um in poteſtate non habet; atque ita admini-ſtratio legitima hoc caſu ſeparata eſt ab vſu-fructu. In quo Iaſon, & alii reprehendunt Ac-curſium ad *Auth. excipitur. C. de bon. quæ lib.* dicentem, patrem non habentem vſumfru-ctum non haberi legitimum adminiſtratorem *ex Nou. vt liceat matr. & au.* Sed defendendus Accurſius eſt, quia ibi loquitur de patre filium in poteſtate habente, & de patre adminiſtra-tore. nos autem hîc loquimur de patre qui non habet filium in poteſtate, eiusque legiti-mus non adminiſtrator eſt ſed tutor. Atque hæc de aditione paterna facta nomine filii in-fantis. De repudiatione autem ſic ſubiicit Imperator in *d. l. cum non ſolum. §. ſin vero pa-ter.* Vt ſi pater hereditatem filiofa. delatam re-pudiet, eo infante adhuc conſtituto, poſſit po-ſtea fili⁹ eã adire, & ſibi ſoli in ſolidũ adquirere; idq; ſiue ſit adhuc in patris poteſtate & adole-uerit, ſiue eius poteſtate liberat⁹ ſit. ſi adoleue-rit inquã; nam impubes vel pupillus nõ poteſt ipſe adire. *l. pupillus. D. de adq. hered.* Neq; .n. tu-torem habet quo authore adeat, cũ ſit in patris poteſtate. neq; etiã patre authore adire poteſt,

quia pater eam hereditatem iam ante repudiauit. qua in re primum differentia inſignis notanda eſt inter aditionem, & repudiationem paternã. nam ſi pater nominé filii ſui adiuit, filius vt poſſit hereditatem eam poſtea repudiare, opus habet petere à prætore in integrum reſtitutionem *d* § *vbi autem puerilis*. Sed ſi pater repudiauit, vt filius poſſit eam adire, nulla habet reſtitutione opus; ſed rectâ & ipſo iure adire poteſt, vel ipſe ſi adultus ſit, vel tutores, vel cum tutoribus ſuis, ſi minor ætate ſit, *d. §. ſin vero patri*. Vnde appatet non ſemper in iure noſtro valere argumentum illud, quo dicitur, contrariorum eandem ſcientiam eſſe. Deinde obſeruandum eſt in priori illo caſu, cum pater adiuit, reſtitutionem filio in integrum dari aduerſus aditionem, atque ita aduerſus factum patris. quare h. l. cum non ſolum omnino pugnare videtur cum *l. vlt. C. Qui & aduerſ. quos*. Imo ipſe ſecum Imp. pugnat cum eiuſdem Iuſtiniani ſint ambæ illæ conſtitutiones, & ad eundem ſcriptæ, id eſt, ad Iohannem præfectũ prætorio. Reſp. *d. l. vlt. C. Qui & ad. quos*. ſtrictè & in propriis terminis intelligendam eſſe, & vbi pater aliquid cum filio geſſit, item vbi patris fama & reuerentia læderetur per reſtitutionem filii; quod in propoſito noſtro non accidit, vbi pater ſeorſim à filio ſuo vtpote infante hereditatem adiuit, & filium nec læſit ab initio, nec lædere potuit, multoque minus eius exiſtimatio læditur, vt eleganter explicat Donellus noſter lib. 12. comm. cap. 11. Valeat enim Ca-

ſtrenſis

ſtrenſis & aliorum diſtinctio, in *d. l. vlt. Qui & aduerſus quos*, inter reſtitutionem, quæ fit officio iudicis, & eam quæ fit iure actionis, licet eam doctis quibusdam probari videam, tamen inepta eſt, cum hodie omnis in integrum reſtitutio fiat iure actionis, vt docui lib. 1. & 2. de Iurisdictione. Poſtremo, notandum eſt, quod in *d. §. vbi autem*. Imp. ſancit, vt filius reſtitutus aduerſus aditionem patris, non poſſit iterum reſtitui aduerſus repudiationem ſuam; ne ludibrio, inquit, ei leges fiant. Sed huic l. opponitur quod conſtanter traditum eſt minoribus 25. annis ſæpius in eadem re reſtitutionē concedi, puta vt reſtitutus ad adeundum poſſit iterum reſtitui ad repudiandum & vice verſa *l. 2. § ſi bonorū D. ad Senatuſconſultum Tertull l. ait prætor. § reſtitutus. D. de minorib.* quod diſertè de filiofam. minori in *h l. vlt. §. vbi autem.* & generaliter omni minori negari videtur *in tit. C. Si ſæpius in integrū reſtitut. petat.* Reſpondeo, & prius ad id, quod facilius eſt, id eſt, ad dictum titulum C. non negari in eo ſimpliciter, ne bis in eâdem cauſa in integrum reſtitutio detur, ſed ita niſi in poſteriori petitione adferantur nouæ defenſiones, vel rationes, vt eſt in *l. 2. d. tit. C.* Deinde in eâdem re vetat bis reſtitutionem dari. ſed in noſtro propoſito non eſt eadem res, vel quia nouæ defenſiones adferūtur, quæ diuerſam rem faciunt videri *l. & an eadem. D. de re iudicat.* vel quia ſemel ad adeundum, ſemel ad repudiandum reſtitutio petitur, quæ ſunt res diuerſæ, licet circa eandem hereditatem. ille autē tit. C. loquitur eo caſu,

cum quis reſtitutionem petiit ad adeundum & repulſam paſſus eſt, deinde iterum petit etiam ad adeundum, neque vllas nouas rationes affert: vt ſententiam eius tituli Cuiac. explicat. Quid ergo reſpondebimus ad *d. l. cum non ſolum. §. vbi autem. verſ. non autem filio.* vbi reſtituto ad repudiandum diſerte negatur alia reſtitutio ad adeundum, Cuiac. in *d. l. ait prætor.* Thalelæi Græci interpretis opinionem veriſſimam dicit, qui tanquam contrarias notauit has duas leges, atque ita Cuiac. antinomiam ſtrenue hic admittit, quod fieri vetat Imp. *l. 2. C. de veter. iur. enucl.* augeri videtur hæc difficultas ex *l. 2. C. de repud. hered.* quæ eſt eiuſdem Iuſtiniani, vt *d l. non ſolum*: vbi tamen cõſtituit poſſe poſt repudiationem reſtitui; ſi res integræ fuerint. ſed ibi loquitur Imp. cum ſemel tantum reſtitui minor petit, antea enim repudiauerat, ſed ſine reſtitutione; nos hic loquimur de duabus reſtitutionibus. Quid ergo dicendum? & Accurſius putat reuerẽtiam paternam eſſe cauſam in *d. l. cum non ſolum. §. vlt.* quare non debeat filiusfa. bis in integrum reſtitui, ſemel contra aditionem patris, item cõtra repudiationem ſuam. aliud autem eſſe vbi pater non adiit, ſed ipſe filius, vt ait in *d. l. prætor.* ſed neque hæc reſponſio quicquam valet, nam Imp. in *d. §. vbi.* non reuerentiam paternam pro cauſa denegandæ ſecundæ reſtitutionis habebat; ſed illam, ne ludibrio leges fiant. ſolutio vera & clara hęc eſt, quæ etiam ex ipſius Iuſtin. verbis colligitur ſi quis attendat, non enim duplex, ſed triplex variatio eſt in ſpecie *d. l. vlt.* Primo enim pater adiuit hereditatẽ;
&

& idẽ fere eſt, ac ſi filius ipſe adiuiſſet; & quia filii hereditas eſt; & quia filii nomine à patre adita eſt, vt ſupra docui, & probant illa verba *d.* §. vbi ſcriptum eſt de rato habendo, vel non, quod pater geſſit. & quia perſona patris eadẽ cenſetur eſſe cum filio *l. vlt. C. de impuber. & aliis ſubſtitut.* Primum igitur pater, ſiue filius per eum adiuit. Secundo filius reſtitutus eſt contra aditionem patris. Tertio, nunc petit reſtitui ad adeundum, atque ita in eadem hereditate reſtitui petit, non contra ſolam repudiationem, vel contra ſolam aditionem, ſed cõtra vtrumq; ; hoc eſt autem reuera leges ludibrio habere toties variãdo & reſtitui in integrũ petendo. & hoc nimirum eſt, quod ait ibidẽ Imp. *ſæpius amplecti* &c & paulo poſt, *iterum iudiciũ amplecti.* non dicit ſemel amplecti. ſignificat. n. bis hereditatem amplexũ eſſe; ſemel p patrem, qui eam adiuit eius nomine, item per ſe cum reſtitui petit ad adeundum contra ſuam repudiationem & priorẽ reſtitutionem hoc ludibriũ legum Imper. merito prohibet: nã ſi iudicia nõ debent eſſe luſoria, vt ait *l. ſi prætor. D. de iudic.* & in iudiciis capitis ridicula defenſio maiorem meretur pœnam, quã nulla adlata puta ſi quis homicidiũ ſuũ ita excuſet, ob natiuitatẽ ſuam vel fatum, vt ſcribit Diuus Chryſoſtomus li. 5. de Fato: quanto minus leges lædi debent: licet quædam iis ridicule cauta videantur, vt ſcribit Plutarchus, vbi affert ex legib. Spartanis illud exẽplum, quod Ephori ſtatim cum ineunt magiſtratum, edicunt ne quis myſtacem alat, & vt legibus obtemperent, ne eæ ipſis difficiles ſint obſeruatu. Ex Romanis autem, quod

in ſeruis per vindictam manumittendis, eorum corporibus glebam, ſiue feſtucam, iniiciant; & in teſtamentis, quod alius ſit heres, alius ſit heres, alius emptor familiæ, ſiue hereditatis, vt explicatur in *tit. Inſt. de teſtamentis ordinandis*. Ex Solonis, illam de ſeditione, vt quis ſe alteri parti aggreget ſub pœna capitis. Denique ſic concludit, multa plane videri abſurda, niſi auctoris mentem, & cauſam ſcriptorum quis cognouerit. imò inquam ego, etſi non cognouerit, tamen quia ratio ſubeſt, iis parendum eſt. *l. non omnium. D. de ll.* Atque hæc ita nobis explicanda ſunt de adeunda, vel repudianda hereditate aduentitia, ſi tamen illam egregiam quæſtionem adiecerimus. ſciendum eſt enim *d. l. cum non ſolum*, quam hoc capite explicauimus, loqui eo caſu cum filiusfamil. heres ab aliquo inſtitutus eſt, vel ei hereditas ab inteſtato delata eſt. quid ergo dicendũ ſi filiofam. heredi inſtituto datus ſit ſubſtitutus. & filiusf. repudiet hereditatem, vtrum pater, an ſubſtitutus ad eam adeundã admittatur, & vter vtri ꝑferendus ſit? nam *d. l. cum non ſolum*. quæ filio adire recuſante ſtatim patrem eius admittit, non loquitur hoc caſu, vbi filius habet ſubſtitutum. de hoc ita dicendum eſt, ſubſtitutum, ſi ipſe heres eſſe velit, præferri patri heredis inſtituti, propter expreſſam teſtatoris voluntatem, quæ in teſtamentis dominatur & totum facit. *l. quæſtio. C. de legat. l. 2. D. de hered. inſtituen.* Sed in contrarium multæ faciunt. Primum illa iuris Regula, qua placet

cet ſubſtitutum excludi, ſi inſtitutus ipſe, vel ipſe heres fuerit, vel alium heredem fecerit, puta filius patrem, ſeruus dominum. *l. ex pacto. §. Iulianus. D. de vulg. & pupill. ſubſtit.* Deinde, quia filii & patris eadem perſona eſſe cenſeatur, *d. l. vlt. C. de impub. & alus ſubſtit.* Tertio, quia ipſe videtur inſtitutus eſſe filio repudiante; ideoque per ſe adire poteſt, *d. l. cum non ſolum. §. ſancimus. & §. ſimilique modo.* Poſtremo, quia filiofam. relicta hereditas videtur contemplatione patris, atque hanc ſententiam amplectuntur & Cynus, Bartolus, aliique Dd. Sed certe ſententia falſa eſt, & abſurda propter illam iam dictam rationem, quod teſtator voluit ſubſtitutum admitti, ſi inſtitutus repudiaret. *l. heredibus. D. de heredib. inſtit. l. 1. §. ſi proponatur. D. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtament.* Nec moueri debemus tot ſupra in contrarium allatis rationibus & authoritatibus, cum vna tantum pro noſtra ſententia adducatur. nam vt elegantiſſimè Cicero ad Atticum ſcribit, ſolet in multis quæſtionibus accidere, vt hæc pars ſit verboſior, hæc verior. Non obſtat igitur prima ratio, quia illa Regula tunc procedit, quando is qui heres inſtitutus eſt, ipſe adit hereditatem, quam hereditatem acquirit domino vel patri. ſed in noſtro propoſito filius repudiauit, non adiuit. Non obſtat ſecundo fictio illa iuris, quæ non habet locum, niſi certis quibuſdam caſibus, certe non habet locum contra expreſſam teſtatoris voluntatem, cui teſtatori lici-

tum eſt ita filiofam. relinquere hereditatē vel legatum vt id non acquiratur patri eius. *l. cum quidam. D. de heredib. inſtituend. Nou. vt lic. mat. & au.* Non obſtat tertia, quia *d. l. cum non ſolum.* loquitur eo caſu, cum filio non eſt pater ſubſtitutus, vt ſcilicet pater filio recuſante &c. vt ſupra expoſui. Non obſtat quarta. & vlt. quia non ſemper, imo rariſſime relinquitur filio hereditas contemplatione patris: certe id nunquā p̄ſumitur, niſi ex verbis teſtamenti colligatur, vt ſupra demonſtraui. Deinde contrarium apparet vbi ſubſtitutū dedit filio heredi; nā ſubſtitutū omnino omnibus prætulit poſt heredē. *d. l. Cornelius, cum ſimilib.* Concludendum eſt igitur, ſubſtitutum patri præferri: imo amplius dico, ſi cohæres filio datus ſit, eo repudiante cohæredē prēferri patri ipſius, iure ſcilicet accreſcendi *l. vnica. C. quando nō petēti. par.* ergo ſubſtitutus multo magis præferatur patri, cum & ipſi cohæredi præferatur. *l. vnica. §. 1. & §. in ſecundo. C. de cad. tollend.* Excipiendus eſt hoc loco, vt Accurſio videtur, vnus caſus ſi videlicet filius à matre ſua exheredatus ſit, & is querelam inofficioſi teſtamenti omittat, per quam potuiſſet hereditatem matris recuperare, atque omittendo querelam videtur hereditatem matris repudiare. an igitur pater ipſe admittetur ad querelam, iuxta *d. l. cum non ſolum.* minime; quia ea l. loquitur de hereditate filio delata ex teſtamento, vel ab inteſtato: ſed hic potius ei adempta eſt teſtamento matris; nec querela illa patri datur, ſed filio, quia exheredatio filii eſt iniuria, non patris. *l. Papinianus. in*

I *princ.*

patre. D. de inoffic. teſtam. Hęc de d §. *vbi autem. & ſeqq.* id eſt, de infante. cui hereditas delata eſt. quod ſi filius maior ſit infante, id eſt, maior ſeptem annis, puer tamen & impubes, de hoc ita cautum eſt in *d. l. ſi infanti. C. de iure delibe- rand.* vt in eo confirmetur ius vetus, nimirum vt maior infante heres inſtitutus, vel ab inteſtato alicujus heres ſuccedens nec poſſit ipſe per ſe hereditatem adire, nec alius ſine ipſo. quare ſi paterfam. eſt & tutorem habet, tutoris conſenſus requiritur, ſin filiusfam. patris cō- ſenſus, quod ſi neque tutorem, nec patrem habet, tunc decretum iudicis interponi debet, & ex eo adire vel repudiare hereditatem debet.

CAPVT XXII.

De Legatis & Fideicommiſsis, & mortis cauſa donationibus.

QVæ antea de hereditatibus filiofam delatis Iuſtinianus prolixe expoſuerat in *d. l. cum non ſolum. C. de bon. quæ lib.* eadē etiam in legatis & fideicommiſſis & in donationibus, aliiſq;, vt ait, contractibus obſeruanda duobus in locis, in ea lege dicit. primum in §. *ſancimus* 1. deinde in §. *pen. in fin. d. l.* Sed quædam explicanda hic ſunt in omnibus his generibus, quę ſunt propria vniuscuiuſq; generis, nec cō- munia cum hereditatibus, ad quas totus ſermo Imperatoris collatus eſt in *d. l. cum non ſo- lum.* Igitur in legatis filiofamilias relictis

certum ius eſt, ſaltem poſt dictas conſtitut. Iuſtiniani. *l. cum oportet. & d. l. cum non ſolum.* neque patrem poſſe ea repudiare in præiudicium filii ſui, neque filium in præiudicium patris: imo filio, vel patri acquiri in ſolidum, in caſum quo alter repudiet. Illud quæritur, an iure veteri, & ante *d l vlt.* Iuſtiniani licuerit patri repudiare legatum filio relictum? de quo mirifice Dd. controuerſantur. nam in *l. repudiatione. C. de fideicommiſſ.* ſcriptum eſt, filium quidem ſine patre repudiare poſſe, at patris repudiationem filio nihil nocere. ſed in contrarium obiicitur *l. legatum. 7. D. de legat. 1.* vbi dominus recte repudiat legatum relictum ſeruo ſuo, idque ideo, quia legatum hoc in totum domino adquiratur, ſed eadem ratio valet in patre & iure veteri. ergo patri licuit repudiare. & ita Alexander, & Iaſon ad *d l. legatum.* ſcribit hanc eſſe communem opinionem. Cæterum ad *d. l. repudiat.* varias Accurſius & alii reſponſiones adferunt, ſed pleraſque diuinatorias & ineptas, vt eſt, inter legatum purum, & ſub conditione relictum. purum legatum poſſe repudiari à patre dicunt; quia ſtatim patri aut domino acquiratur, cum eius dies ſtatim cedat: ſtatim, inquam, ſine alia opera acquiritur, cũ hereditas nõ acquirat̃ ſine opera, id eſt, ſine aditione, vel geſtione ꝓ herede. *l. liber homo. D. de acq. her. l. legat. D. de legat. 1.* At legatum relictum ſub conditione non ita acquiritur ſtatim, ſed poſt euentum conditionis. *l. vnica. §. ſin autem. C. de caduc. tollend.* Quare ſi tunc filius factus ſit paterfam. cum conditio

extitit,

exiſtit filio legatum acquiritur, non patri. *l. ſi vſuſfructus. in fin. D. Quand. dies legator. cedit l. ſi legati. D de pignorib.* Igitur mirum non eſt, ſi pater nō poſſit tale legatum repudiare, quod acquiri filio poſſit ſi exiſtente conditione de patris poteſtate exiuiſſet, iuxta *l. is poteſt. D. de acq. hered.* Sed quidquid interpretes iſti dicant verum eſt, neque iure veteri patrem potuiſſe purum legatum repudiare *d. l. repudiatione.* neque illa comparatio ſerui, & filiifam. mouere nos debet: cum plus filiofam. tribuatur, quam ſeruo, cum ei multis modis, vt dixi patria poteſtate liberato legatum acquiri poſſit. quod & Pinellus recte ſcribit ad *l. 1. in fine. C. de bon. mater.* Hæc de legatis. eadem dicenda ſunt & de fideicommiſſis particularibus quæ in omnibus & per omnia exæquata ſunt legatis. *l. 1. de legat. lib. 1. l. 2. C. commun. de legat.* Non eadem dicendā ſunt de fideicommiſſis vniuerſalibus, quia talia fideimmiſſa nihil reuera ſunt, quam hereditates. *l. 1. D. de fideicommiſſa. hered. petit.* De donationibus videamus mortis cauſa factis filiofam. in quibus etiā idē ius Iuſtinianus ſancit in *d. §. ſancimus. l. cū nō ſolū.* illud tamen hîc quæritur, ſi filiof. mortis cauſa quid donatum fuerit, cuiuſnam mors ſpectanda ſit patris ne an filii vt donatio reuocari poſſit à donatore? quia ita ius eſt in huiuſmodi donationibus, vt donatario mortuo ante donatorem donatio irrita conſtituatur & reuocetur, morte autem ipſius donatoris ante donatarium morientis confirmetur, vel potius conficiatur *l. 1. D. de mor. cauſ. donat.* Sicut &

donatio inter virum & vxorem facta. *l cum hic ſtatus. D.de donationib. inter vir. & vxor.* Igitur ſi pater eſt donatarius, eius mors ſpectatur; ſi filius, filii & verum eſt, filium ſolum donatarium eſſe *l.quem filio. D.de legat.1.* Quare filio mortuo, viuo adhuc patre, donatio reuocabitur, vel per conditionē ob rem dati, vel per rei vindicationem *l.Senatus.§.1.l.fi.filiofa. D.de mort.ca.donat.* niſi filiofa. donatū ſit patris cauſa & contemplatione. tunc enim pater donatarius, filius autē patris duntaxat miniſter eſt *d.l. filiofam.* & ibi Cuiac. tractatu II. ad Africanum. Hic opponitur. *l.vlt C.de vſufruct.* vbi neq; patris, neque filii mors ſpectatur, ſed altero mortuo vſusfructus filiofam. relictus remanet penes alterum adhuc viuentem, id eſt, penes filiū, vel penes patrē: & tamen vſusfructus ęque extinguitur morte vſufructuarii, atque donatio mortis cauſa morte donatarii. *§.finitur. Inſt. de vſufr.* Reſp. donationis mortis cauſa ea natura eſt, vt non aliter confirmetur, vel perficiatur, quam ſecuta donatoris morte; adeo vt interim pendeat & reuocari poſſit ex pœnitentia. at vero vſusfructus acquiſitio nō pendet, neque reuocari poteſt ex pœnitentia, ſed ſtatim, atq; conſtitutus eſt ac relictus, eius adquiſitio perfecta eſt, vt Cuiacius eodem loco ſcribit; vel ſane dicendum eſt, ſi conſtet, cuius gratia & contemplatione vſusfructus relictus ſit, idem ius eſſe in vſufructu, quod in donatione mortis cauſa; id enim videtur Iuſtinianus in *d. l. vlt.* ſignificare in illis verbis, *cum plerumque veriſimile ſit.* Rurſum hic aliquis opponat, abſurde
vide-

videri hoc ab Africano quæri in *d.l.filiofam.* & ab aliis an filii, vel patris mors exſpectanda ſit, cùm donator ex ſola pœnitentia poſſit talem donationem ſemper reuocare *d. l.non videtur. & paſſim.* Reſp. varia eſſe & diſtincta capita, propter quæ donatio cauſa mortis facta reuocari poteſt, veluti pœnitentia donatoris, item conualeſcentia, item morte donatarii. poteſt autem & ſolet ſæpe donationi adiici talis conditio, ne propter pœnitentiam reuocare eam liceat, vel ne propter conualeſcentiam donatoris, item ne propter priorem donatarii mortẽ. *l.ſi alienũ.*§.1.*D eod.tit.* Satis. n. eſt, vt mortis cauſa donatio valeat, ſi aliquo tantũ caſu reuocari poſſit. nam ſi nullo caſu vt reuocetur, conuenerit, non eſt mortis cauſa donatio ſed inter viuos. quamuis mortis facta ſit in ea mente. *l.vbi ita. D. eodem tit.* Atque hæc de donationib. mortis cauſa filiof. factis. Quid de donationib inter viuos eidẽ factis dicemus? idẽ ꝙ de ceteris aduentitiis bonis, ex quacunq; cauſa alia filio acquiſitis, vt ſcilicet dominiũ eorũ ad filiũ, vſusfruct⁹ & adminiſtratio ad patrẽ pertineat. idq; ſiue donatio re perfecta iã eſt. i. ſi res donatæ filio traditæ ſint, ſiue obligatio donationis ei quęſita vel per ſtipulationẽ vel ꝑ nudũ pactũ ex noua Iuſtiniani cõſtit. qua cautũ eſt, vt donatio poſſit nudo conſenſu fieri, ſine ꝑſenti traditione, non ſecus atq; emptio vẽditio. *l. ſi quis argentũ. C. de donation.* Vnde apparet donationẽ hanc inter contractus numerari poſſe. *l. contractus. D. de fid. inſtru. & d.l.*

cum non ſolum.§.ſancimus. ibi.*ex quocunque ſit, donationis ſiue contractus alterius.* Quod ſi donatio fiat traditione, talis donatio non eſt contractus, ſed adquiſitio, ſiue modus acquirendi *tit. Inſt. de donationib.* Niſi aliqua pactio ei ſit adiecta; tũc enim tranſit quaſi in ſpeciem contractus *l. Ariſto. D. de donationib.*

CAPVT XXIII.

De contractibus & pactis filiifamilias.

QVæ in aduẽtitiis hereditatib. & legatis & donationib. conſtituta ſunt in *d. l. cũ non ſolum. C. de bon. quæ lib.* eadem Imperator etiam in contractibus obſeruanda eſſe dicit in *§. ſancimus. 1. & §. pen. d. l.* Igitur ſi filiusfam. contraxit, obligatio, atq; id quod ex eo contractũ acquirit, ipſius eſt dominio, patris autẽ vſufructu *l. cum oportet. & d. l. cum non ſolum. l. 1. C. per quas perſon. Inſt. per quas perſon. nobis acquir. & tit. per quas perſon. nob. obligat. adq.* & ſiquidem pater velit ſibi adquiri ſiue ex contractu, ſiue ex hereditate, vel alia cauſa aduentitia, ſolus pater actiões exercet, vt expoſui ſupra cap. XX. quod ſi pater nolit quicquã ſibi acquiri, tunc in totum filio acquiritur etiam quo ad proprietatem, actionesque etiam ſolus exercet & excipit, cũ tamen voluntate patris, *d.*

§. ſan-

§. *[illegible]*; ſed de actionibus quidem poſtea [illegible] infra pluribus dicam, vbi agam de [illegible] in aduentitiis. pertinet enim hic [illegible] non ſolum ad contractus, & quaſi cõtra-[illegible], ſed ad omnes cauſas, ex quibus obliga-tio, vel actio naſcitur. Nunc de contractibus agemus, in quo duplex diſtinctio nobis adhi-benda eſt, vna inter cauſas peculiorum, id eſt, profectitii, caſtrenſis & aduentitii. altera inter modos contrahendi, vtrum videlicet ſimplici-ter, vel ſibi filiusfam. contraxerit ſtipulatuſue fuerit, an vero nominatim patri ſuo. Igitur ex cauſis profectitiis quicquid filius acquirit con-trahendo, vel aliter, patri in ſolidum acquirit *d. tit. Inſt. per quas perſ. d. l. cum oportet. C de bon. quæ lib.* & quidem indiſtinctè, hoc eſt, non ſo-lum ſi patri nominatim ſtipulatus ſit, vel aliter contraxerit, ſed etiam ſi ſibi, vel imperſonali-ter. Non poteſt. n. filiusf. in cauſa maxime pro-fectitii peculii, quod totũ eſt patris, quicquam patri vel derogare, vel obrogare *d. l. cũ oportet in princ.* & generaliter filius patri ſuo paciſci poteſt, puta ne creditor patris à patre petat, ſi-ue cum ipſo patre contraxerit, ſiue cum filio, eo pactio & patri & heredibus eius prodeſt; denique ius eſt, ſi filius nõ patri, ſed ſibi pactus ſit [illegible] *decem.* 1 5.. § *vlt. cum l. ſeqq. D. de pact.* [illegible] etiam vice verſa, pactio enim filii non nocet patri, ſicut nec ſerui domino; puta ſi pa-ctus ſit cum debitore ſuo vel patris ſui, ne ab eo petat. *l. nec filius. C. de reb. credit. l. filius. C. de pact. l. contra. §. ſi filius. D. eod. tit.* excipiendum

eſt, ſi filiusfamil. in cauſa peculii, cuius liberam adminiſtrationem habet, paciſceretur non donandi animo, ſed adminiſtrandi cauſa, & rem patris agens. tunc enim hæc pactio patri quoque nocet, & præiudicat *d. §. ſi filius.* donandi autem cauſa facta nullo modo, nam donare eſt perdere, quamuis donetur bene merenti *l. ſi filiusfam. D. de mort. cauſ. donatio. l. ſemper. D. qui & à quib. manumiſſ.* Qua ratione etiam conſtitutum eſt, vt filiofam. ex cauſa peculiari rectè ſolui poſſit à debitore, ſicut & ſeruo poteſt. *l. fugitiuus. in fine. l. quod ſeruis. D. de ſolutionib.* alias regula eſt, vt filiofam. ſolui non poſſit etiam ex contractu ipſius. *l. filiusfam. D. de ſolutionib. d. l. filius. C. de pact.* & ratio eſt, quia obligatio & actio patri per filium eſt acquiſita. ergo, patri ſoluendum eſt, non filio. Excipienda eſt, vt dixi, ſolutio facta ex cauſa peculiari, item ſi debitor ignorauerit eum filiumfa. eſſe. *l. 2. & l. pen. D. ad SC. Macedon. l. ſi Titius. D. de fideiuſſorib.* itē, ſi heres à teſtatore nominatim iuſſus ſit ſoluere filiofamil. *l. ſi vſusfructus. §. ſi ita quis. D. quand. dies legator. cedat.* contra eſt, ſi iuſſus non ſit, male enim ſoluet filiofam. nec liberabitur. *l. vbi pure. D. ad SC. Trebell. l. fideicommiſſa. §. 3. D. de Leg. 3.* De peculio caſtrenſi videamus, vel quaſi. Et filiusfam. quidem in eo habetur pro patrefam. *l. 2. in fine. D. ad Senatuſconſ. Maced.* ideoque ex ea cauſa ſibi ſoli, & in ſolidum acquirit & contrahendo, & aliis quibuſcumque modis. *d. l. cum opertet.* in fine principii, vbi Imperat.

dicit

dicit, nihil in his caſtrenſibus vel quaſi . ſicut nec in profectitiis noui quid conſtitutum eſſe. & idquidem dubitationem nullam habet, ſi filiusfam. ſimpliciter, vel ſibi ſtipulatus ſit aut contraxerit. ſed ſi patri ſuo nominatim ſit ſtipulatus, quæritur, patri ne, an ſibi adquirat? & verius omnino eſt, eum patri ſoli acquirere, nihil ſibi. Rationes hæ ſunt. Primum. Quia filiusfam de peculio caſtrenſi poteſt pro arbitrio ſuo ſtatuere, idque vel donare, vel aliter in alium transferre. Ergo & in patrem ſuum, & multo magis ponite eum emiſſe ſibi prædium de pecunia caſtrenſi,& à venditore ſtipulatum eſſe prædium illud patri dari. valet enim hæc ſtipulatio & ex ea patri acquiritur. neque obſtat R. I. qua dicitur alteri nos innuilem ſtipulari, quia ea R. non pertinet ad filios, nec ad ſeruos, *l. ſtipulatio iſta §. alteri. D. de V. O.* & dicam infra in fine huius capitis. Secunda ratio eſt hæc. Nam filiusfamil. recuſando adire hereditatem caſtrenſem, facit, vt pater ipſe poſſit eam adire,& ſibi acquirat, *d. l. cum non ſolum § ſimiliq; modo*: quanto magis igitur paciſcendo ipſi patri poterit ei acquirere? De peculio aduentitio cognoſcamus. in quo maior eſt difficultas, quia cũ cõſtitutũ ſit vt in eo ſolus vſusfructus patri adquiratur, filio autẽ dominium, plane dicendum videtur etiam ex contractu filiifam. idem accidere, quod & expreſſum eſt in *d. l. cum non ſolũ. § ſancimus* neq; ibi, neq. alibi diſtinguit, vtrũ ſibi, vel ſimpliciter contraxerit, an nominatim patri. Deinde idẽ

probatur hoc argumento quo vſi ſunt Raphael Comenſis & Alexander: pater eſt legitimus adminiſtrator aduentitiorum. *l. 1. C. de bon matern.* filius ergo patri ſtipulando intelligendus eſt ei ſtipulari tãquam legitimo adminiſtratori, non tanquam patri. ſicut ſi dominus ſtipuletur procuratori ſuo; acquiritur enim ex ea ſtipulatione, non procuratori, ſed domino. *l. ſtipulatio iſta. §. ſi quis inſulam. D. de V. O.* Tertio adfertur pro eadem ſententia §. *idem iuris. & § ei vero, & ibi gloſſa. Inſt. de inutilib. ſtipulatio.* vbi idem ius eſſe dicitur, ſiue filius ſibi, ſiue patri ſuo ſtipuletur, item vocem filii haberi pro voce patris; ſed nominatim ibi adiicitur, *in iis reb. quæ patri acquirũtur.* ergo in aliis, quæ patri non acquiruntur, contrarium dicendum eſt. tales autem ſunt res caſtrenſes, item aduentitię excepto vſufructu. Quarto Iaſon hanc rationem adfert in *l. quodcunque. n. 5. D. de V. O.* Stipulatio debet intelligi ſecundum naturam rei, ſuper qua interponitur & ſecundũ qualitatem perſonarum ſtipulantium. *l. ſi ſtipularis. D. de vſur. l. ſtipulationem. 5. in verbo, conuentionales. D. de V. O.* atqui ea eſt hodie & rerum aduentitiarum & filiifamil. in iis conditio, vt vſusfructus duntaxat patri acquiratur, non etiam proprietas. *l. cum oportet. & paſſim. C. de bon. quæ lib.* ergo, cum filius patri ſtipuletur, patri vſusfructus tantum acquiretur. Sed his non obſtantibus, verior eſt ſententia Dyni, Bartoli, & aliorum, qui dicunt, patri in ſolidũ acquiri, quod filius ei nominatim ſtipulatus eſt, vel aliter cõtraxit in cauſis etiã aduentitiis.

ratio-

rationes iſtæ ſunt, I. quia ex hac ſtipulatione, cum ſcilicet filius patri ſtipulatur, totum acquirere patri dicitur *d.l.ſtipulatio iſta.§.alteri D.de V. O* quod ius non eſt nominatim correctum. ergo manere debet. *l.præcipimus. C. de appellation.* II. quia hæc filii mens fuit, vt totum patri acquireretur, nõ aũt vt ſibi aliquid acquireret. ergo nec ſibi acquiſiuit. *l.* 1. *C.ſi quis alter.vel ſibi. & c.l. dotem genero. C.de iur.doti.* Licet autem filio ſuum ius & dominium patri donare, ſicut pater poteſt filio remittere ſuum vſumfructum, vt docui ſupra cap. 6. III. Si poteſt filius rerum alienarum vſumfructum patri acquirere, cum eas ſibi ipſi ſtipulatur; multo magis poteſt res ſuas in patrem conferre, id eſt, ius & dominium quod in aduentitiis habet. IV. Permiſſum eſt filiofam. de rebus aduentitiis ſtatuere, quod vult, conſentiente patre, excepta teſtamenti factione *d.l. cum non ſolum.§.filius.* ergo & in patrem volentem eas res conferre poterit nominatim patri ſtipulando & contrahendo. Quinta & poſtrema: leges & ſtipulationes aliosque actus contrahentium ſcripturasque ſemper interpretari debemus, ne ſint ſuperflua & inania, ſed vt aliquid operentur. *l.ſi quando. D. de inoffic.teſtam.cap. fin.ext.de priuileg.lib.6.* Sed ſi cum filiusfam. nominatim patri ſtipulatur, non acquirit in ſolidum rem quam ſtipulatus eſt, ſed vſumfructum duntaxat; fruſtra & ſuperuacuo patri ſtipulatus eſt, quia idem ius fuiſſet, ſi ei ſtipulatus non eſſet; ſed vel ſibi ipſi, vel ſimplici-

ter, & impersonaliter. atque hæc non ſolum vera eſt ſententia, ſed etiam communiter approbata, teſte eodem Bartolo & Iaſone *d. l. quodcunque. D. de V. O.* Nunc reſpondeamus argumentis contrariæ ſententiæ. Igitur I. non obſtat; quia *d. l. cum oportet.* & aliæ ſimiles loquuntur eo tãtum caſu, cũ filius ſimpliciter vel ſibi ſtipulatus eſt, nec quicquam de eo caſu dicunt, cum nominatim patri ſtipulatus eſt *d. l. ſtipulatio. §. alteri.* Non obſtat. II. licet valde pulchrum & ſubtile appellet Iaſon; quia falſum eſt. ſi filius patri ſuo ſtipuletur, ſtipulari ei tanquam adminiſtratori, cum aperte & nominatim ſtipuletur patri, vt in eo non adminiſtrationis & vſusfructus legitimi, ſed paternæ potius poteſtatis, qua olim totum in aduentitiis patri adquirebat rationem habuiſſe intelligi debeat. nec quicquam ad ẽr facit. *l. 38. §. ſi quis inſulam. D. de V. O.* Nam ſi quis procuratori ſuo ſtipulatur, idcirco ſibi ipſi acquirit vtilem actionem, quia ſibi ipſi hoc negotium egit, vtpote cum ipſius interſit, procuratori ſuo dari, à quo ipſe poſtea recepturus eſt actione mandati *d. l. ſtipulatio iſta. § alteri.* Non obſtat III. ex iis locis Inſtitutionum ductum, de quibus optime & prolixe reſpondet Donellus in *d. l. ſtipulatio. §. alteri. n. 26. D. de V. O.* Non obſtat IV. Quia nego eſſe contra naturam, vel conditionem filii, vt patri etiam hodie totum acquirat, ſi velit. Nunc quod ſupra propoſui videamus. an recte filiusfam. ſtipuletur patri, vel pater filiofam. contra R. I. *d. §. alteri cum ſimilib. & l. 5. & paſ. C. ſi quis ſibi vel alt.* Quod igitur

filius ſtipulari poſſit patri, vt & ſeruus domino, ei que acquirat, certi iuris eſt *d.* § *alteri.* & § *ſi quis alii. Inſt de inutil. ſtipul.* & iam ſupra oſtendi de pactis filiifam prodeſſe ea patri, id eſt: patria poteſtas cuius vinculo ſic patri connectitur, vt vna perſona videatur. *l. vlt. C. de impub. & aliis ſubſtitut.* quare per emancipationem filii dicuntur ſeparari. & duæ perſonæ cõſtitui, ſicut etiam in manumiſſione ſerui, *l.* 10. *D. de cap. leg.* & ita etiam Ariſtoteles lib. V. Ethic. eleganter ſcribit: τὸ κτῆμα, ϗ τὸ τέκνον, ἕως ἂν ᾖ πηλίκον, ϗ μὴ χωρισθῇ ὥσπερ μέρος αὐτοῦ, hoc eſt, mancipium & liberi, vſque dum parui ſunt nec à patre ſeparati, patris inſtar ſunt. ideoque nõ valet illa conuentio, vt ſoluta patria poteſtate per emancipationem filius vſumfructum patri acquirat in rebus poſt emancipationem acquiſitis, vt Oldradus recte docuit *conſil.* 314. & cæteri deinceps probarunt teſte Deciano *conſ.* 12, *vol.* 2. Sic filiif. vox, patris vox dicitur. § *et vero,* & § *poſt mortẽ. Inſt. de inut. ſtipul.* Et ꝙ filiusf. ſtipulat̃, ita acquiri patri, tãq̃ ſi ipſe pater ſtipulatus eſſet: eadẽ in ſeruo & domino ratio eſt *d. l. quod ũque. D. de V. O.* Sed an vice verſa pater ſtipulari poſſit filio vt filio actionem acquirat, quæritur: & dicendũ eſt, nõ poſſe: nec ſi faciat, quicq̃ ei acquirere, quia pater non eſt in poteſtate filii. neq; patris vox, vox filii intelligitur. ſed tamen talis ſtipulatio patris non eſt inutilis. Sed ex ea ipſi patri acquiritur nõ filio § *ſi vero Inſtit. de inutil. ſtipul. l. domin⁹, D de V. O.* qa ſcilicet per filium cui ſtipulatus eſt, ſtatim res

redit ad ipſum patrem, imo nec vno quidem momento poteſt acquiſitio in perſona filii conſiſtere. *l. placet. D. de acquir. vel. omitt. hered. l. 1. ſi quis à par. man.* Quod ſi pater tale aliquid ſtipulatus ſit filio ſuo, quod perſonæ filii cohęreat, nec ab eo tranſire ad patrem poſſit, qualia ſunt facta, veluti, tenere licere, ire, agere, & ſimilia, tunc ſtipulatio iſta eſt inutilis, quia pater filio non poteſt acquirere, vel ſtipulari, niſi quod ad ipſum ſit rediturum patrem *l. quod dicitur. de V. O.* Idem igitur ius erit, ſi pater ſtipuletur filio aliquid ex cauſa caſtrenſis peculii; inutilis plane ſtipulatio erit, quia ex tali cauſa nihil patri acquiri per filium poteſt, nec à patre per filii perſonam vel occaſionem. *l. cum oportet. in princ. C. de bon. quæ lib. Inſtit. per quas perſon. nobis adquir.* ſimilique modo, ſi pater filio ſtipuletur ex cauſa peculii aduentitii. Nam & hic nulla eſt ſtipulatio, nec quod ad vſumfructum valet, qui ad patrem pertinet ex iure nouo in aduentitiis. Nam & hîc nullam dico ſtipulationem eſſe, niſi talis res vel cauſa proponatur aduentitii peculii, quæ etiam iure hodierno non acquiratur patri, neque quod ad vſumfructum quidem, cuiuſmodi rerum aliquot genera expoſui ſup. cap. 6. Quibus addendæ ſunt res feudales, nam in iis vſusfructus patri non acquiritur, ſicut nec in donatione ab Imp. facta filio, *l. cum multa. C. de bon. quæ lib.* Quod ſi ſit talis res, in qua vſusfructus patri acquiratur, tũc pater filiofa. ſtipulando acquirit ſibi, quod ad vſusfr. quantitatem, vt docet Donellus ad *d. l.*

ſtipu-

ſtio. §. *alteri.n.* 5. vbi tacite Cuiac. repre-
t, qui iſtius iuris, ſiue acquiſitionis cau-
ſnit cum quibuſdam interpp. in perſona-
coniunctione, qualis eſt filii & patris, vt
cet alter alteri ſtipulando acquirere poſ-
uod eſt falſum in patre ſtipulante, vt dixi-
ſed vera cauſa in patria poteſtate eſt, vt
ſam. ſine diſtinctione vlla peculiorum
ſtipulatus, patri acquirat: at pater ſtipula-
lio non item acquirat filio, niſi id, quod ad
m omnino rediturum ſit, ideoque talis
latio valet, quia patris ſtipulatoris inter-
uo modo etiam alius quamuis extraneus
ſtipulari poteſt ſi ipſius ſtipulatoris in-
c. ſibi enim potius ſtipulatus eſſe intelligi-
l §. *alteri.* quam rem prolixius idem Do-
is in patre & matre, & filiis, & generis tra-
d *d.* §. *alteri. n.* 8. *cum mult. ſeqq.* vbi ex-
it & *l. pater. C. de pact. l. ſi genero. C. de Iur.*
5. *D. de op. libert. l. Caius. D. ſolut. matrim.*
quicunque. §. *ſi ita quis. de V. O.* quorum
ſque locis, pater vel mater filio ſtipulãdo
tur actionem, ſi non directam, vtilem ta-
acquirere. Sed quicquid Don. aliique ſa-
cute diſputent, & vere; contrarium vulgo
ptum eſt, nimirum patrem filio ſtipulari
e, eique acquirere in aduentitiis bonis.
urſ. & Bartol. in *d. l. quod dicitur. de V. O. &*
dominus ſeruo. D. eod. quam ſententiam
mmunem eſſe dicit, Paul. Caſtrenſis etiam
dicit, patrem poſſe ſtipulari, & acquirere
lio emãcipato, in *d. l. quicunq. §.* 1. Accurſ.
li in *d. l. ſi genero.* quam etiam communem

ſententiam eſſe idem Iaſon affirmat. Imo video hanc rem proceſſiſſe, vt quoniam pater emancipato filio ſtipulari poſſit, qui eum non habet in poteſtate, admiſſum tādem ſit à multis interpp. etiam matrem quæ liberos in poteſtate habere non poteſt, filiis ſtipulari poſſe & acquirere authore huius ſententiæ Baldo in *l. 1. in fin. C per quas perſon. nob. acq.* quem ita interpretati ſunt & ſecuti, Aretinus *in l. ap. Iulia. §. ſi quis alicui. D. de leg. 1.* & alii allegati à Menochio in *conſ. 162 in c. dux n. 4.* Quamuis id de patre plerique alii negauerint rectiſſime, inter quos Bartol eſt *in d. l. quod dicitur.* aliique ab codē allegati *n. 2 d. conſ.* vbi in feudo, & Emphyt præcipue id receptū eſſe ait, vt mater ſtipulari poſſit filio; imo quod eſt abſurdius, & frater fratri; atque hanc ſententiam eſſe multo conſtantiorem, quam illam Bartoli, qui contradicit. Sed pro Bartolo, vt dixi, veritas eſt, quod & ex eo apparet, quia nec filia poteſt matri ſuæ ſtipulari *l. inter. §. filia. D. de pact. dotal.* vbi dicitur nullam actionem ex eius ſtipulatione quæri matri. Atque hæc ita ſunt; ſi vel filius patri, vel pater filio ſtipuletur. Quid dicendum ſi ipſi inter ſe ſtipulentur. De hoc ita ius eſt, inter patrem & filium in poteſtate eius poſitum nullā conſiſtere poſſe obligationem iure ciuili, quia cum filius patri acquirat & ex ſuis contractibus: ſequeretur illud abſurdum, vt idē pater eſſet & creditor, & debitor: creditor, quia per filiū acquireret obligationē: debitor, quia obligatur: qua ratione nec frater fratri, ſi ſunt in eiusdem patris poteſtate ciuiliter obligari poteſt.

ter

Denique omnes perſonæ vnius familiæ iuris vinculo inter ſe coniunctæ pro vna [illegible] numerari ſolent .l.non ſolum.in ,.2.D. [illegible] l pater.D.de teſtib. l.ſi quis.§.1.fide- [illegible] Pamphilo.D de opt.legat. Quare nec [illegible] debere poteſt, & per conſequens à [illegible] ſtipulans nihil agit, etiamſi ab alio ſi ſti- [illegible] patri ſuo acquireret. l.ſed etſi.§ idem [illegible] D.de vſuf.nec filius patri debere, quia [illegible] patri acquirit omne ius d.l. placet. cum [illegible] D.de acquir.heredit. Sed hæc ita qui- dem [illegible] iure ciuili, & obligatione ciuili. [illegible] naturaliter inter ſe obligari filium & [illegible] itemque fratres verum eſt l. frater à fratre. D.de cond. ind.natura enim reſpuit huiuſ- modi [illegible] ciuiles & perſonas omnes tan- [illegible] cunctas numerat l. nec ſeruus. D. de [illegible] l. quod attinet. D. de R. I. Sed hoc [illegible] diligenter diſtinguendum inter ſtipula- tionem filii, & patris. Nam ſi filius à patre ſti- puletur, & fideiuſſorem à patre accipiat, reſponſum eſt, fideiuſſorem non teneri, quia idem pro eodem eſſe obligatus non poſſit. l.ſi [illegible] §.1. D.de fideiuſſ. Nam pater eſt debitor filii [illegible] naturaliter: idemque creditor, quia per filium ei acquiſita in fideiuſſorem obliga- tio. [illegible] ſtipulatus ſit pater à filio; fideiuſ- ſor à filio datus tenetur, quia filius naturaliter patri obligatus eſt, eaque obligatio filio per pa- trem non acquiritur, vtpote cum pater nihil filio acquirat, non ſolum ſi ab ipſo filio ſtipule- tur, ſed nec ab extraneo: atque ita hic ceſſat di- [illegible] , propter quæ ſuperiori caſu

diximus fideiuſſorem non teneri *d. l. ſi quis. §. 1. D. de fideiuſſ.* Sed hoc quidem iure veteri, quo patri aduentitia in ſolidum acquiruntur, ſine dubio procedit. hodie vero cum eorũ dominiũ filio acquiratur, videtur etiam in priore caſu, cũ filius à patre ſtipulatus eſt, fideiuſſorẽ acceptum teneri, nimirum quia filio acquiſita eſt obligatio, quod ad ius & dominium. ergo non eſt metuendum, ne fideiuſſor patri pro patre, id eſt, eidem pro eodẽ ſit obligatus *d. § 1. & l. qui hominem. §. quidam filium. D. de ſolut.* nam erit filio creditori patris obligatus pro patre debitore ſiue dicas patrem ciuiliter filio obligari, ſiue naturaliter tantum, nihil refert: quia & naturali obligationi fideiuſſor recte accedit *l. græce. & paſſim. D. de fideiuſ.* Sed contrarium veri⁹ eſt, nihil ſcilicet in hoc caſu immutatũ de iure veteri. nam *l. 1. & alia. C. de bon matern. & C. de bon. quæ lib.* omnes loquuntur eo caſu, quando filius aliquid aliunde vel ab extraneis acquirit, non quando à patre ſuo vellet acquirere. atque ita ſentit etiam gloſſa licet dubitãter in *d. §. 1.* citatque *§. ei vero. Inſtit. de Inutil. ſtipul.* quo in §. cauere debemus falſam Hotõ. notam: cum ſcribit, patrem filio in cauſa peculii aduentitii ſtipulando actionem non ſibi, ſed filio itidem acquirere, citans *l. cum oportet. 6. C. de bon. quæ lib. & §. 1. Inſt. per quas perſon. nob. acquir.* Quibus in locis nihil prorſus de iſta actione dicitur. Ad hunc locum pertinet etiam illa quæſtio, an ſi pater aliquid emat ex pecunia aduentitia filii, filio acquirat, vel cui-

nam

...nſeatur emiſſe ſibi, an filio? De qua ita ...lum eſt R. I. ciuilis eſſe non poſſe quem ... alteri emere, vt ei obligationem acqui... autem emere poſſe, & licet ex aliena pe... dominoq; pecuniæ ignorante, & inuito ..., tamen ſibi acquiret. *l. mulier. & paſſim.* ... *alter. vel ſibi.* Sed in parte contrarium ...dum videtur, exemplo tutoris & curato... emens aliquid de pecunia pupilli, licet ſuo non pupilli nomine, tamen pupillo ...rit actionem vtilem. *l. 2. D. quand. ex fa...toris.* Sed & ipſum rem emptam vide... pupillo acquirere, quia ll. vetitum eſt, ne pecuniam pupillarem in ſuos vſus con... *l. 1. Lucius. §. tutorem. D. de admin. tu...* Sed eam vel fœnori collocet, vel prædia ex pupillo emat. *l. ita autem. in princ. D. eod.* ... *q. obli. §. quoniam. & tradit Salicetus ... proponas. D. de rei vindic.* Vnde idem in ... adminiſtratore admittendum eſſe di... vt tradit Pariſius *conſ.* 80. *n.* 1. talis autem ... in bonis filiorũ aduentitiis. *l. 1. & paſ... C. de bon. matern.* præterea videtur mihi in ... ius eſſe expreſſus ad hanc rẽ *in l. vlt. §. ... autem. in illis verbis; vt pretium earum... de bon. quæ lib.* Sed contrarium verius eſt, ... ſcilicet de pecunia filii aduentitia emẽ... ſibi emere, ſibique acquirere nõ filio, iux... R. I. tum etiam quia patri licitum eſt ... ſuam filii in ſuos vſus conuertere, quod ... licitum eſt tutori: tametſi etiã tutori per... ſit pecuniam pupillarem ſuo nomine ... ſibique obligationem acquirere. *d. l.*

Lucius. iuxta diſtinct. tamen l. cum quæritur 1. *eod. tit.* Quanto magis ergo licet patri emere & ſibi acquirere, cum habeat præter adminiſtrationem, etiam vſumfructum pleniſſimum: atq; ita iudicatũ eſſe, refert Hart. Piſtor. lib. 1. quæſt. 6. in ſpecie adhuc difficiliori & magis dubia; cum ſcilicet teſtator pecuniam legauiſſet ſuo genero, vt ex ea emeret prædia pro ſuis filiis, id eſt, nepotibus teſtatoris. Res igitur ex pecunia aduentitia empta patri non filio acquiritur; idque eo magis dicendum eſt, quod in pecunia aduentitia pater vſumfructũ aliter habere non poteſt, niſi ſimul etiã habeat eius dominium, vt docui plurib. ſupra in hoc tractatu. tenetur enim pater vel heredes eius pecuniam aduentitiam filio reddere, non in ſpecie, ſed in genere, ſiue eiuſdem quãtitatis. *l. 2. D. de vſuf. ear. rer.* nec refert, vtrum ea pecunia verſa ſit in rem patris, an non ſit verſa, vt recte docet Pinellus *l. 1. p. 2. C. de bon. mat.* Neq; obſtat, quod ſupra dixi *d. §. ipſum autẽ. l. vlt. C. de bon. quæ lib.* nam non loquitur de emptione à patre facta ſuo nomine, vel ſimpliciter; ſed hoc tãtũ habet, ſi quædã res ſint onoroſæ in hereditate aduentitia filio ſuo delata, debere patrẽ eas res vendere. & earum rerum pretiũ vel filio ſeruare, vel cõuertere in cauſas illius hereditatis. Atq; hæc hactenus de contractibus filiifam. Ex quib. aliquid acquiritur dũ adhuc filiusfa. eſt. ſed quid dicendum ſi filiusfam. contraxit vel ſtipulatus eſt, ſed acquiſitio ex eo contractu incidat in tẽpus, quo factus eſt filiusfam. puta per emanci-

patio-

vtrum id patri acquiritur an ipſi fi-
one eum ſub conditione aliquid ſtipulatũ
altero, & conditionem illam extitiſſe,
ore filiusfa. eſt factus & ſui iuris. De
nobilis *l. ſi filiusfam.* 78 *D. de V.O.* in
ſcriptum eſt, ex conditionali filiif. ſtipula-
patri acquiri, licet conditio extiterit poſt
patum filium: quia ſcilicet tẽpus illius
id eſt, ſtipulationis initæ ſpectandũ
contrarium in legatis dicitur ſpectari ſcilicet
conditionis exiſtentis. *l. ſi vxorem. C. de*
fert. Vbi Accurſ. rationem differentiæ
reddit, quam prolixè tuetur, atq; ex-
Donellus ad *d. l. ſi filiusfam.* refutata alte-
quam Cuiac. probat, vt apud eos &
Dd. videre eſt in *d. l. ſi filiusf.* cum qua con-
eſt *l. 132. quidam. § filiusf. D. eod. tit.*
Hotom li. 4 obſer. in explicatione *l. quæ le-*
de R. I. Sed quicquid ſit de ratione dif-
certe in aduentitiis bonis omnino di-
videtur ex conditionali ſtipulatione,
poſt emancipationem filii euene-
ſolidum acquiri, id eſt, dominium de
eſt dubium, quia & cum eſt in pote-
is ei dominium acquiratur; item &
vſumfructũ, quia is vſusfructus patri
ratione patriæ poteſtatis, & cum ea
durat; nunc autem illa poteſtas
ſoluta eſt per emancipationem. Er-
go vſusfructus ei non ac-
quiritur.

CAPVT XXIV.

De in integrum reſtitutionibus.

SI filiusfa. ex contractibus ſuis vel donationibus ei factis acquirere velit; acquirit ſibi dominium, patri vſumfructum. quod ſi pater diſſentiat, tum ſolidum ſibi filius acquirit, & vice verſa ſi filius diſſentiat, pater ſi vult, totum ſibi acquirit. *l. cum non ſolum. § .ſancimus. C. de bon. quæ lib.* Similiter filiofam. ſi ſit minor 25. annis, & læſus ſit ex ſuo contractu, datur ei ratione ætatis in integrũ reſtitutio *d. l. cũ nõ ſolũ. §. fin.* Sed tota res vt melius intelligatur, ſciendũ eſt, ſi filiusf. contraxit, interdũ ei reſtitutionẽ dari, interdũ nõ dari. datur, ſi ipſe obligatus ſit ex cõtractu, quẽ fecit, obligatur aũt ſi filiusf. in ſolidum ex omnibus contractibus, mutuo & voto exceptis; ſicut etiam & ex delictis, ideoq; etiam cum eo agi poteſt, tanquam cum patrefamil. *l. tam ex contractib. D. de iudic l. filiusfa. D. de obl. & act.* Idque locum habet etiam in filiofam. impubere contrahente; nam & is obligatur, non tamen in ſolidum, ſed in quantum eius peculium locupletius factum eſt ex conſtitut. Diui Anton. Pii *l. filius. D. de author. tutorum.* pater autem etiam ipſe ex contractibus filii obligatur, ſed de peculio duntaxat, id eſt, quatenus eſt in peculio, non autem in ſolidum

quan-

...tum debetur. *l. ſi quis cum filiofam. D. de* ... item & ex delictis filii ſic obligatur. *l. ex* ... *lib. D. de R. I. l. pen. D. de cōdict. furt.* vt do... pluribus Petrus Faber lib. 1. Semeſtrium ... 12. Sed ex delictis quidem, præſertim atro... ibus puta adulterio, non ſolet dari in inte... m reſtitutio aduerſus pœnarum executio... , niſi quatenus ætatis miſeratio iudicem ... nerit ad moderationem aliquā pœnæ *l. Ae*... *lius. D. de minor.* ex contractibus. aūt regula... er reſtitutio minori datur, ſi, vt dixi, obligat⁹ ... at patri eius quāuis ob contractū filii de pe... lio teneatur, reſtitutio nulla datur; quia præ... ti propoſitū fuit minorib. ſuccurrere, nō ma... rib. *l. 3. §. ſed vtrū. D. de minorib.* Cæterū hic di... inctio adhibenda eſt, aut. n. filiusfa contraxit ... iuſſu patris ſui, aut non. priori caſu, ſi filius ipſe ... conueniatur, vt poteſt, omnino reſtituēdus eſt. ... *l. §. ſed vtrū.* cui opponitur *l. cū mādatu. D. eod.* ... *tit.* vbi ei obligato negatur reſtitutio. Reſp. in ... ill. *l. filius.* proponitur rē patris ſui geſſiſſe & tā... quā procurator patris, vel res cuiuſuis alterius, ... dicitur ergo nō eſſe reſtituendus, q. ipſius ni... hil intereſſit reſtitui, *d. l. & l. patri. in princ. eod. tit.* & late exponit Couarruuias lib. 1. Reſolut. ca. 6. q. ſi pater ipſe conueniatur; poteſt. n. cōueni... ri & quidē in ſolidū, actione ſcilicet prætoria Quod iuſſu, q. a ſcilicet ei⁹ iuſſu filius cōtraxit. *l.* 1. *& paſſ. D. q. iuſ.* nec reſtitutio patri vlla dabi... tur. Poſteriori aūt caſu. i. cū filius ſine iuſſu pa... tris cōtraxerit, ſi quidē ipſe fili⁹ cōueniatur, re... ſtituēd⁹ eſt; at ſi pater ei⁹ de peculio cōueniatr, nō eſt reſtituēdus. Quid ergo differt hic caſus

à priore? In eo differt, ꝙ in poſteriori hoc caſu reſtitutio filii oblique prodeſt etiā patri, nō ſane quod ita prætori propoſitū fuerit, ſed quia aliter fieri non poteſt. pater. n. cum teneatur ſolū de peculio ſi filius in re & cauſa peculiari reſtituatur, patri quoque id prodeſt, ad quem proprie peculiū pertinet. Imo & reſtitutio, quę filio ex ſua perſona cōpetit, patri etiā concedēda eſt nomine filii agēti, etiamq; inuito ipſo filio. *d.l. patri D de minorib* In priori autem caſu, quāuis filius reſtituatur, tamen pater ſemper in ſolidum tenetur actione Quod iuſſu, vt iā dixi Atq; hęc ita ſe habent, ſi filiusf. ex cōtractib. ſuis obligatꝰ ſit. Quod ſi nō ſit obligatus, tunc reſtitui nō debet non obligatur aūt vt dixi, ex contractu mutui, ſicut nec ex voto, & propterea ei reſtitutio non datur *d. l. 3. §. ſed vtrū. l. 1. & paſſ. D. ad SC. Maced. l. 1. C. de filiof. minor. l. 2. D. de pollicitat.*

CAPVT XXV.

De Iure Filiorumfam.

HActenus de iure patris in bonis aduentitiis dictum eſt. Deinceps de iure filiorum cognoſcamus, quæ tractatio eo breuior erit, tū quia multa ad hoc iūs pertinentia ſupra expoſuimus per occaſionem, tum quia patre viuo tenuiſſimū eſt ius filii; vt non ſolū inter viuos de his bonis diſponere, ſed nec mortis cauſa poſſit, id eſt, nec teſtari, nec legare aliquid de

onis, quamuis ipſius ſint proprietate, neq; im patre inuito teſtari poteſt, ſed nec volē- ⁊ conſentiente. præſertim ſi ſpectes ius ve- Romanum, quod fuit ante has Impp. con- utiones, magnum filiifamil. non habue- it in vlla re, vel potius nullum ius. pri- is C. Cæſar & deinceps ſecuti Impp. pote- item patriam diminuerunt; quamuis eius ſit aturalis cauſa, & ante Imperatores ipſos ea oteſtas non tyrannica ſed temperata etiam i- ſis philoſophis viſa fuerit, vt videre eſt apud enecam lib. 1. de Clementia. cap. 14. & lib. 3. e Benef. cap. 19. vbi rationes huius poteſtatis xplicat, quæ coniungendæ ſunt cum rationi- bus, quas Imp. Iuſtinianus ſæpe exponit, cur bonorum aduentitiorum vſusfructus dunta- at patri ſit relictꝰ *tit. Inſt. per quas perſonas nob. l. cum oportet. & paſſ. C. de bon. quæ lib.* Tota au- tem hæc tractatio de iure filiifam. hiſce duobus capitib. erit explicatā. Primum, de actionibus, quas filiusf. vel cōtra patrē, vel cōtra alios mo- uere poteſt. Secundū erit, de alienatione, & an aliquo alio modo de bonis aduentitiis aliquid ſtatuere vel agere viuo patre poſſit.

CAPVT XXVI.

De Actionibus Filiorumfam.

Hic primo diſtinctio illa adhibenda eſt vtrū cū patre, an cū alio filiusf agere velit. ſi cū

patre Regulæ ſunt illæ iuris notiſſimæ; actiones aduerſus patrē filio præſtari nō poſſe dū in poteſtate eius eſt filius. *l. actiones. 7. D. de O. & A.* Itē nullam litem inter patrem & filium conſiſtere. *l. lis nulla. 4. D. de iudic.* cuiꝰ rei cauſa illa eſt, quia inter patrem & filium non oritur ciuilis obligatio. *l. frater à fratre. & ibi notant. D. de cond. indeb.* & præcipue Iaſon. n. 31. & ſeqq. Hîc exceptiones quædam notandæ ſunt, inprimis illa quod ex cauſa peculii caſtrenſis datur actio filiofam. aduerſus patrem *d. l. lis nulla.* vtpote cum in eo vice patrisfam. fungatur, ſicut & in peculio quaſi caſtrenſi *l. 2. in fin. D. ad SC. Maced. l. vlt. C. de inoff. teſtam. l. cum oportet. in princ. C. de bon. quæ lib.* Et in ſumma in his peculiis & filius contra patrem, & pater cōtra filium agere iudicio poteſt, nec ſolum ex cōtractibus, ſed etiam ex delictis puta furto, ſi pater quid filio caſtrenſe ſurripuerit. *l. ſi quis vxori. §. an autem. D. de furt.* pater etiam contra filium aget ex omni cauſa, etiam furti, ſi filius caſtrenſe peculiū habeat, qa ſcilicet habet vnde ſatisfaciet patri *d. l. §. ſed ſi filius.* Alia exceptio eſt in peculio aduentitio, quamuis de eo inter DD. quæſtio ſit, an pater filio ciuiliter obligetur, & filius patri? ſed communis tamen ſententia eſt, obligari, vt late idem Iaſon tradit in *d. l. frater. n. 25.* quo loco rectè diſtinctionem Bartoli refutat, qui putabat in iis rebus aduentitiis, in quibus pater vſumfructum habet, filiumfam. patri non obligari. Sed veriſſimum eſt, etiam in his obligari per rationem *d. l. ſi quis vxorem. §. ſi filius in illis verbis, cum habeat vnde ſatisfaciat.* Atqui filius

s habet dominium bonorum aduentitio-
, ex quo patri ſoluere poſſit. ergo patri o-
no obligatur,& cum eo agere poteſt.Ter-
xceptio eſt in iis caſibus, in quib. filio per
ſum eſt implorare officium magiſtratus ad-
ſus patrem, veluti in hereditate, quam pa-
ogatus eſt ipſi filio ſuo reſtituere.poteſt e-
à filio pater cogi, vt pater eam adeat im-
ato magiſtratus officio.*l.cogi.§.ſi pater.D.*
C.Trebell. Item ſi pater ſua ſponte adierit,
hereditatem ſiue fideicommiſſum diſſipet,
eſt cogi reſtituere filio etiam ante tempus
Decreto Diui Hadriani.*l.Imp.D.eod.tit.* Si-
ter & alimenta petere à parentibus per
cium iudicis licet. *l. ſi quis à liberis. in*
. D. de agnoſc. & alend lib. Quarta exce-
eſt, ſi filius agat non ſuo nomine, ſed alie-
puta tutorio vel curatorio; quia ſcilicet tu-
vel curator ſit alicuius minoris. poteſt e-
contra patrem ſic agere, cum non agat vt
s, ſed vt tutor, & neceſſitate officii, argu-
to *l quæſitum.D.de in ius vocan.* Accurſ. ad
is nulla.D.de iudic. Quinta eſſe videtur in
inibus quibusdam publicis, puta perduel-
is, & maieſtatis cauſa, in qua filius patrem
ſare poteſt. *l. quisquis. & ibi dixi.C. ad L.*
maieſt. Imo & interficere, ſi de patriæ, &
cipis ſalute agatur. *l.minime maiores.D.de*
toſis & ſumptib. quod & duos quosdam no-
Germanos feciſſe, Zaſius ibi notat. Multa
eferri huiuſmodi exēpla poſſunt & ex hi-
is repeti præſertim ex hiſtoria Romana,
pud Saluſtium Fuluii, quem pater necauit

propter coniurationem Catilinariam. Regula-riter autem filius non poteſt patrem accuſare, *l. accuſare. in fin. D. de accuſationib. iuncto ca. prohibentur 2. quæſt.* 1. argumento *l. ſi quis magnam. C. q. accuſare non poſſunt*. Accuſationis autem filius in patrem inſtitutæ capitalis exemplum horribile extat apud Corn. Tacitum lib. 4. Annal. vbi loquitur de Sereni filio. Qua de re an liceat filio patrem in capitalibus accuſare, videnda eſt diſputatiuncula Platonis in Eutyphrone. patris autem in filiū inſtitutæ accuſationis plura exempla ſunt. cum & maius patris ius ſit, nec reuerētia vlla teneatur filio ſuo parcere in ſceleribus. qua de re velim videri Heliodorū li. 1. Æthiopic. Ioſephum lib. 1. de bello Iudaico ca. 16. & aliquot ſeqq. vbi de Rege Herode, & filiis eius. quibus addendus eſt Tiberius Decianus lib. 3. Tractat. crimin. cap. 13. Atque hæc dicta ſunto de filio, donec in patris poteſtate eſt; vt diſerte exprimitur in *d. l. lis nulla, & in d. l. actiones*. vnde cognoſcimus, ſi filius emancipatus ſit, alio iure eſſe, id eſt, in omni cauſa patri ſuo cum obligari ciuiliter, & patrem ipſi. At filiusfamilias patri acquirit, eoque vna perſona eſſe cum patre intelligitur. & hoc eſt quod Paulus ait; ne cum filiofa. pater agere poſſit, non iuris conſtitutio, ſed natura rei impedimento eſt; *quod non magis*, inquit, *cum his quos in poteſtate habemus, quam nobiſcum ipſi agere. l. ne cum.* 16. *D. de furt.* Cui ſimile illud Ariſtotelis Ethic. V. filium partem patris eſſe. nec iniuriam nec ius ciuile cuiquam eſſe aduerſus ſeipſum. Emancipatio autem ſoluit pa-

triam

quam poteſtatem; vt ideo filius ſibi ſoli acquirat. *l. 1. D. ſi quis à parent. manumiſſ. l. quod autem. D. quæ in fraud. creditor.* Vnde & debita filii non dicuntur eſſe debita patris; & vice verſa. *l. ſi quis § parens. D. de lib. agnoſ.* atq; hoc eſt quod Fab. Quintilianus ſcribit, cũ de matre dixiſſet, qua reuerentia cum ea filius agere iudicio debeat, ſubiicit idem, intelligendum eſſe & de patre, nam inter patres etiam inquit filiosq; cum interueniſſet emancipatio, litigatum ſcio. Cæterum ſiue filius in poteſtate conſtitutus cum patre agat iis caſibus in quibus poſſe diximus, ſiue emancipatus agat ex quacunque cauſa ſemper veniam agendi à prætore impetrare debet. *l. vlt. C. de in ius vocand. l. 4. § parentem. & ll. ſeqq. D. eod. tit.* Qui titulus & quod edictum prætoris de in ius vocando propter filios emancipatos ſcriptum eſt, non propter filios in poteſtate, quia hi regulariter agere non poſſunt. *l. adoptiuum. D. eod.* Vbi dicitur patrem alia ratione poſſe filiumfam. coërcere, ne ſecum agat, id eſt, patria poteſtate. Emancipato comparamus eum de quo dubium eſt, ſitne in patria poteſtate, an non? hic enim cum interim ſit in poſſeſſione libertatis, poteſt aduerſus patrem in iudicio conſiſtere, & agere *l. 1. C. de patr. poteſt. l. ſi putas. C. de petit. heredit.* Eum quoque dicimus poſſe cum patre litigare, qui iuſtis de cauſis patrem cogere poteſt, vt ſe emancipet; quas cauſas Accurſius exponit in *§. fin. Inſt. Quibus mod. patria poteſt. toll.* Idem denique dicendum eſt, ſi filiusf. poſtulet cu-

rationẽ bonorum patris, vt ſcribit idem Quintilianus. Ob valetudinẽ ſcilicet patris, vel corporis, vel animi, vt ſcriptũ eſt in tit. *D. de curatore furioſ. dãdo.* de quo ſupra alibi docui. Quid vero dicendum, ſi emancipatus filius, vel alius quiuis extraneus litem tecum cõteſtatus ſit cũ iure poſſet, poſtea aũt à te adoptatꝰ eſt, an iudicium parmaneat rite iã cœptum? nequaquam, ſed diſſoluitur. *l. ſi a mo. D. de iudic.* quia ſcilicet in eum caſum res incidit, à quo non potuit incipere. Quod cum accidit, tunc res inchoatæ, nec perfectæ corrumpuntur, & irritæ conſtituuntur. *l. non exiſtimo. D. de V. O.* Non poteſt autem filius regulariter cum patre litigare, vt ſupra diximus. Poſtremo, ſciẽdum eſt iure Canonico indiſtinctè videri inter patrem & filiũ iudicium conſiſtere *cap. ſi annus. extra de iudic. li. 6. vbi gloſſa* & alii notant. indecorum tamen id eſſe nemo non videt, vt alia in illo iure ſunt paternæ reuerentiæ diſſoluendæ. Quare ſæpe etiam ipſi Pontifices eorumq; legati ab eo diſcedunt. vt in hac ipſa quæſtione noſtra apparet ex epiſtola Leonis X. apud P. Bembum li. XV. epiſtol. *Recte abs te factum.* X L I. Ideoque hoc ius Canonicum in foro Eccleſiaſtico tantũ valet, non ciuili, vt idem Fortunius agnoſcit in *c. 1. ex. de pact. &.* Iaſon ad *d. l. frater a fratre. n. 22.* vbi tradit ius ciuile non eſſe Canonico correctum, in eo quod ius ciuile impediat obligationem oriri inter patrẽ & filium. imo ius Canonicum ego intelligo loqui eo caſu cũ filius nõ eſt in poteſtate patris; vel cũ peculium caſtrẽſe habet vel aliis caſibus, quib. filiumf. litigare cũ

pa-

parte poſſe ſupra docuimus. debemus enim ſē- per ita interpretationem facere, ne ius ciuile diſcordet à Canonico, vt eſt in *cap. cū expediat. ex. de electio. lib. 6*. Atq; hæc ita nobis expoſita ſunt de filio, ſi cum patre litigare velit. Videamus nūc, quid iuris ſit, ſi cum extraneo? qui locus ſane perobſcurus vt recte, & facile cognoſci poſſit, diſtincte primum dicam de actionibus, deinde de adcuſationibus. Igitur filiusf. in priuatis & pecuniariis iudiciis non videtur iudicio conſiſtere poſſe ſine patris conſenſu. *l. vlt. in fine princ. C. de bon. quæ lib. l. vlt. C. de annali except*. Sed diſtinguendum hic eſt vtrum filiusfam. conueniatur, an vero agat? cōueniri iudicio poteſt ex quauis cauſa ſiue ex cōtractu, vel quaſi. ſiue ex maleficio vel quaſi, *l. filiusfam. D. de O. & A. l. tā ex contractib. D. de iudic*. eoque mortuo poſt litem conteſtatam, transfertur lis in ipſum patrē, vel in eum, cuius procurator filiusfam. *d. l tā ex cōtractib*. de qua tranſactione plura Petrus Faber lib. 1. Semeſtr. & Ant. Auguſt. 3. emendat, vbi hoc verbum tranſlationis Rhetorum eſſe docet. Alii autem cum filiofam. agunt, nec conſenſus patris eius requiri videtur. Imo *d. l. filiusfam*. ait cum eo tāquam cum patrefam. agi poſſe; addendum eſt, & condemnationem contra eum fieri ac valere, vt ſcilicet iudicatum ſoluere cogatur in ſolidum, cum pater tantum de peculio conueniri poſſit. *l etſi condenatus. D. de noxalib. act*. Quod ſi filiusfam ſatisfacere nō poſſit, forte quia nihil habeat, in carcerem trudi poteſt, niſi bonis cedat, quod ceſſionis beneficium etiam filiisfa.

Iuſtinianus conceſſit. *l. pen. C. qui bonis ceder. poſſunt.* tametſi hodie eo beneficio fere non vtamur. dixi in ſolidum teneri filium, quod & certi iuris eſt, neque obſtat *l. filiusfam. D. de iudic.* vbi de peculio tantum teneri dicitur, nam ea l. loquitur de filiofam. iudice, qui non dolo malo. ſed per imperitiam male iudicauit, quod qui fecit in tantum teneri ſoleat, quantum religioni magiſtratus bonum & æquum videatur, *l. vlt. D. de var. & extraordinar. cognitionibus.* non autem in ſolidum, vt recte Azo ſenſit, cuius ſententiam aduerſus alios defendit etiam Cuiac. lib. 13 obſer. cap 17. De conſenſu autem patris, quem dixi, hic non requiri, cum filiusfam. iudicio conuenitur vehementiſſime ei obſtat *d. l. vlt. in fine principii. alias §. neceſſitatis, C. de bon. quæ lib.* vbi Iuſtinianus pro abſurdo ponit, vt iudicium cum filiofam. ſiue is ſi actor ſiue ſit reus, conſiſtat ſine conſenſu patris; ideoque iubet patrem potius cogi officio iudicis implorato, vt conſenſum filio præbeat. Sed hic textus quomodo intelligi debeat, magna eſt cõtrouerſia. Nam ad actorem magis pertinet hæc patrii conſenſus neceſſitas, quam ad reum, cum ſit aperte iniquum, vt non liceat aduerſario agere contra filiumfa niſi pater eius conſentiat. Hac enim ratione ſi pater nunquam conſentiret, creditor filii nunquam poſſet ad ſuum peruenire, atque ita in poteſtate aduerſarii eſſet vel patris eius ne filiusf. conueniretur, vel deberet, quæ ſunt iniquiſſima. *l. ſi idem cum eo §. ſed mutuæ. D. de Iuriſdict. l. 2. §. 7.* Scæuola, in illis verbis, *ſic euenire. D. Quod*

cert.

ure, hac. Atque ita videmus plane loqui omnes illi quæ filiumfam conueniri per ſe ſolum poſſe ex omni actione dicunt tanquam patremfa. Nec conſenſum vllum patris in eo requirunt *d. l. tam ex. D. de iudic. d. l. filiusfa. D. de O. & A. l. denique. § Sed, ibi, & quidē in poteſtate materna. D. de minor. l. ſi clam. §. tum. D. de fideiuſ. l. quoties. & l. ſeq. D. de nox. act.* De filiofam. igitur actore videamus, an ei & quatenus licet actiones intentare? in quo primum hoc tenendum, in peculio caſtrenſi plane per.r iſtum eſt filiofam. agere pro arbitrio ſuo nec ſolum cōtra extraneos, ſed etiam contra ipſum patrem. *l. 4. nulla. D. de iudic.* tantum abeſt, vt requiratur hic conſenſus patris, idque veriſſimū etiam de iure nouo, id eſt poſt *d. l. vlt. C. de bon. qua li.* Nam in peculio caſtrenſi nihil prorſus immutatum eſt à Iuſtiniano, vt ipſemet teſtatur in *l. cum oportet. & in d. l. vlt.* nec mirum, ſi filius in tali cauſa habeat integrā & legitimam perſonā ſtandi in iudicio, cum in eo peculio fungatur patrisfam. vice *l. miles. § 1. D. de caſtr. pec. l. 2. in fin. D. ad SC. Maced. l. vlt. C. eod. tit.* & ita rectiſſime aduerſus gloſſam Accurſii in *d. l. vlt.* ſentiunt & Ioh. Faber in ſuo Breuiario, & gloſſa Canonica in *c. ſi annum, vlt. extra de iud. lib. 6.* Dd. alii communiter, teſte Andrea in additionibus ad Speculat. tit. de actore. n. 23. Idem dicendū eſt & de aliis cauſis, in quib. patri nihil acquiritur, & in quibus filius non ſequitur ius patriæ poteſtatis, quales ſunt ſpirituales, & beneficiales de quib. eſt textus in *d. ca. vlt. de iud.* vbi ſcriptum eſt, patrem non debere ſe intro-

mittere in talibus cauſis, id eſt, ſi immiſcere atque interponere; atque ita de rebus poſt clericatum etiam acquiſitis, priuilegium hoc clerico quamuis in patris poteſtate conſtituto cõpetit, quod militi, & filiofam. in caſtrenſi peculio. Nam & clerici, quod acquirunt, habent id loco caſtrenſis peculii, tanquam milites ſacræ militiæ, vt aduocati togatæ militiæ. *l. cum lege.38.C.de Ep.& Cler.* Quod ſi filiusfa. agere velit ex cauſa peculii pagani: hîc diſtinguendũ inter peculia aduentitia, & profectitia. Iure .n. veteri peculium aduentitium nihil diſtat à profectitio, ſed in vtrumque pariter in ſolidũ patri acquiritur. Iure autem nouo ſecus eſt, aduentitii dominium filio acquiritur, vſusfructus tantum patri *l. 1. & paſ. C. de bon. mat. & de bon. quæ li.* Igitur ſeparatim de profectitio dicendũ, in quo etiã vt in caſtrẽſi vel quaſi nihil immutatũ eſt per ius nouũ *Inſt. per quas perſon. §. 1. & d. l. oportet. & d. l. cum non ſolũ.* Quare videndum modo eſt, quodnam ius vetus fuerit, quod adhuc manet? & certum eſt omnem obligationem, atque actionem patri acquiri, eumque poſſe eas exercere ſolum non filium, *Inſt. per quas perſ. no. acq.* Filiofam. tamẽ multis locis dicũtur dari, vel cõpetere actiones certis ex cauſis q̃ oẽs ab vna æquitatis ratione pẽdẽt. Ideoq; nõ directę actiones appellantur, ſed vtiles *l. ſi longius. D. de iudi.* vel actiones in factum, vt vocantur in *l. non tantũ. D. de Obl. & Act.* vel actiones extraordinariæ, vt in *l. filiusf. 17. D. de reb. cred.* Hæ. n. appellationes oẽs idem in noſtro propoſito ſignificant, vt recte *Duar. in tit. de iud. c.* & Donellus ad *d. l. cum filiusf. de reb. cred.* Directæ. n.

&

& ordinariæ actiones competunt ſoli patri, cui acquiſitæ ſunt. In quo ne erremus, ſciendũ eſt, multũ intereſſe verũ filiusf. agere velit ſuo nomine an nomine patris, ac procuratorio. Nam ſi nomine procuratorio agat, id ei licet & quidem in omnib. cauſis, etiamq; ſine mandato patris, dũ tamẽ ſatisdet patrẽ ratũ habiturum, id enim aliis quoque coniunctis perſonis iure conceſſum eſt, vt agere poſſint iudicio abſque mandato, ſatisdatione tamen præſtita de rato, vel iudicatum ſolui. *l. ſed & hæ. l. Pomponius.* §. *vlt. D de procur. l. exigẽdi. C. eod.* Perperam quidam dicunt, filiumf. non debere hic admitti, vt coniunctam perſonam cõtra textus expreſſos & ius manifeſtum; quod ius non eſt immutatũ illa lege. Nam *d. l. cum non ſolum. vlt. & alia C. de bon. quæ lib.* non loquuntur, cum hoc caſu filiusfa. nomine patris & procuratorio agere velit. ſed cum ſuo nomine; vt recte cum, alii tum Speculator in d. tit. de actore. n. 25. tradit, & notatur in *cap. non iniuſte. ext. de procur.* quod & Donellus tacite probat, ad *d. l. cum filiusf. D. de reb. cred.* vbi etiam illud bene docet, hoc caſu, cum filiusfam. agit nomine procuratorio poſſe eum, & directas & vtiles actiones exercere, vt poteſt quiuis extraneus *l. filiusf. ibi, ipſe quoque filius, &c. D. de procur.* Quod ſi ſuo nomine agat, id ei neque licet niſi raro, neque tũc, cũ licet, poteſt directas actiones intentare, ſed vtiles tãtum, vt ſupra dictum; in quo pueriliter lapſi ſunt Accurſ. & Bartolus, qui dicunt filiũf. etiam poſſe directas intentare, ex eo ſcilicet, ꝙ in *l. filiusf. ſuo. D. de O. & A.* ſcriptũ ſit, filiumfa.

habere ſuo nomine quasdã actiões. fateor ſuo nomine, ſed tamen vtiles, non directas. Nã etiam vtiles, quas habet actiones, poteſt quis exercere ſuo nomine *l.procuratorẽ in rẽ. D.de procur.l.vlt C.quand.fiſc.vel priu.* Videamus igitur q̃uã ſint illæ actiones, & quib. ex cauſis, vel cõditionib. filiof dẽtur, vt eas ſuo nomine exercere poſſit, & primũ id ex ſentẽtia Iuliani admiſſũ eſt in cauſis iniuriarum, ꝙ vi aut clam, item depoſiti, & cõmodati *d.l.filiusf.de O & A.* Deinde propter æquitatẽ, hæc ſententia ad omnes alias actiones, ſiue ex cõtractu, ſiue ex maleficio deſcẽdẽtes producta eſt ex ratione Iuliani, & ex authoritate Scæuolæ, ab *Vlp in l.ſi lõgius. D.de ind.& d.l.cũ filiusf.D.de reb.cr.* Cauſæ æquitatis huius, ob q̃ hæ actiones vtiles filiofa. dantur, cognoſcũtur ex iis cõditionibus, quib. dãtur, non n aliter ei dantur, quã ſi pater longe abſit, nec quisquã eius procurator cõpareat; & filiusf. iniuriam vel damnũ ob id paſſurus ſit, ſi non pmittatur ei agere in eo loco, vbi peregre abeſt, puta Romæ ſtudiorũ cauſa, vt pluribꝰ explicatur in *d.l.ſi longius.d.l.cũ filiusf.de proc.l.in factũ.de O & A.l.ſed ſi nullius.§.vt ait pret.D.de iniur.* vbi ꝙ de abſente patre, idẽ dicitur de furioſo, & mente capto, vt etiã filii ſit cauſa iniuriarum. Nunc de peculio aduentitio cognoſcamus, in quo illud tenendũ eſt, patrẽ ſolum leg. adminiſtratorem eſſe, eiusq; adminiſtrationis magnam partẽ conſiſtere in actionib. exercendis *l.1 C.de bon.mat l.cum oportet.l.vlt. C.de bon. q. lib.* Sed iure quidem veteri, quo ei aduentitia in ſolidum adquirebantur, libere & pro ſuo

ſuo arbitrio tales actiones exercere potuit, vtpote cum ſint ipſius pleno iure Hodie vero nō aliter quam cum conſenſu filii, ad quem rerum aduentitiarum proprietas pertinet. Vtiq, ſi filius præſens ſit & pubertatē exceſſerit, vt Doctorum vulgaris eſt ſententia, quam & Donellus ad *d l.17.D.de reb.cred.* ſecutus eſt, quamuis contra diſſeruerim ſupra cap. 21. Filius autem quando agere ipſe poſſit aduentitiorū nomine nunc docebo. I. obſeruandum eſt quibus in cauſis ob æquitatē ſupra docui actiones dari filiof. in peculio profectitio, iiſdē ex cauſis multo magis dandas eſſe hodie actiones in peculio aduentitio, in quo ius dominii filius habet: quod moneo ne decipiamur illa iuris ſententia, cum dicunt filiof. actiones dari in iis cauſis, in quib. vſusfructus patri nō acquiritur, q̄ ſentētia per ſe quidē vera eſt, ſed tamen etiā cū vſusfructus patri acquiritur, dantur vtiles actiones filio ſi ſcilicet pater abſit, nec quiſq̄ ei⁹ procurator cōpareat, & dānū incurrat filius, ſi denegentur ei actiones. his. n. ex cauſis in profectitio quoq; peculio actiones vtiles filio dātur, quod tamen totū eſt patris *d.l. ſi lōgius*. cū aliis ſupra citatis. ergo multo magis in aduētitio, quod ꝓprietate eſt ipſi⁹ filii. Quod ſi vſusfr. patri nō acquiritur, filiof. actiones dātur, & quidē directæ, nō vtiles. ſed q̄ſtio eſt difficilis vtrū cōſenſus patris ad firmitatē iudicii requiratur, an nō? nam Iuſtin. in *d. l. vlt. in fine princ. ſiue in* §. *neceſſitate*. apertè exigit hunc patris cōſenſum, nec ſine eo vult iudiciū conſiſtere, qua ex l. ſumpſit Pontifex in *cap. ſi annū. vlt in fin. extra de iudic. li. 6.* illā ſententiā, *quāuis*, inquit, *in poteſtate patris exi-*

ſtas nec ſine eius aſſenſu in iudicio regulariter eſſe poſſis. in hac quæſtione tres animaduerti præcipuas Dd. opiniones. Vna eſt eorum, qui dicunt à Iuſtiniano in *d. l. vlt.* conſenſum patris requiri de vrbanitate tantũ; ſed hoc putidũ eſt dicere, cũ Imp. vtatur illius verbis, *neceſſitate, &c.* Item, *cogi debet, &c.* Altera eſt Accurſii, quã cõſuetudine cõmuni probari aiunt, tanquã tutiorẽ, vt ſcilicet patris conſenſus ſemper requiratur; quia filiif. pſona nõ ſit integra, ac legitima ad iudicium; itaq; eã legitimari, & integrari, vt loquuntur, oportere conſenſu patris. Quod ſane eſt abſurdũ; præſertim cũ iſtæ nouæ conſtitutiones de bonis aduẽtitiis ſcriptæ augere voluerint ius liberorũ, concedendo iis dominiũ, ꝙ antea non habebãt. ergo quod in fauorẽ eorum introductũ eſt, non debet à nobis in odiũ retorqueri. *l. ꝙ fauore. C. de ll.* Idq; multo magis, ꝙ Accurſius etiã illis cauſis, in quib. olim filius agere poterat, hodie non poſſe ſine conſenſu patris, exiſtimet. Tertia ſententia eſt Lotharii vetuſtiſſimi gloſſatoris, ſiue vt eũ Bartolus vocat, Othonis, qui illã Iuſtiniani ſententiã in *d. l. vlt.* reſtringit ad id de quo Imp. ibi loquitur nimirum de repudiatione hereditatis aduẽtitiæ, vel alterius rei; ad hanc, inquã, patris repudiationẽ declarandã & probandã requirit Imp. cõſenſum patris in actionibus, quas filius exercet, nam poſſet reus à filio conuentus obiicere ac dicere iudicium nullius momenti eſſe, quia patris eius ſit vſusfructus, & adminiſtratio in aduentitiis, & per conſequens ad patrẽ pertineat exercitium actionis *d. l, 1. C. de bon. mat.* Igitur filius,

filius, vt probet iudiciũ à ſe motũ eſſe firmum, debet oſtẽdere eas, de quib. agitur, nõ ptinere ad patris adminiſtrationẽ, vel vſumfructum. id aũt probat, ſi oſtendat patrẽ eas res repudiaſſe, & per conſequens adminiſtrationẽ in illis rebus. in huius igitur repudiationis ſignũ cogendus eſt pater agenti, vel conuento filio, conſentire. atq; hanc ſentẽtiam cum alii, vt Cynus, & cæteri ſecuti ſunt, tũ inprimis Bartolus, qui eã appellat verã, & veriſſimã, pro qua facit etiam *d. cap ſi annum. in fin & d. l. cum non ſolum. §. ſin autem in ſecunda*. in illis verbis; *non empta autẽ patre, &c.* Vbi ſi pater repudiauerit, vt dixi, res & gubernationẽ earum, filio ſi minor ſit 25. annis, datur curator qui eas res adminiſtret, nec conſenſus patris vllus requiritur; quia ſcilicet p illã dationem curatoris ſatis probata eſt repudiatio patris. Quid aũt ſi pater nolit agenti filio cõſentire? cogendus eſt, inquit Imp. officio iudicis; id eſt, imperio magiſtratus, qui iuriſdictionẽ & imperium mixtum habet, quo iuriſdictionẽ ſuã exequitur remediis prætoriis veluti mulctâ, pignorib. captis. *l. 1. D. de ventr. inſpic.* Quod ſi etiã ita nolit conſentire; tunc decernente prætore iudiciũ cum filiof. recte procedet, & valebit: argumento *l. ait præt. §. id tamẽ D. de minorib. & l. 1. §. non exigit. Vt in poſſ. nom. legat. cat.* Atq; ita contumacia iſta patris pro conſenſu interpoſito habebitur. ꝙ ſi pater iterũ poſtea de eâdẽ re agere volet, quaſi non repudiaſſet, deneganda ei erit iuriſdictio, ſiue actio propter contumaciam, ꝙ ipſum. i. iuriſdictionẽ & actionẽ denegare, eſt etiam vnum ex

remediis prætoriis, id eſt, mixti imperii. *l. ſed & ſi per prætorem. §. ait prætor. D. Quib. ex cauſ. maior.* Qua de re pluribus docui in lib. 1. de Iuriſdict. Pręterea ſic argumentari licet pro hac Othonis ſententia, filioſ per miſſum eſt actiones exercere, ſi pater longe abſit, &c. vt ſupradictũ. atqui ſi pater contumax eſt in conſenſu præſtando, tunc præſens habetur loco abſentis. *l. non tantum. § ſiue iuſta. & l. neque infantes. § 1. D. de fideicom. libert.* ergo hoc caſu contumaciæ paternę omnino filio agere permittendum eſt. qua Othonis ſententia retenta, ꝙ ſcilicet conſenſus patris in ſignum duntaxat repudiationis requiratur, ex eo & illud ſequitur, vbi ſunt tales res aduẽtitiæ in quibus patri vſusfructus nõ acquiritur, licet vellet, quales multas ſupra cap. 6. enumeraui: tunc patris cõſenſum nullo modo requiri, id eſt, neq; in ſignum repudiationis, fruſtra enim eas res repudiet, quas non poteſt acquirere. Igitur filius de eis libere agit, ſi maior ſit XXV. annis, vel curator eius ſiue ipſe cũ curatoris conſenſu, cum minor ſit. *Auth. vt liceat matr. vel auia.* Hæc ſi filius ſuo nomine agat & de rebus ſuis, ſiue de aduentitiis. Quod ſi de rebus alienis, & nomine procuratorio agat, an patris conſenſus requiratur, multi dubitãt? & veriſſimum eſt, nunquam requiri, vt bene Iohan. Bartolus, Salycetus & alii docent ad *d. l. cum non ſolum.* & probatur per tex. expreſſum in *cap. Qui generaliter. §. 1. de procurat. lib. 6. l. filiuſf. §. ipſe quoq;. D. de procurat.* quæ l. non eſt vllo modo correcta per *d. l. cum non ſolum.* vt perperam ibi Accurſius ait. cuius ſententiam

ab omnibus improbari ait Bartolus, præſertim hodie, cum res ſit deciſa per *d. cap.* Concludẽdum eſt igitur, patris conſenſum neceſſarium non eſſe filio agenti vel conuento, quaſi ſine ipſo iudicium non conſiſtat, ſed tantum cogendum eſſe patrem, declarare ſuam voluntatem in acquiſitione vel repudiatione, non autẽ etiam cogendum filium ſuum in iudicio defendere vllo modo, vel vllo caſu §. *vlt. Inſt. de acquiſit. per arrogat.* Hæc de priuatis & pecuniariis actionibus, videamus nunc de accuſationibus. & filiumf. quoq; ad accuſandum in publicis criminibus admitti verum eſt, *l. inter liberas.* §. *filiusf.* & *l. filiumf. D. ad L. Iul. de adulte.* & ratio optima eſt, quia in publicis filiusf. non ſequitur ius patriæ poteſtatis. *l. nam quod. D. ad SC. Trebell.* Deinde in criminib. præſertim publicis, eorumque accuſationibus nihil poteſt quæri patri, imo nec filio ipſi accuſatori; nam in iis agitur ad vindictam reip. nõ ad priuatam vtilitatem. *l. locatio. D. de publi.* & *vectigal. l popularibus. D. de procurat.* Et quod patris cõſenſus requiritur, vt filius ſtare in iudicio poſſit, in *d. l. non ſolum.* §. *neceſſitate*, quomodo intelligendum, ſit ſupra docui, id tum non habet locum in iis etiam priuatis cauſis, in quibus patri vſusfructus non acquiritur, vt ibi dixi; & probat diſerte *cap. ſi annũ extra de iudic. li. 6.* Et ita p hanc rationẽ Baldus reſpõdit in *cõſil. 48 incip. factũ. volu.* 3. Et alii magni Dd. tenẽt, vt Bartol⁹ ad *d. l cũ nõ ſolũ.* & *d l. inter liberas.* § 1. *Et in l. poſt legatũ* §. *filiusfam. per illum tex. D de his quib. vt indign.* Quo loco amplius dicitur, filiumfam.

ſcilicet poſſe accuſare teſtamentū, tanquā falſum etiam inuito patre ſuo, licet patri nō præiudicet in actione ſi quam habet. atque ita etiam Accurſius tandem videtur ſentire in *d. l. cū non ſolū. § neceſſitate. in fine gloſſ. magnæ, in ſecunda ſolutione, quā adfert*; & per cōſequens magis probat, quā primam. Cum. n. Accurſius adfert plures ſolutiones, vel opiniones cenſetur ſemper approbare vltimam, vt in hoc ipſo caſu noſtro probat Tyberius Decianus lib. 3. ca. 9. tractatus criminalis. vbi etiā teſtatur, hanc opinionē eſſe cōmunem, ſed idē ineptè huic ſententiæ obiicit *l. ſed et ſi vxoris. §. ait prætor. D. de iniur.* nā ea l. agit de priuato iniuriarū iudicio, & pecuniario, cū ſcilicet agitur ad æſtimationem iniuriæ, ex qua patri acquiritur, præſertim iure veteri. nā lite conteſtata actio iniuriarum incipit numerari in bonis noſtris. *l. iniuriarū. D. de iniur. l. pœnales. D. ad L. Fal.* Quod ſi ex publico iudicio, vel ex L. Corn. de iniuriis agatur ex trib. ſcilicet illis cauſis, ꝙ ſe quis pulſatū, aut verberatū, aut vi domū ſuam introitam eſſe dicat, quia hic nihil acquiritur, tunc filiusf. poteſt ſine patris conſenſu agere, adeo vt nec teneatur quidē ſatisdare de rato. *l. Cornelia. § illud quæritur. & §. ſeqq. D. de iniur.* Deinde hæc obiectio Deciani nihil fere ad propoſitā quæſtionē facit, nos enim hîc agimus nō de delicto aliquo priuato, ex quo actio aliqua filiofam. ſit acquiſita; puta furto, rapina, iniuria. Sed de publicis criminalib⁹, ex quib. actio publica eſt. i. cuiuis de populo datur. *Inſt. de public. iudic.* Non obſtat etiam, quod filiusfa. ex ſua accuſatione damne-

damnetur, & puniatur de calumnia, etiã in expenſis, vt mos eſt, hoc modo patri præiudicetur. nã id efficere non debet, vt filiusf. non poſſit qué accuſare ſine conſenſu patris. primum, quia ll. nolunt eum poſſe, deinde, quia poſtulat id fauor reipub., cuius intereſt delicta puniri *d. l. locatio. & l. bona fides. D. depoſ.* Deniq; quia hęc alienatio cum ſcilicet filiusf. condemnatur, eſt alienatio neceſſaria propter quá pmiſſum eſt, etiã de peculio aduentitio minui, vt ſentit Accurſius in *l. etſi condẽnat⁹. D. de nox. act.* Qua de re dixi accuratius lib. I. de Coniurationibus.

CAPVT XXVII.

An filiusfam. poſsit diſponere de rebus aduentitiis.

ET certum eſt alienare non poſſe, niſi conſenſu patris ſui *l. cum non ſolũ. vlt. §. filius autem. C. de bon. quæ lib.* Quod ſi pater factã à filio donationẽ comprobet, de proprietate tantũ intelligitur id feciſſe, non vſufructui ſuo renunciauiſſe. vt tradit Ancharan⁹ *Conſ. CVI. inc. dubitatur.* In iis filius plenũ ius alienandi habet quæ patri nec vſufructu acquiruntur, vel licet acquirantur; tamen ea acquiſitio eſt momentanea. Veluti ſi quis teſtamento ſeruum legauerit filio Titii, vt eum ſtatim manumitteret, nam filius poteſt ſtatim eum manumittere ſine conſenſu patris, cum tamen manumiſſio ſit ſpecies alienationis *l. vlt. C. de reb. al. non alien.* Sed hoc ideo quia vſusfructus ille momenta-

neus eſt, & nihil vtilitatis adferre patri poteſt, *d.l.vlt.C.de bon.quæ li.* Sicut vice verſa libertas ſeruo data ad momẽtum nullius pretii eſt, nec valet, veluti data ei cum morietur, niſi forte ad honorem aliquem & conſolationem ſerui pertineat. De quo ſunt epigrãmata lib. I I I. Ανθολογ. εἰς Δούλους. & Martialis lib. 1. de Demetrio, cui ipſe morienti libertatem dederat, inquit enim:

Senſit deficiens ſua præmia meq; patronum
Dixit ad infernas liber iturus aquas.

Eademq; fuit humanitas Plinii erga ſeruos, quẽ legere licet lib. 1. Epiſt. 16. Cæterum an filiusfa. teſtari de bonis aduentitiis poſſit, quæri ſolet? Et certum eſt non poſſe *d.l.vlt.cum ſimilib.* Quamuis in iis rebus aduentitiis quarum patri vsusfructus non acquiritur, teſtari eum poſſe quidam docti viri contenderint, inter quos nuperrime Ioannes Vaudius lib. 1. Quæſt. c. 1. Igitur de hac tota re paullo pluribus diſſeramus. Lex XII. tabb. ita concepta fuit: *Paterfamilias vti ſuper, &c.* Hinc ſequitur ſolos patresfamilias teſtari poſſe, non etiam filiosfamilias, niſi quib. id lex vel conſtitutio principis dederit, vt ſunt milites, qui de bonis ſuis caſtrenſibus etiam filiifamilias recte teſtantur, vt & de bonis quaſi caſtrenſibus, & quod plus eſt, eorum teſtamenta non ſubiacent querelæ inofficioſi, *l. vlt. C. Qui teſt. fac. l. vlt. C. de inoff. teſtam.* at cæteri filiifamilias non poſ-

ſunt

ſunt teſtari. Et de profectitiis quidem bonis nulla eſt dubitatio, cum ea bona ſint patris pleno iure, & nemo de alienis bonis teſtari poſſit, *l. teſtandi. C. de Teſtam.* De aduentitiis iure veteri nulla dubitatio eſt, cum eodem quo profectitia, iure ſint; iure autem nouo ſunt proprietate quidem filiifamilias, ſed vſufructu patris. An igitur teſtari hodie filiusfamilias de iis poteſt? nequaquam, id enim diſerte vetitum eſt in *l. pen. C. Qui teſt. fac.* atque ita conſentienter cenſent, teſte Alexandro ad *l. ſicut certe C. de teſtam. milit.* maior dubitatio eſt de iis bonis aduentitiis, quæ neque ad vſumfructum quidem patri adquirũtur, ſed pleno iure ſunt filiifam. Qui ideo teſtamentum facere non poſſe dicitur ab Vlpiano, quia nihil ſuũ habeat, vt teſtari de eo poſſit. tit. XX. Et omnino dicendum videtur, poſſe eum teſtari. primum ratione, quia in ſolidum ſunt ipſius bona. deinde exẽplo caſtrenſiũ. Tertio argumento *Auth. vt lic. mat. in ſi. pr.* Quarto eſt textus qui id probat omniũ validiſſime in *l. vlt. §. filius autem. C. de bon. quæ lib.* Sed contrarium verum eſt, non poſſe ſcilicet filiumfamilias etiam de his teſtari, vt recte Adcurſius in *l. qui in potestate. 6. D. Qui teſt. fac.* idque probatur per *d. l. pen.* in illis verbis: *ſiue ſine voluntate patris bona poſſideat.* Quibus verbis Imperator Iuſtinianus deſignat hereditates & legata, quæ filiusfamilias adquiſiuit patre eius repugnante. in iis enim rebus filiusfamilias habet plenum dominium, id eſt, & proprietatem & vſumfructum, pater

nihil habet *d.l.vlt.* & tamen in his quoque bonis vetat Iuſtinianus teſtamentum ab eo fieri, *d.l.pen* atque ita communiter DD. probant, teſte Claro lib. 3. §. teſtamentum. quæſt. 18. Nunc quæ in contrarium opponebantur, diluamus. & prima eſt illa ratio; Quod filiifa. in his bonis plenum habeant dominium. Reſpõdeo; non tamen ſequitur. Ergo poſſunt de iis teſtari, nam vt plenum dominium habeant, lege conceſſum eſt. Sed vt teſtari poſſint, lege conceſſum non eſt, imo vetitum. Secundo nõ obſtat exemplum bonorum caſtrenſium, & quaſi caſtrẽſium, quia de his teſtari ſpecialiter eis permiſſum eſt cõſtitutionibus principum, *l.2.& paſſim. D.de teſtam. milit. l. vlt. C. qui teſt. fac.* Sed aliquis inſtabit hoc modo: Imo idem ius etiam in aduẽtitiis eſſe debere, per tex *l. Imperator. D.ad SC.Trebell.* vbi filiusfa. in bis bonis aduentitiis, quæ patri non adquiruntur cõparatur militi. Reſpondeo, comparatur quod ad iudicia attinet, id eſt, vt agere & conueniri iudicio de iis bonis poſſit, non autem comparari, quod ad teſtandi facultatem, vt recte Bartolus ſcribit: Et in militibus ratio eſt, vt teſtari poſſint, quæ non eſt in paganis, nimirum vtilitas publica rei militaris, & rei forenſis. Quare filiusfamilias in rebus caſtrẽſibus habetur pro patrefamilias *l. 2. D. ad SC. Maced.* atque ideo iuxta l. XII. tabb. teſtari poteſt. Tertio non obſtat dicta *Auth. Vt matri & auiæ.* ibi, Ἐχέτωσαν καθ' ὃν βούλονται τρόπον διοικεῖν. nam permittitur ibi quidem vt de huiuſmodi bonis filiifa. diſponant, quo modo volunt. Sed hoc verbum

Diſ-

Diſponere non eſſe ibi intelligendum de teſtamentis, ſed de contractibus inter viuos, Adcurſius bene ad *d. l. 6. notat.* Idque Alexander probat dupliciargumento. I. quia lex noua generaliter loquens reſtringitur & temperatur ſecundum veteres leges ſpecialius loquentes, *l. ſed & poſteriores. D. de Legib.* At veteres leges imo & nouæ Iuſtiniani, vt & *l. pen.* ſpecialiter vetāt filiumfam. teſtari. deinde notandum eſt in *dicta Auth.* verbum illud *perfectæ ætatis.* Quo verbo ſignificatur ætas 25. annorū. *l. fin. C. de his qui ven. ætat. imp.* Et docet Cuiacius ad *tit. D. de minor. in pr.* Sed ætas legitima & idonea ad teſtandū eſt 14. annor. *l. à qua. D. de Teſt.* Ergò *dicta Nou.* non poteſt de teſtamento loqui, ſed de contractibus in quibus minor 25. annis ſi lęſus fuerit in integrum reſtitui poteſt, *l. 1. & paſſim. D. de minor.* Poſtremo non ob *l. fin. §. filiis autem. C. de bon. quæ lib.* licet ille tex. difficilimus habeatur, nam illic ita ſcriptum eſt: In iis duntaxat rebus quarum vſusfructus patri adquiritur teſtamentū facere. Ergo in quib. reb. vſusfructus patri non adquiritur nō prohibetur teſtari. Reſpōdeo, nō hoc ſolū in ea lege dicitur; ꝓhibemus eū teſtari, ſed ꝓhibemus eū alienare & pignori dare & teſtari, vnde ſic recte colligas ex contrario ſenſu. Ergo in iis quorum vſusfr. patri non adquiritur hæc tria quæ modo dixi non prohibentur, omnia ſimul & coniunctim, quod & verum eſt, nam alienare & oppignorare talia bona filiusfa. non vetatur, ſed teſtari de iis vetatur, hoc enim Ne teſtetur, ſpecialiter Lex prohibuit, *d l. pen.* atque hæc ita

ſunt. Sed quæritur, quid ſi pater filio conſentiat an teſtari poſſit? Et dicendum eſt, ne ſic quidem poſſe, *l. qui in poteſtate. D. eod. tit.* quia factio teſtamenti datur iure puplico non conſenſu priuatorum, *l. 3. D. eod. l. nec filiusfamilias. eod.* Hîc opponitur exemplum mortis cauſſa donationis, filius enim familias donare mortis cauſſa poteſt cum conſenſu patris. *l. filiusfamil. §. pari. D. de donat. l. tam is. §. 1. D. de mort. cauſſ. donat.* Cur igitur & non teſtari cum conſenſu patris, præſertim cum donationes mortis cauſſa comparentur legatis. *l. illud. D. eod.* At qui legare poteſt, idem & teſtari, *l. 1. D. de Leg. 3.* Et qui non poteſt teſtari, is nec donare mortis cauſſa poteſt, *l. 1. §. 1. D. de tutel. & rat. diſtra.* Reſpondeo, ideo nec conſenſu patris teſtari filium poſſe, quia vt dixi, teſtamenti factio iuris publici eſt. Sed inſtabit aliquis hoc modo: Filiusfamilias non ſequitur ius patriæ poteſtatis in iis rebus quæ ſunt iuris publici, *l. nam quod. D. ad SC. Trebell.* Ergo ſi teſtamenti factio eſt iuris publici, non prohibetur filiusfam. teſtamentum facere, etiam ſine conſenſu patris. Huic obiectioni, quam & Vaudus, 1. cap. 1. valde vrget, facile reſpondetur. nam in *d. l. nã quod. vt & in l. filiusfamilias. D. de his qui ſunt. & l. in priuatis. cum l. ſeq. D. de iudic.* ius publicum appellatur, id eſt, de re publica conſtitutum. quales ſunt magiſtratus & magiſtratibus cohærens iuriſdictio; in his filiusfamilias non ſubiacet patri. Hoc modo teſtamentum non eſt publici iuris; ſed ea ſignificatione qua alibi expoſui, nimirum quia teſtamenti factio & iu-

re publico &certis legib. conceſſa eſt, *l.teſtãdi. §. Qui teſt.fa.* quas leges mutare patris cõſenſu nõ poteſt. Difficili⁹ eſt. ꝙ de mortis cauſſa donatione adferebat̃.qua difficultate opinor motus ſubtiliſſimus interpres Raphael Cumanus nouã,&ab omnib.improbatã ſententiã defendit. negauit enim filiumfamilias mortis cauſſa poſſe donare etiam conſenſu patris. cuius rationes refert ac refellit Iaſon, quamuis ipſe publica diſputatione hanc ſententiam defenderit. Eſt enim certi & indubitati iuris, licere filiofamilias mortis cauſſa cum patris conſenſu donare, ſed non teſtari. ratio differentiæ eſt, quia teſtari vetitum eſt lege XII.tabb. donare nulla lege prohibitũ eſt; &merito, quia teſtatorum voluntates non debent in ſuſpenſo eſſe, vel ex arbitrio alieno pendere. At contractus poſsũt ex alieno pẽdere arbitrio *l fin.& ibi gloſ. D.de cõtr.empt.* Cõtractib.aũt ſimilior eſt mortis cauſſa donatio,q̃ vltimis voluntatib⁹, *l.3.4.l. ſenatus.§.1.D.de mort.cauſ. don.* quãuis effectus quidẽ mortis cauſſa donationis poſt mortẽ demũ teſtatoris locũ habeat. Itẽ: cũ donatio mortis cauſſa,vt alia queuis per alium perfici poteſt, non item per teſtamentum.nemo inquã teſtari poteſt per aliũ,id enim repugnat definitioni, q̃ eſt voluntatis noſtræ iuſta ſententia, *l 1.D.de teſta.* Atq; hæc ita ſunt. Cæterũ illud.intelligẽdũ eſt,plurimis hodie in prouinciis ita receptũ eſſe,(ꝙ & alibi in hoc libro monui) & vſu obſeruari,vt filiif.qui nuptias cõtraxerũt,licet nõ plane exeant de patris poteſtate,libere tamẽ & ſine cõſenſu patris teſtari poſſint; &quod plus

eſt, liberis ſuis pupillariter ſubſtituere. vt ſcribit Carol. Molinæus ad Phil. Decium in epitome *conſil. CCXV. incip. In cauſſa.* Hæc de teſtamento. Sed an ſaltem ab inteſtato hæredem habere filiusfam. in his bonis poſsit, quæritur? Quæ maior adhuc controuerſia inter noſtros interpretes eſt de dote, vtrum in ea filiafamil. habeat heredem ab inteſtato, eo caſu, quo dos in filiam conſolidatur, puta ſi pater pactus ſit vel ſtipulatus dotem filiæ ſoluto matrimonio reddi? nam & viuo patre ſola agere filia de dote poteſt, quia ipſius ſit præcipua, vt Bartol. & commun. DD. *in l. 2. §. 1. & in l. poſt dotem. D. ſol. matr.* tradunt. nec impedimento ſit, quod pater filiofam. donare non poſsit: quia dos excipitur, in qua conſiſtit donatio. *l. Pomponius Philadelphus. D. Fam. ercisc.* Et recepta eſt ferè ſententia Bartoli, qui heredem habere ab inteſtato filiamfam. iure veteri adfirmauit, tam in profectitia, quam in aduentitia dote: licet Paulus de Caſtro, & alii quidã diſſenſerint, quorũ omnium argumenta legi velim apud Baldum Nouellum *tractatu de dote, part. VIII. priuileg. X.* Neq; dubium apud me eſt, quin Bartoli opinio ſit falſa vel eo ſolo argumento, quod in bonis caſtrenſibus, quæ tamen filiifa. pleno iure obtinent, & de iis teſtandi etiam facultatẽ habent. *l. vlt. C. qui teſtam. fac. poſſ. cum ſim.* tamẽ heredem ab inteſtato non habent, ſed ea pater iure peculii occupat. *l. 2. D. de pec. caſtr.* quanto minus id in filiafa. & dote eius probandum eſt, cum neque tantum ius habeat viuo patre, nec tantus ſit dotis, quantus militiæ fauor? Nec le-

ges à Bartolo allegatæ quicquam tale probant, quale ille putat, vt *d.l.poſt dotem.l.inter ſocerum. §.cũ inter. D de.pact.dotal.l.anus. D.eod.* Hodie vero poſt nouas conſtitutiones in aduentitiis non male dicitur, filiumfa. habere heredem filium ſuum poſſe, vel fratrem ſaluo ſemper & remanente penes patrem vſufructu.*l.quod ſcitis.C.de bon. quæ lib. l. vlt. C.comm.de ſucceſſ. & Auth.de hered. quæ ab inteſt.*§.1. Idemq; dicendum de bonis aliis omnibus filiofa. vel filiæfa. pleno iure quæſitis, vt ad liberos eius iure hæreditatis, non ad patrem iure peculii tranſmittãtur.*d.Auth.*§.1. Sed hoc loco explicãdus nobis eſt §.*pen.l.3.D.de minor.* vbi ſic Vlpianus ſcribit.*Pomponius adiicit ex his cauſis, ex quibus in re peculiari filiifamil. reſtituuntur, poſſe & patrem, quaſi heredem, nomine filii, poſt obitum eius impetrare cognitionem.* quid eſt, quod patrem heredem filii vocat? An de caſtrenſi peculio loquitur, in quo pater licet proprie heres filio non ſit, *d.l.2.D.de caſtr.pec.* tamen quaſi heres vel heredi ſimilis dici poteſt; cum & mortuo ſuccedat & in omne ius eius. De profectitia enim vix intelligi poteſt, cum heredem is habere non poſſit, qui nulla bona reliquit.*l.lex Cornelia.D. de vulg. & pup.ſubſt.* eodemque iure fuit olim aduẽtitium peculium. Sed bene Ant. Faber lib. 4. coniect. 5. ſi improprie patrem quaſi heredem filii dici volumus in caſtrenſibus, poterit etiam pater dici quaſi heres filii, qui profectitium aut aduentitium duntaxat non caſtrenſe peculium viuens habuit.

l. ſi ſtatulibera. 6. §. ſi filiusfam. D. de ſtatul. vbi mortuo filio, qui hereditatem, in qua fuerat inſtitutus, agnouerat, pater ſuperſtes heredis quaſi heres eſſe dicitur. Ipſe autem cum & illa verba, & hanc de in integrum reſtitutione, quam pater filii nomine petit in *d. §. pen.* explicare aliter non poſſet; eo deſcendit, vt quaſi heredem exponat, quaſi dominum. quæ ſane dura eo loco expoſitio eſt: ſimul & verba illa, *póſt obitum eius*, tanquam gloſſema inducit. Ego ita cenſeo, verba illa, QVASI HEREDEM, non ad patrem referenda eſſe, ſed ad alium, vt ſit hic ſenſus. Pater poſt obitum filii, qui in integrum reſtitui poterat, reſtitutionem impetrare nomine eius poteſt, id eſt, ex perſona filii, vt ſolent eam impetrare heredes ſiue ſucceſſores eorum, qui ipſi reſtitui in integrum potuiſſent, vt eſt regula *l. non ſolum. D. de reſtit.* quamuis enim pater heres filii non ſit; tamen eſt ſimilis heredi; tum quia, vt heres patrimonium defuncti capit, ſic pater filii peculium, quod quaſi patrimonium filii eſt, & appellatur. tum quia reſtitutionem ex perſona filii defuncti, cui reſtitutio competebat, petit, ſicut heredes ex perſona eorum, quibus ſuccedunt. Dices falſum eſſe, quod diximus, patrem ex perſona filiifamil. reſtitui poſſe. cum id tota illa *l. 3.* Vlpianus neget, id eſt, etiam filio viuo patrem reſtitui poſſe. Sed reſpondeo, patri quoque interdum reſtitutionem dari ex geſtu filii, imo etiam filio inuito: *l. patri. D. de minor.* & explicaui

ſatis

filiis ad *tit. Cod. de filiof. minor.* Deinde licet viuo filio non daretur patri reſtitutió, tamen datur eo mortuo, & quidem filii ipſius nomine, vt eſt in *d. §. Pomponius.* Neque obſtant quæ Vlpian dixerat in *d. l. 3.* quia filio viuo verum eſt reſtitutionem patri dari non poſſe vllo colore, cum prætori propoſitum fuerit minorib. non maioribus ſuccurrere. At cum filius mortuus eſt, illo colore & æquitate reſtitutió datur, quia aliis etiam heredibus, licet maioribus, datur ex perſona defuncti. Cur ergo non & patri? & hoc eſt quod Vlpian. in *d. §.* inculcat, cum ait: *quaſi heredem*, item, *nomine filii*: item, *poſt obitum eius*; quæ tot verba non iteraſſet, niſi id intelligi, quod dixi, voluiſſet, ſimilitudine heredum dari patri reſtitutionem. Neque obſtat etiam hîc illa obiectio, quod filiofam. mortuo nulla ſuperſit obligatió, contra quam detur reſtitutio, ideoque nec detur. *l. qui contra. D. de fideiuſſ.* Nam reſpondeo, patrem non ſolum actionibus prætoriis, Quod iuſſu, & de in rem verſo; ſed etiam actione de peculio ſemper teneri pro filio ſuo, item obligationem filii cohærere peculio ipſius, ideoque ad eum tranſire, ad quem tranſit ipſum peculium. *l. frater à fratre, D. de condict. indeb.* Atque ideo ſignanter Pomponius dixit initio *dicti §. ex his cauſſis ex quibus in re peculiari*, &c. vt ſignificet de obligatione peculiari ſe loqui, quæ cohæret peculio. Poſtremo etiam mortuo filio atque ita peculio extincto, tamen actio de

peculio intra annum datur contra patrem toto *tit.D.quand.act.de pec.ann.* quapropter eius actionis nomine etiã fideiuſſor recte accipitur, qui nõ poſſet accipi ſi nulla ſubeſſet obligatio. *l.plane.& l.Gracè.D.de fideiuſ.*

CAPVT XXVIII.

Dos & donatio propter nuptias an de bonis maternis danda ſit.

DE hac quæſtione longa & perplexa eſt nõ ſolũ IC. & legiſlatorũ veterũ, ſed & Doctorũ noſtrorũ diſputatio cũ alibi tũ in *l. 1. D. ſol.matr.* quę magnam partem occupatur in explicatione Iuſtiniani conſtitutionis *in l. vlt. C. de dot.promiſſ.* Cuius hæc verba ſunt: *ſi pater dotem pro filia ſimpliciter dederit, vel pro filia ante nuptias donationem fecerit, habeat autẽ filius vel in poteſtate conſtitutus vel forte emancipatus res maternas, vel ex alio modo tales, quæ adquiſitionẽ effugiunt, quarũ vſusfructus ſolus apud patrem remanet, vel quocunq; modo poterat quaſdã actiones contra patrẽ habere: dubitabatur apud veteres, vtrumne videretur pater ex ipſo debito dotis vel ante nuptias donationis feciſſe promiſſionẽ vel dationem, vt ſeſe ab huiuſmodi nexu liberaret; an debitũ quidẽ remaneret in ſua natura, liberalitas autem paterna dotem vel ante nuptias donationẽ dare ſuggeſſiſſet? Et in tali donatione multa pars legumlatorũ ſeſe diuiſit, alio etiã incremento huic quæſtioni addito, ſi forte dixerit in inſtrumẽto dotali, ex rebus paternis vel maternis dotẽ vel ante nu-*

nuptias donationẽ dare: vtrum pro dimidia parte videatur datio vel promiſſio facta eſſe, an pro rata portione vtriuſq; ſubſtantiæ. Vtramq; igitur dubitationem certo fine tradentes ſancimus, ſiquidẽ nihil addendum exiſtimauit, ſed ſimpliciter dotem, vel ante nuptias donationẽ dederit, vel promiſerit; ex ſua liberalitate hoc feciſſe intelligi, debito iñ ſua figura remanente. Neq; enim leges incognitæ ſunt quibus cautum eſt, omnino paternum eſſe officiũ dotem vel antè nuptias donationem pro ſua dare progenie. Liberalitas itaq; talis remaneat vera & irreuocabilis, vt puro nomine & liberalitas & debitum ſuam ſequantur fortunam. Vbi autem ex rebus tam ſuis, quam maternis, vel aliis, quæ non adquirũtur, vel ex ſuis debitis dixerit ſe feciſſe huiuſmodi liberalitates: tunc ſiquidem penitus inopia tentus eſt, ex illis videri rebus dotem vel ante nuptias donationẽ eſſe datam quæ ad filios vel ad filias pertinent. Si vero & ipſe ſubſtantiam poſſidet, in hoc caſu quaſi de ſuo patrimonio dotẽ, vel ante nuptias donationẽ pro filio dare & cõſentire filiis ſuis, quando voluerit partẽ vel forte totã ſuam ſubſtãtiam quã habent, paternæ liberalitati pro dote vel ante nuptias donatione adgregari: vt reuera appareat quid ipſe velit dare, quid de ſubſtantia filiorum proficiſcatur: ne dum effuſo ſermone ſeſe iactet, in promptum incidat ſui periculum. Hęc Iuſtinianus cuius, verba ipſa, licet compluſcula, idcirco deſcripſi, vt appareret nihil cauſſæ fuiſſe interpretibus noſtris, cur de eius conſtitutionis ſententia tantopere ambigerent, ac diſceptarent; cum ſit clariſſima, & vna ex quinquaginta Deciſionibus. Diſtinguit apertè conſti-

tutio inter hos duos primum caſus; vtrum ſimpliciter dotem (idem & de ante nuptias donatione cape) pater dederit; an expreſſo, quibus ex bonis dederit? Priori caſu ſancit, præſumi de ſuo patrimonio dediſſe, vel promiſiſſe, & hanc dationẽ appellat liberalitatem ſæpiſſimè & ab obligatione ſeu debito diſtinguit. Cui videtur obſtare, quod ait omnino eſſe paternum officium, dotare filiam. his enim verbis obligationem paternam intelligit: *l. capite. D de rit. nupt.* Et Artemidorus lib. III. de Inſomn. cap. XLI. καὶ δανειστὴς καὶ θυγάτηρ τὸν αὐτὸν ἔχουσι λόγον. ἐπειδήπερ καὶ ἡ θυγάτηρ μετ᾽ ἀνάγκης ἀπαιτεῖ. καὶ ὅταν μετὰ πολλῶν ἀνατροφῇ φροντίδων, ἀπαλλάσσεται λαβοῦσα, προῖκα, ὡς δανειστής. Creditori filiam in dote comparat. ex quo apparet falſum eſſe, quod vir quidam doctiſſimus ſcribit, cogi quidem patrem poſſe, vt conditionẽ filiæ quærat, vel in matrimoniũ eam collocet; ſed nusquam in iure dici, cogi eum vt illi dotem det. At *d. l. capite.* COGI per Proconſules Prçſidesq; poſſe ait ex conſtitutione Diui Seueri & Antonini. quam ego ſic accipio de prouincialibus ſcriptá eſſe, & eo Legem Iuliam, quæ de Italis vel Romanis tantum cauerat, produxiſſe. quomodo Imp. Dioclet. & Maxim. inquiũt, Legis Iuliæ de bonis cedẽdis beneficium, conſtitutionib. Diuorum noſtrorum parentum ad prouincias porrectum eſſe. *l. 4. C. Qui bon. ced. poſ.* Et has leges Imp. Iuſtin. hîc intelligit, notas ex *d. l. capite.* Officium igitur hoc loco obligationem ſignificat, vt apud Celſum; quippe officium *aui*, inquit, *circa*

ca

ca neptim ex officio patris erga filiam pendet. & quia pater filiæ, ideo auus propter filium nepti dare DEBET. *l. dotem. D. de collat. bon.* Idem ex eo colligi poteſt, quod de matre cautum eſt, non cogi eam vt dotem filiæ det, niſi ex magna & probabili cauſſa, vel lege ſpecialiter expreſſa: imo nec patrem poſſe eam dotare de bonis maternis. *l. neque. C. de iur. dot.* vbi Accurſius notat ad illud verbum, Cauſſa, vt quia ſit hæretica: filia autem Orthodoxa. *l. cognouimus. C. de hæret.* quomodo ergo verba Iuſtiniani interpretamur, qui & liberalitatem patris toties appellat hoc officium, & à debito ſeparat? Ratio eſt, quod hæc patris obligatio non ex vllo vſitato genere deſcendit earum cauſſarum, quæ iure conſtitutæ ſunt ad obligationem pariendam; verum ex naturali quadam æquitate charitateque ſanguinis, & officio iudicis extraordinario venit, ſicut & alimentorum. *d. l. capite. l. ſi quis ex liberis.* §. 1. *D. de agn. lib.* Nunc ad propoſitum redeamus. Dubitatio eſſe in priori caſu nulla poteſt, cum ſimpliciter dos à patre data vel promiſſa eſt. de patrimonio ſolius patris conſtitutam intelligi: atque ita debitum, vt Iuſtinianus loquitur, in ſua figura remaneat, id eſt, bona aduentitia filiæ relinquenda & conſeruanda eſt. Nam quod dicunt, dotem filiæ dando videri patrem compenſandi eius cauſſa, quod filiæ alias debet, id feciſſe. argumen. *l. ſi cum dotem.* 22. §.

ſi pater.D ſol.matr.& ibi Angelus notat, ſi pater legat filiæ, videri cum dote compenſaſſe, quam ei dare tenetur, ſi legati ſumma cum dotis conſtitutione conueniat: quãtum doti ſatis eſſet, vt ait *d.lex.non debet.* idem dico de patris debito in aduentitiis filiæ bonis. Deinde, ſi pater ſimpliciter (vt noſtra eſt quæſtio) legatum filiæ relinquat, idem dicemus, quod antea in dote ſimpliciter promiſſa, nimirum legatũ filię ſoluendum eſſe, nec cum dote compenſandũ. *l.ſi pater.D.de coll.dot.l.à patre.D de collat.* Poſtremo, cum dat filiæ dotem, quia ex obligatione & officio patris ad id tenetur, non poteſt videri in aliud debitum ſoluiſſe, vel cõpenſaſſe, vt cum debitor creditori ſuo aliquid legat, id eſt, donat. Poſterior caſus difficilior eſt, ſi pater expreſſit quibus ex bonis dotem conſtituat. in quo hanc iterum diſtinctionem induxit, vt ſi dixerit, ſe dotare de bonis tam paternis. id eſt, ſuis, quam maternis, ſiquidem diues ſit pater, intelligatur de ſuis ſolius bonis dotem conſtituiſſe. Ratio eſt, quia tam confuſa patris iactatio nõ aliam interpretationem recipit; hoc eſt, ne videatur pater tam effuſo & largo ſermone etiam de rebus alienis donauiſſe, & dotem dediſſe. quorum vtrumque iure interdictum eſt, donare, inquam, & in dotem dare res alienas; & ſi dentur, non fiunt accipientis, nec fiũt dotales. *l.Ariſto.§.pen.D.de donat.l.ſi à matre.C. de iur.dot.l.mater.l.Proculus.D.eod.tit.* Nec improbabile eſt, quod DD. vulgo ad *d.l.* 1. *D.ſol. matr.* tradunt, in hoc ſermone, verba illa, *Et maternis*, vel *partim de maternis*, ne plane otioſa ſint

ſa ſint & ſuperuacua, quod in dubio admittere non debemus in cõtractibus aliisque actib. *l ſi quando.in princ. D.de Leg.1.l.3.§ ait prætor. D.de vi & vi arm.c. Papa. De priuil. in VI.* ſic accipienda ex mente patris dotem cõſtituentis, quaſi dixerit ſe dotare de ſuo;& in defectu, id eſt, ſi bona ſua non ſufficiant, ſuppletum iri de bonis propriis filiæ. Quod ſi patris bona idonea ſint & facultates lautæ; ſemper iuxta dictam Iuſtiniani deciſionem iudicari debet, de ſolo patrimonio ſuo dotem dediſſe, quantumuis filia ſit admodum diues. vt docent iidẽ DD eodem loco. Eoque pertinet illa nobilis quæſtio, an pater teneatur dotẽ dare filiæ, quæ diues ſit bonaq; aduentitia habeat? Et doctiſſimi quidam viri exiſtimant, non teneri, vt Accurſius, Bartolus, Alciatus VIII. Parergor. cap. III Duarenus in Titulum D.de iur. dot. Conanus lib. VIII. Comment.cap. VIII. Sed Alciatus vno & leuiſſimo (ne quid grauius dicatur) argumento id probare conatur, ex verbo ſcilicet officium, quod ab obligatione diſtingui ait, de quo ſup.expoſuimus. Sed melius ea ſententia confirmatur *ex l.mulier. 22.§.cũ proponeretur.C.ad SC.Treb.* vbi ſcriptum eſt de filia quæ à patre heres inſtituta, rogata eſt ſi ſine liberis decederet, hereditatem Titio reſtitueret, filia autem certam quantitatem marito in dotẽ dedit. cum poſtea ſine liberis deceſſiſſet, quæſitũ eſt, vtrum dos detrahi debeat de fideicõmiſſo? Reſpondet Vlpianus, dotem decedere, nõ aliter ac ſi rogata eſſet reſtituere, quod ſuperfuiſſet; quia non poſſit dici, in euerſionem fidei-

commiſſi factum eſſe; quod & mulieris pudicitiæ,& patris voto congruebat, id eſt, quod in dotem, eã quantitatem, ex hereditate ſcilicet paterna, dederit. Quod ſi tãtos fructus, inquit, ex hereditate mulier percepit, vt inde poterit doti ſatisfieri; dicendum eſt potius fructib. hoc (dotem) expenſum ferendum, quam fideicõmiſſo. Ex hac poſteriori parte vulgo vt dixi, colligunt, ſi de ſuo filia habeat, vnde dotari poſſit, non cogi patrem, vt ei dotem det. Sed profecto abſurda collectio eſt. tum quia patre iam mortuo conſiderari non poteſt hæc bonorum diſtinctio: tum quia non filiæ, quæ & ipſa deceſſit, dos aliqua conſtituitur, ſed maritus heres ab ea inſtitutus, quærit vnde ſibi certam illam quantitatem, quæ ei in dotem data fuit, detrahere & ſeruare debeat? nam vt heres filiæ petere non poteſt bona paterna, vtpote quæ reſtitutioni ſubiecta ſunt. at vt dotem poteſt; quia licet fideicommiſſo ſint grauata, tamen voluntati & voto patris conuenientius eſt, vt ex iis bonis voluerit dotem à filia dari; vt nihil amplius ad Titium perueniret, quam quod doti ſuperfuiſſet; quaſi ita rogata filia eſſet. Quod ſi fructus ex iis bonis percepti doti illi ſoluendæ ſufficiant, nihil eſt, cur fideicommiſſum plenum præſtari Titio non debeat. ſed & hi fructus, quoniam ex bonis paternis, id eſt, ex fideicommiſſo illo percepti ſunt, merito vt fideicommiſſum ipſum ex ſubſtantia patris obueniſſe dici poſſunt, quamuis etiam poſt mortem patris percepti fuerint, ſicut in ſimili caſu reſponſum eſt

à Papiniano *in l. quod bonis, §. quod anus. D. ad L. Falc.* Illa ratio pro hac ſententia Adcurſii, & Bartoli, magis vrgere videtur. nam ideo pater filiæ dotem dare cogitur, vt facilius nubere poſſit. *d. l. capite. de rit. nupt. cum ſim.* Sed hæc ratio ceſſat, vbi filia de peculio aduentitio ſe ipſa dotare poteſt. Verum nihil hoc ad rem pertinet. nam etiamſi abſque vlla dote poſſit filia maritum reperire, tamen nihilominus dotem ei dare pater tenetur: vt ſe familiamque commodius alere poſſit, & ne marito, vt fieri ſolet, contemptui ſit, ſi nihil ad eum attulerit. *Nou. de nupt. 22. § ſi quis enim duxerit.* vel ab eo repellatur, ſi indotata fiat *l. generaliter. C. ad SC. Vell.* Denique clara eſt deciſio Iuſtiniani, qui eam quoque filiam dotari à patre debere ait, quæ bona aduentitia habet. Atq; hanc ſententiam & receptam frequentius DD. ſuffragiis & in Camera Imperii rebus iudicatis cofirmatam eſſe tradunt Mynſingerus cét. V. obſer. XXXII. & And. Gail. lib. II. obſer. XCV. Ea tamẽ ratio q̃ ex Sichardo adfertur, mihi diſplicet, quod pater durius obligatus ſit ex officio dotandæ filiæ, quam ex detentione rerum aduentitiarũ: ideoque in dubio videtur ſe liberare voluiſſe à duriori, id eſt, legis obligatione, *l. & magis. cũ l. ſeq. D. de ſolut.* Eſt enim hæc ratio contra manifeſta verba *d. l. vlt.* vbi dotis datio liberalitas appellatur reſpectu obligationis, qua in rebus aduentitiis pater tenetur. Deinde officium iudicis, quo patrem ſolo cogi diximus dotare filiam, non poteſt validius eſſe,

quam obligatio patris in reſtituendis aduentitiis rebus, cum hæc vere ſit obligatio; officium autem iudicis largo tantum modo dicatur obligationem præſupponere. Adcurſius *in l. ſi ſeruus.§.fin.D.de V. O. Bart. in l. vlt. D. de iniur.* Limitant autem DD. recte dictam Iuſtin. deciſionem in eo, ſi pater quantitates vel partes expreſſerit, veluti ſi dicat ſe de bonis quidem ſuis dotem conſtituere mille florenorum, de bonis filiæ totidem, vel amplius aut minus. Tunc .n. nō in plus pater tenebitur de ſuo patrimonio dare, quam promiſit. nec minus valebit promiſſio de bonis filii, vt ita integra dos ſit, partim ex paternis partim ex maternis bonis. Nam *d.l.vlt.* deciſio loquitur in caſu dubio; non autem cum clarum eſt, quid pater de ſuo dare, quid de filiæ bonis voluerit, vt illa verba manifeſto ſignificant *in fin d.l.* ſcripta, *vt reuera appareat, &c.* Quod tamē ita ꝓcedit, aut ſi ante, vel in promiſſione ipſa hanc ſuam volūtatem declarauerit. Poſtea facta declaratio vel proteſtatio patri non prodeſt, vtpote facta poſt ius quæſitum filiæ. Adcurſ. in *l. vn. §. adcedit. C. de rei vx. act. l. ex morte. in fi. C. de pact. conu. Angel. conſ. 209.* Quod ſi vidua filia ſit, pater dotem promittens nō aliam promittere cēſetur, quā datā priori marito. *l. dotem. D. de iur. dot.* neque enim tenetur iterum dotare licet priorem dotem amiſiſſet. *l. ſi cum dotem. §. 1. D. ſol. matrim.* Nec obſtat, quod diximus res alienas in dotem dari non poſſe. Nam filiæ ipſius loco & cauſa, cuius hæ res ſunt in dotem dantur, & manent ſic datæ in patrimonio filię,

li-

licet in bonis mariti fieri dicantur conſtante matrimonio.*l.dotis.*§ 1.*D.de iur. dot. cum ſim.* Atque ita ſunt, ſi pater idoneus & locuples ſit. quod ſi pauper ſit; de ſolius filiæ bonis conſtitutam eſſe dotem intelligendum eſt, & quidē tantum erit in dote, quantum promiſſum eſt. *d.l.vlt.* Et quamuis hoc caſu, nihil Iuſtinianus inter pauperem & diuitem diſtinguit, ſed ſimpliciter conſtituit, vt dos de ſola patris ſubſtātia conſtituatur: id tamen intelligit, vbi ſubſtātia aliqua eſt, quæ ſufficiat doti, & ne pater egere cogatur. Sicut in marito conſtitutum eſt, teneri eum dotem reſtituere, quatenus facultates ipſius patiuntur. *l.etiam.D.ſol. matr.l. rei iudicatæ.§.vlt.& l.ſeq. D eod.l.ſicut. D.de re iudic.* Nam & cum pater indefinite dotem pro filia promittit, imo & cum extraneus; tantum promiſiſſe intelligitur, quantum habita ratione eius bonorum. & puellæ dignitatis, æquum eſſe iudex ſtatuet. vt Conanus *lib. VIII.cōm. cap. VIII.* docet: qui & reſtrictiorem eſſe iudicem in æſtimanda ea dote, quam pater inuitus cogitur præſtare, vt eam intra modum potius, quam pro modo facultatum exigat. Poſtremo ſciendum eſt hanc Imp. Iuſtiniani conſtitutionem ſuo more improbauiſſe & abrogauiſſe Imp. Leonem, cum, qui Philoſophus, poſt D. Antoninum vſurpatur. Nam in *Nouella XXI.* cuius eſt inſcriptio, Περὶ τοῦ φυλάττεσθαι τὴν ἐπαγγελίαν τῆς προικὸς, ἢ ἐκ πατρῴας ἢ μητρῴας περιουσίας, id quod hæc etiam inſcriptio ſatis indicat, ſanciuit, vt id ſeruetur, quod pater in conſtituenda dote dixit, profeſſusq; eſt. atque

ita licet diues ſit, etiam de bonis maternis, vt promiſit, partem dotis dare poſſit, nec totã de ſuo, quod non promiſit, teneatur. Sed arbitror, inquit idem crudiriſſimus interpres, ita conſtitutum à Iuſtiniano, vt iſto quaſi pudore patres induceret ad dotem filiabus maiorem, & ampliorem concedendam. nam liberum ipſis eſt, ex bonis maternis tantum filiæ dotem dicere, aut quantum ex ſuo, quantum ex filiæ patrimonio datum volunt. Quod ſi non faciunt, interpretatio fauori filiæ tribuitur: vt de ſuo tantum promiſiſſe cenſeantur. Sic enim fore putauit Iuſtinianus, vt maiorem ipſi darent, ſi ab eis quantitas erit definienda: quod verecundabuntur ſummam dicere, quæ paterno officio nõ reſpondeat. nã cum generaliter promittunt de ſuis, & filiæ bonis, poſſunt præ ſe ferre omnem aut maximam dotis partẽ de ſuo ſe daturos, & quod filiæ charitate dignum ſit, ſoluturos: cum interim non plus quam dimidium eius largiantur. Quod ſi quota pars ad ſe pertineat, cogentur dicere; ab eis aliquid amplius exprimet ea confeſſio, ne minus, quam patrem deceat fuiſſe arguatur.

CAPVT XXIX.

An filiusfamilias poſsidere & vſucapere poſsit.

PVgnare inter ſe vidẽtur Iuriſconſulti. nam Paulus ait; *vſucapere poteſt paterfamilias. Filiusf. & maxime miles, in caſtris acquiſitum vſucapiet. l. 4. D. de vſuc.* & Papinianus, qui nec poſſidere quidem filiumfa. poſſe ait rem ex cauſa

pe-

peculiari quæſitam. *l. iuſto §. filiusf. D. eod. tit* pl⁹ etiam. Mæcianus adfirmat, *Filiusfa.* inquit, *neq; retinere, neque recuperare, neque adipiſci poſſeſſionem rei peculiaris videtur. l. filiusfam. 93. D. de R. I.* Sed adhibenda peculiorum diſtinctio eſt: Nam in caſtrenſi peculio & poſſidere & vſucapere poteſt ſuo nomine, & iure, nec quidquam eſt in hoc peculio immutatum imperatorum conſtitutionibus. *l. 1. in fin. D. ad SC. Maced. l. cũ oportet. C. de bon. quæ lib. Inſt. per quas perſ. no. acq.* In profectitio obtinet q̃ dictũ eſt, eũ nõ videri poſſidere vel vſucapere: niſi patris, cui⁹ illud peculiũ pleno iure eſt, ratione & nomine. Pater igit' per filiũ poſſidet & vſucapit. eaq; ratione filiusf. etiã poſſidere, & vſucapere res ex cauſſa peculii quæſitas dicitur, vt & ſeru⁹ ratione domini. *l. 1. §. itẽ acquirim⁹. D. de adq. vel amitt. poſſ. d. l. iuſto. & l. Labeo. l. ſi emtã. D. eo.* Sed differentia eſt inter res, quas filius poſſidet, vel vſucapit. nam ex cauſa vel nomine peculii, per filiũ pater poſſidet & vſucapit etiã ignorans. ex alia cauſa dũtaxat ſciens *d. l. 1. § itẽ acquirim⁹. & l. 2. §. Celſus D. pro emt.* De reb. à patre donatis an eas filiusf. vſucapere poſſit, queritur? Et viuo patre manifeſtũ eſt, nõ poſſe. cũ donatio inter patrẽ & filiũ nõ conſiſtat. ideoq; filius rẽ ſibi à patre traditã nõ ciuiliter, ſed naturaliter tantũ poſſideat, & ꝓ poſſeſſore. Defuncto etiã patre, iure veteri q̃ donatio morte patris nõ cõfirmatur, pariter nõ vſucapiet. *l. 1. §. ſi pater. D. ꝓ dote, l. 2. § filiũ. D. pro her.* Hodie cõfirmatur ea *l. ante p. C. de don. int. vir. & vx.* de quo alibi dixi Poſtremo de peculio aduẽtitio cognoſcendũ eſt. De quo Accurſ. in *l poſſeſſio. 9. de ad. vel am. poſ.*

cenſet,ſuo iure ſuaq; ex pſona filiũſ. poſſidere, id eſt,vt ille ait ciuiliter, cũ eius peculii ꝓprietas ad eũ ptineat ex cõſtitutionib. *tot. tit. C. de bo.mat.& tit.de bo.qua li.* Sed poſſeſſionẽ naturalẽ vult Adcurſ.patri per filiũſ.acquiri ratione ſcilicet vſusfructus,qui ad patrẽ ex dictis cõſtitut.pertineat. Vſufructuarium autem naturaliter poſſidere. *l.naturaliter.D.de acq.vel am.poſ.* Si igitur ciuiliter filius poſſidet ex cauſa peculii aduentitii, etiam ſequitur eum vſucapere poſſe,cum ciuilis poſſeſſio ea ſit, quæ ad vſucapionem vt requiritur, ſic etiam ſufficit. *l. 1. §.per ſeruum,qui in fuga. D. de adq.poſ.l.1.C.de transform.vſucap.* quare fructuarius vſucapere non poteſt,qui naturaliter poſſidet, vt dixi; & præterea rei alienæ ſententiam habet *.l. adquirũtur.§.ſi.D.de acq.poſ* Quid igitur an pater res filii aduentitias ſi poſſideat,non vſucapiet? Et ego non dubito vſucapere eum,quia poſſeſſio eius potentior ſit, quam vulgaris fructuarii; cũ enim legitimus patris vſusfructus pleniſſimam & dominio proximam poteſtatem patri in rebus aduentitiis tribuat.*l 1. C.de bon.mat.l. cum oportet.§.non autem hypothecas. C. de bon. qua lib.l.ſi quis prioris §.ſi.C.de ſec.nup.*quis dubitet,eum quoque dominii iure quodammodo eas poſsidere, ideoque & vſucapere poſſe ſaltem ad vtilitatem filii? & multo id magis, quam creditorem cõſtitutum eſt, poſſidere & vſucapere ad vtilitatem debitoris, & ita debitorem ipſum ad vſucapionem poſſidere; cũ ad alia creditor & ſibi poſſideat *l. non ſolum.§. qui pignori.D.de vſucap.l.ſerui nomine.eod.* Illa difficilior quæſtio eſt, an filiusfam. res aduentitii

peculii vſucapere pro herede poſſit? Hæc quæſtio ex eo pendet, vtrum pater filio ad hereditatem conſentiat, an non? Nam ſi conſentiat, compellatque adire, vtrique ſuum ius manet, filio proprietas, patri vſusfr. ſin recuſet filio conſentire; nihil patri acquiritur, ſed ſolida & plena proprietas erit filii. *l. vlt. §. ſin autem recuſante. C de bon. quæ lib.* Et his caſibus dubitari non debet, quin filius pro herede recte poſsideat, & vſucapiat. Contrarium puto, ſi patre ignorante pro herede poſſidere cœperit; neq; enim iuſta hæc poſſeſſio eſt, cum leges iuſſum patris exigant, vt filiusfa. hereditatem ſibi delatam recte adeat. *l. qui in aliena. D. de adq. hered.* neque id ſolum iure veteri verum eſt, quo aduentitia filiorum bona nihil à profectitiis differebant, ſed etiam iure nouo Conſtitutionum, quibus vno ſolo caſu filius ſine patris authoritate & iuſſu adire hereditatem poteſt, ſi is diſſentiat, & recuſet, vt iam dictum. Neque hîc locum eſſe regulæ illi iuris, quod quis poteſt inuito altero facere, idem poſſit eo abſente & ignorante, ſupra, vbi de hereditate egimus, ſatis demonſtrauimus. Alia quæſtio eſt, an filius idemque ſuus hæres pro herede vſucapere poſſit? quod male Doctores negant, decepti prauo ſenſu *l. 2. C. de vſuc. pro herede.* vt alibi di-

CAPVT XXX.

An contra filiumfam. currat præſcriptio.

Filiofamilias conceſſam eſſe legibus vindicationem rerum aduentitiarum à patre cōtra interdictum iuris alienatarum, nec præſcri-

ptione eum longi temporis remoueri,ſup.cap. XIX. docuimus. Sed de præſcriptione ampli' exponendum hoc loco videtur. De iis aduentitiis bonis mihi ſermo eſt,in quibus patri vſusfructus quæritur. nam in caſtrenſibus,& quaſi caſtrenſibus idem iudicium de filio, quod de patrefamilias eſt: vt quemadmodum patrifamilias nocet vſucapio atque præſcriptio longi temporis, ſic & filiofamilias noceat, cum adferri nihil in contrariũ poſſit. Sed an idẽ dicemus de iis bonis aduentitiis,in quib.pariter patri nihil adquiritur? Plane ſi vera ſit eorum ſententia, qui docent, etiam in his rebus filium iudicio experiri ſine conſenſu, & authoritate patris poſſe. Bartol.in *l filiofam. D. de procurat. Pinell. in Auth. niſi tricennii. num. 33. C. de bon. quæ lib.* idque ea ratione, quod nullum ius in his rebus competit patri. Imo amplius dicunt, quamuis verum eſſet, filiumfa. in his aduentitiis ſine patris conſenſu in iudicio non poſſe conſiſtere,vt eſt ſententia Adcurſii,quam dicit Baldus communiter adprobari.*l. non ſolum. §. neceſſitati. C. de bon. quæ lib.* tamen præſcriptioni aduerſus filium locum eſſe contendunt,ea ratione,quod filius patrem officio iudicis cogere poſſit ad conſentiendũ. *d.§.neceſſitate. & l. ait Prætor. §. 2. D. quib. ex cauſ. maior.* Nec obſtat *l. 1. §. fin. C. de ann. except.* nam quæ ibi Iuſtin ſancit de aliis bonis aduentitiis,quæ patri non adquiruntur, intelligenda ſunt de bonis aduentitiis, præter materna, in quibus tamen, vt in maternis, vſus-

uſusfructus patri acquiratur. id enim apertiſſime verba *d.* § ſignificant; & ratio illic adiecta, quia nihil imputari filiisfam. poſſit, ſi de iis rebus iudicio non egerint, cum lex eis obſtiterit, ea ſcilicet, quæ patre viuo, in cuius poteſtate conſtituti ſunt, actiones eós mouere de rebus aduentitii peculii prohibet. At in iis rebus aduentitiis, in quibus patri nec vſusfructus, nec adminiſtratio competit, idem dici nõ poteſt. Concludendum eſt igitur, præſcriptionem nullam filiofam. obſtare in iis rebus aduentitiis ſolum, in quibus patri vſusfr. quęſitus eſt, quod & fauore liberorum factum eſt, & ad excludendas fraudes parentum, quæ in tanta eorum poteſtate maiores metui debent, quam in aliis res alienas adminiſtrantibus. *d. l.* 1. §. *fin.* Sed excepta eſt præſcriptio longiſſimi temporis, id eſt, triginta annorum, quam Imp. Iuſtinianus filiis currere iubet, ex eo primũ tempore quo patria poteſtate liberati ſunt, dummodo non ſint in ætate pupillari, id eſt, impuberes. hac enim durante; illa ætate non currit. *Nou. de nupt.* 22. §. *ſed hoc ſancitum.* quæ licet nominatim loquatur in lucris nuptialibus, quorum proprietatem filiisfamil. lex addicit, ſi parentes, qui ea lucrati ſunt, ad ſecundas nuptias tranſiuerint: tamen idem de omnibus bonis maternis, aliisque aduentitiis intelligendum eſſe, plerique omnes Interpretes recte exiſtimauerunt; non tã adeo, quod hæc ſumma in *d. Nou.* 22. generaliter confecta ab Irnerio & ſub-

iecta *d.l.1.C.de bon.mat.iuncta d.l.1.§ fin.C. de ann.exc.* quam quod ratio in his omnibus eadē videtur eſſe, quæ in illis lucris. maior etiā; quia plus tribuendum patri ſit in iis rebus, quæ ab ipſo ad filium peruenerunt, quorumq; dominium patri in pœnam ſecundarum nuptiarū adimitur, quam in iis, quæ aliunde filius adquiſiuit, vel aliena liberalitate, vel induſtria ſua, aut proſpera fortuna. Si igitur in alienatione eorū bonorū, quæ patri ab vxore legata ſunt & propterea plus quiddam iuris pater in iis alienandis habere videtur, tantopere filiis conſtitutio Iuſtiniani fauet, vt liberatis etiam patria poteſtate longius, quam ceteris ſpatiū ea vindicandi cōcedatur, nec ordinaria vlla prȩſcriptione, ſed tricennali tantum excludantur; quāto magis id concedendum filiis eſt in iis bonis, quæ nec ex facto, nec ex pœna patris ſunt cōſecuti, ſed aliunde, vt diximus adquiſiuerunt? Certe vnicuique, ne dū patri, acerbius eſt, factū ſuum infringi ab eo, qui per ipſum aliquid cepit, quā qui aliunde cepit, & vice verſa iniquius agatur cum filio, ſi minus temporis ei concedatur ad vindicandas eas res quas pater nullo iure alienauit, vtpote aliunde filio adquiſitas, quā eas, quæ cū patri eſſent antea iuſto titulo legati vel alio adquiſitę, ob ſecundarum nuptiarum contractum reſeruari filio leges iuſſerunt. E cōtrario quoq; errant doctiſſimi alii Interpretes, qui ita fauorem filiorum amplificant, vt dicant in *l.1.C.de ann.exc.* hoc tantum conſtitui, ne filiis vlla currat præſcriptio: at non itidem illud, vt filii agere viuo patre, ſub cuius poteſtate ſunt,

non

non poſſint, quod eſt aperte contra verba *d.l.* 1.& contra dictam *Nou. de nupt.* quibus mirabiliter reſpondere conantur. Hoc igitur cõſtituto duæ quæſtiones de hac tricennali præſcriptione excutiẽdæ ſunt. Vna eſt, an ſimpliciter remoueatur præſcriptio longi temporis, ſolaq; tricẽnalis admittatur? Altera an filio detur aduerſus eam reſtitutio ex capite & cauſſa ignorantiæ? Prior multiplex eſt. Primũ enim quæritur, an huic Iuſtinianeæ conſtitutioni locus ſit in emptore bonæ fidei, vel alio, in quem paterrem alienauit; qui rẽ filii eſſe ignorauit. Videtur.n. tali emtori ordinaria præſcriptio prodeſſe debere decẽ vel viginti annorum, iuxta regulas notiſſimas. Sed tamen contrarium verum eſt, ſola præſcriptione tricennali eum tutum eſſe. ita enim diſertè Imp. Iuſtiniani & aliorum conſtitutiones iubent, nec quicquam diſtinguunt. *d.l.* 1. *& d. Nou. de nupt. & l.* 1. *C. de bon. mat.* Et ratio id facit: quia id totum in fauorem filiorum apertè conſtitutum eſt, & ad nimiam patris in aduentitiis bonis poteſtatem coercendam. tum eſt etiam quod emptori imputetur, qui cum filios eſſe venditori ſuo ſciret, aut inquirere deberet, aut fideiuſſorem exigere poſſet, negligentius in ea re tota verſatus fuerit. *l. qui cũ alio. D. de R. I.* quę rationes etiã ſatis apertè ab Imp. Conſtantino ſignificantur in *d. l.* 1. *C. de bo. mater.* Ideoq; nec bona fides eum cum iuſtiſſimo etiã errore facti iuuat. Nec obſtant verba *d. Nou. de nupt.* §. *ſed quod ſancimus.* vbi non tam parentibus alienatio interdicitur, quam accipientibus eas res ea pœna imminere

dicitur, nihil eis profuturum, quod acceperint, qui ſciant ex lege, ſi tale quid geſſerint, perinde habendum, ac ſi nihil actum eſſet. Nam reſpõdendum eſt, ſcire illos dici, vel ex præſumtione quadam, vel quia certè ſcire debent. Idem enim eſt aliquid ſcire, & ſcire debere, præſertim cum de iuris & legum ignorantia loquimur, quæ nemini prodeſſe ſolet, ſed nocere. *l. leges ſacratiſſimas. C. de legib. l. regula. & paſſim. D. de iur. & fact. ignor.* Facti vero ignorantia, de qua nunc loquimur, excuſat illa quidem regulariter. *l. genero. D. de his qui not. infam.* Sed in hoc propoſito noſtro, conſtitutiones etiam ignorantiam emt ris, qui forte res eſſe aduentitias neſciuit, quaſi nimis ſupinam æque puniunt, vt iam dictum. Poſtremo *d. Nou 22.* non ita loquitur, vt vulgo allegatur, & ſupra poſui, *Qui ſciant*, &c. Sed hoc modo. καὶ ἴστωσάν γε καὶ ὅτι τοῦδε ἡμετέρου τοῦ νόμου, &c. Id eſt, *Et ſciant*, &c. Deinde quæritur, an ſi filius ſciat res ſuas aduentitias à patre vendi, eius ſcientia ei noceat, vt præſcriptioni ordinariæ locus ſit, qua ſe emtor tueatur? Et recte Fulgoſius non nocere ait, ſolaque tricennali præſcriptione eum repelli: quia lex voluit, omnino filiis ſuccurrere, qui quamuis ſciant alienari res ſuas à patre, tamen non poſſunt vel non audent patris factum impugnare. Quare nec *Auth. malæ fidei. C. de long. temp. præſcr.* obſtat quæ malam fidem authoris ſtatuit nocere emtori bonæ fidei, quo ad præſcriptionem ordinariam, non autem tricennalem iſtam, ſiue

d. Auth.

d. *Auth.* intelligas, vt vulgus; generaliter & indiſtincte; ſiue vt Pinellus & alii verius interpretantur, & ipſa verba *Auth.* demonſtrant; eo caſu locum habere, quando rei dominus ignorat alienationem. excipi enim hæc cauſſa aduentitiorum iure debet, ob ſupra ſcriptas rationes; & quia in ſolo iure ſemper generi per ſpeciem derogetur. Tertio quæritur, quid ſi bona fide pater eas res alienet? Sed hoc vix adcidere poteſt, vt non habeat malam fidem pater; qui res modo nouerit aduentitias filii eſſe. nec error iuris, ſi forte putet licere ſibi alienare, eum excuſat, aut emtorem releuat. Sed quantumuis errore iuris vel facti aliquo, puta quod aduentitias eſſe non putauerit, ductus ſit ad alienandum; vſucapio tamen emtori minime procedet, vel ordinaria præſcriptio, idque propter generalia conſtitutionum verba; & rationem fauoris filiorũ, quæ perpetuo hîc militat; quamuis aliæ fortè ceſſarent; vt recte idem Pinellus docet, argumento *l. ſi non lex. 83. D. de hered. inſt. cum ſimil.* Quarto quæritur, an poſtquam filius liberatus fuerit patria poteſtate, ordinaria præſcriptio ei currat nec expectanda ſit tricennalis? Miror hoc quęri ab Interpretibus noſtris, & plerumq; contra verba Iuſtiniani conſtitutionum decidi, eaq; ratione, quod inde æquũ ſit incipere aduerſus aliquẽ præſcriptionis tempora, ex quo primũ cepit poſſe agere, & pręſcriptioni occurrere. Nec obſtat *l. 4. in fin. C. de bo. quæ lib.* Fateor enim illam loqui dę præſcriptione ordinaria, atq; hoc

ſancire, vt ea currere incipiat liberis ſimul ac poteſtate parentũ liberati fuerint. Sed hoc ita Leo & Anthemius conſtituerunt, quo minus à veteri iure recederẽt. At Iuſtin. aperte ſibi ampliandum fauorem liberorum exiſtimauit, vt etiam puberib. factis & nexu illo poteſtatis abſolutis non alia cedere inciperet, quam triginta annorũ præſcriptio, idq; cum in *d.l.1.de ann. exc.* cauit: tũ multo diſertius ac expreſſius in *d. Nou.22.de nupt.§.ſed quod ſancitum.* Ἀρχομένου τοῖς παισὶν τοῦ χρόνου τρέχειν, ἐξ οὗπερ αὐτεξούσιοι φανεῖεν ὄντες, ἢ γινόμενοι. πλὴν εἰ μή τις ἄνηβος ἡλικία προσβοηθήσειεν ἔστι. τοῦ χρόνου autẽ, id eſt, tempus paulo ante nominauerat, nimirum triginta annorum. Qua in re imitatus videtur Impp. Honorii & Theodoſii conſtitutionẽ, ad impuberes quod attinet. nam cum triginta annorum pręſcriptione omnes actiones, quæ minori tempore nõ tollerentur, ſubmouere illi ſancirent, exceperunt nominatim ætatem pupillarẽ, in qua ceſſaret etiam iſta præſcriptio; quamuis ſub tutoris defenſione conſiſtat. Sed cũ ad eos annos, inquiunt, peruenerint, qui ad ſolicitudinẽ pertinent curatoris, neceſſario eis, ſimiliter vt aliis, annorum triginta interulla ſeruanda ſunt. Quem ad locũ erudite ſic notat Adcurſius, hãc præſcriptionem aduerſus pupillũ non currere, vt *l.bonæ fidei.D.de adq.rer.dom.* itẽ nec contra filiumfa. *l.1.in fin.C.de ann.exc.* Et ratio eſt, inquit, quia cũ effectu non habet actionẽ patre viuente, in cuius eſt poteſtate. Idemq; ſubiicit de Eccleſia, de creditore agente hypothecaria contra debitorẽ, vel ſuum heredem vniuerſalem,

lem, vel alium creditorem. & vbicunq; locum habet quadraginta annorũ præſcriptio vel maior:itẽ de muliere pro dote matrimonio durãte, vel antequã maritus ad inopiã vergat. denique de conditionali debitore, pendente cõditione.in prædictis.n.caſibus, inquit, actor agere non poteſt, & ideo ei non currit. De poſteriori queſtione videamus, an reſtitutio in integrũ aduerſus præſcriptionẽ iſtam triginta annorum iam completam filio concedenda ſit ex cauſſa ignorantiæ iuſtæ? De filio maiori XXV. annis natu, & patria poteſtate liberato loquor; nec de reſtitutione ex cauſſa ætatis; ſed ex cauſſa, vt dixi, iuſtæ ignorantiæ. ea tamen quæſtio generaliter in omnib. tractatur, vbi pręſcriptio triginta annorum cõpleta eſt aduerſus quemcunq;, cui eam obſtare conſtitutum eſt. In quo eſt illa cõmunis opinio per manus tradita, authore Bart. in *l.1.* §. *ſi quis propter. D. de itin. act. priu.* vt reſtitutio concedatur. Sed inaniſſima ſunt argumenta, quib. eam firmare conantur, præſertim contra validiſſimas iuſtiſſimasq; rationes; & apertiſſimos iuris locos. quib. contrariũ euincitur, vt reſtitutioni nõ ſit ex hac cauſſa locus aduerſus præſcriptionem iure cõpletã; apertèq; eam currere tam aduerſus ignorantes, quã aduerſus ſcientes demonſtratur. Quæ tota quæſtio cum ab eodem Ario Pinello ad *d. Auth. Niſi tricennio. circa fin.* ſumma diligentia, conditione & perſpicuitate in hanc ſentẽtiam contra Bart. expoſita fuerit, eo recurrere iuris ſtudioſos velim. Illud argumentum pro ſentẽtia Bart. prætermiſſum eſt, ꝙ ducitur ex *l. ſicut.*

C. de præſ. 30. vel 40. ann. vbi ſcriptum eſt, contra eam præſcriptionem non defendere militiam & abſentiam. Et tamen milites & abſentes in integrum reſtituuntur, vt ibi Adcurſ. notat. *l. 1. D. quib. ex cauſſ. maior. cum ſim.* Sed primum *d l.* loquitur de præſcriptione longiſſimi temporis: aliæ leges de vſucapione. Deinde aliud eſt, reſtitui ex cauſſa militiæ, vel abſentiæ, quod nemo negat; aliud ex capite ignorãtiæ, quod nuſpiam in iure ſancitum eſt; nec generalis illa clauſula Edicti, *Si qua iuſta mihi cauſſa videbitur.* huc trahi debet vel alio, niſi ad cauſſas alias ſpeciesque abſentiæ iuſtiq; impedimenti, de quibus Edictum loquitur; cum ignorãtiæ nulla fiat in edicto vel alio loco mẽtio. Maxime vero in præſcriptione iſta longiſſimi temporis, vt aliquis ex capite ignorantiæ reſtituatur, nulla lege, vel ratione probari poteſt. Sed potius contrarium in legibus extat. quod in propoſito noſtro qui de alienatione aduẽtitiorum bonorum à patre facta agimus, eo etiã incunctantius dicendum eſt, quod cũ tã multa in fauorem filiorum hac in re ſancita cõtra rationes iuris, ſupra docuerimus, quæ iniquitatẽ propemodum quandam continere videbãtur, contra publicam inprimis vtilitatem, quã vſucapio introducta eſt, vt ſit aliquis litium & ſolicitudinis finis; non debemus in immenſum & contra legum verba talem fauorem noſtra interpretatione producere. Accedit quod ſentẽtiam iſtam, quam dixi à Pinello probatam atq; munitam etiam grauiſſimus Senatus Sabaudię cõprobauit teſte Theſauro Deciſ. CXXXIV.

vt

vt de aliis Tribunalibus taceam, optimi autem legum interpretes conſuetudo & res iudicatæ. meliores certe, quam communes opiniones, quas vocant, nullis ſæpe legibus aut rationibus ſubnixæ.

CAPVT XXXI.

Ad L. III. & L. penult. C. Qui bon. ced. poſſ.

DVplex eſt de filio quæſtio. Prima, an patris ceſſio noceat filio, de qua in hac *l.* 3. Secunda, an filius f. ipſe bonis cedere poſſit, de qua in *l.* 7. *pen. hoc tit.* De priori ita imperatores reſcripsêre; *Si pater tuus bonis ceſſit propter onera ciuilia, ipſius facultates oportet inquiri, non patrimonium, quod tibi emancipato quæſitũ dicis, inquietari: quod vt fiat implorare æquitatem præſidis debes. hac l. 3.* In qua primũ notandũ eſt, loqui eam de filio emancipato, & de bonis iam emãcipato quæſitis, quæ patrimoniũ eius appellat; quia per emancipationẽ paterf. factus eſt, & bonorũ adquirendorũ beneficium à parente habuit, vt ait *l. 1. in princ. D. ſi quis à par. man. fuer.* Eſt igitur res extra controuerſiam, cũ graue ſit non ſolum legib. ſed etiam æquitati naturali cõtrarium, pro alienis debitis alios moleſtari *l. 1. vt null. ex vican. C l.* 11. Eſt aũt filius p emãcipationẽ ſeparatus à patre, cuius dũ in poteſtate eſſet, veluti pars erat, vt Ariſtot. elegãter ſcribit l. VI. Ethic. Dubitatio aliqua eſſe potuit ſi bona ante emãcipationẽ ei q̃ſita fuiſſent, de quib. mox. In

propoſito autem ratio dubitãdi illa erat, quo Pater hic dicitur bonis ceſſiſſe propter onera uilia; veluti quia Rempub. adminiſtrauit, v aliquod mun' ciuile ſuſtinuit, vnde reliquatu eſt. videtur enim reipub. vtilitas poſtulare, qu priuatorum contractibus præferri debet. *l.* *de primipil. C. lib.* 12. vt filius iſte pro patre te neretur; ſicut vice verſa pater tenetur pro filio fam. inſolidum, ſi filius factus ſit decurio, vel a liud ciuile munus ſuſcepit, patre non contradi cente. *l.* 1. *de filiiſfam. & quemad. pat. pro ipſ. ten* *C. l.* 10. tenetur n. ne fideiuſſor, vt infra dicetur *l.* 1. *de decur. C. lib.* 10. Sed contrariũ verius eſt non teneri filium, præſertim emancipatũ pro patre ſuo, nec eius bona inquietari poſſe, hac *l.* 3. & *l. vlt. de primipil. C. lib.* 12. *l. nec contra. C ne fil. pro patre.* Duobus tamen caſibus emanci patio nihil filio prodeſt. Vnus eſt, ſi ea in frau dem creditorum facta ſit, reſcinditur, eoq; re redit, quaſi filiusfam. ſemper manſiſſet, vt recte Bald. & Salic. ad hãc *d. l. ſi pater.* docẽt. Alter eſt ſi ante emancipationẽ vel in ipſa emancipatio ne (vt fieri ſolet) pater ei donauerit aliquas res in fraudem itidem creditorum. nam & hæc re uocabuntur ex edicto fraudatorio *tot. titul. D. quæ in fraud. cred.* Idque verum eſt; licet non tanquam filio donatio facta fuerit, ſed tanqu extraneo, hoc eſt, propter bene merita filii er ga patrem. talem enim donationem valere in ter patrem, & filiumfam. receptum eſt. Iaſon & alii in *l. frater à fratre. D. de cond. indeb.* cum regulariter donatio non valeat filio in poteſta te conſtituto facta. *l. ſi donatione. C. de collat.*

l.§.1.*D.pro donat.*In fraudẽ, inquam, credito-rum. Secus enim eſt, ſi donauerit ei pater, an-tequam debita contraheret, & ſuſpicio nulla fraudis eſſet. Nunc de filiofam. videamus, qui neque pro patre ſuo tenetur. *Patris nomine ſu-perſtitis filium*, inquiunt, *Imperatores, nec mune-rum ciuilium, nec debiti cauſſa perſonali poſſe a-ctione conueniri conſtat. l. patris. C. ne fil. pro patre.* Ratio autem in filiofam. dubitandi maior erat, quam in emancipato, tum ob peculium, quod à patre poſſidet; tum ob poteſtatem patriam. denique, quia pater pro filiofam. teneri ſolet, non ſolum actionibus prætoriis, veluti quod iuſſu, de in rem verſo, de peculio; ſed etiam ali-is, ſi filiusfam. decurio factus ſit, vel aliud pu-blicum vel ciuile munus ſuſcepit patre, vel cõ-ſentiente, vel non contradicente, obligatur e-nim pater in ſolidum. *l.* 1. *de filiisfam. C. lib.* 10. prius tamẽ cõueniendus & excutiẽdus eſt fili⁹, quia pater tanq̃ fideiuſſor filii eſſe intelligitur. *l. libertus. §. ſolut. D. ad munic l.* 1. *C. de decu. l.* 10. *Nou.* 4. Idẽq; & in heredibus patris conſtitu-tũ eſt; teneri eos ſi filius viuo patre munus a-liquod ciuile ſuſcepit. *l. Lucius. §. hoc reſponſũ. D. ad municip. l* 3. *§. fin. l. etſi filium. D. de mun. & honor.* quamuis id munus poſt mortem de-mũ patris gerere ceperit. *l. filia. § Neratius. D. fam. erciſc.* Sed his non obſtantibus, contrariũ, vt dixi conſtitutum eſt; filium famil. pro patre conueniri non poſſe, nõ ſolũ ciuiliũ munerum ratione, ſed neque vllius omnino debiti cauſ-ſa. *d. l. patris.* In qua lege diligenter notanda ſunt illa duo; *Superſtitis*, Item, *perſonali actione.*

Tacite enim his verbis duæ exceptiones ſignificantur. Prima hæc eſt, quod filiusfa. mortuo patre ſuo tenetur pro eo, ſi heres patris fuit. Sed vt quilibet, non vt filius. ſi aũt heres non fuerit, ex nulla cauſſa tenetur, niſi ex vna id eſt, primipili, quod eſt officium annonæ militaris, centurionibus plerumque demandari ſolitum. Qua etiam ex cauſſa vxoris dos pro marito occupari, vel retineri à fiſco poteſt. *l. vlt. C. de primipil. l. ſatis. C quib. in cau. pig. tac. contra.* Altera hæc eſt, quod actione in perſonam non tenetur filius pro patre; at tenetur tamen actione in rem ſi poſſideat id, de quo pater tenebatur. Sed & hoc caſu tenetur filius non vt filius, ſed vt quilibet poſſeſſor. *d. l. vlt. & l. 2. C. ſi vn. ex plur. cred.* Illud notandum hic eſt, quod filiusfamil. poteſt à patre exheredari ob eam cauſſam, quod patrem in carcere conſtitutum neglexerit, & vel pro eius perſona vel debito fideiubere noluerit. *Nou. vt cum de appellat. §. aliud quoque capitulum.* His ita explicatis; videndum eſt, an patris bonorum ceſſio noceat filiofam. ſaltem quod ad peculium, vt ei ſcilicet hoc eripiatur, ſicut omnia bona patri eripiuntur. nam peculium profectitiũ inter bona patris numeratur. Et dicendũ omnino eſt, totum hoc peculium creditorib. patris addici, cum ſit totum patris. *l. certum. C. fam. erciſc.* Caſtrenſe autem, vel quaſi caſtrenſe peculium, quia contra totum eſt filii, & in eo filiusf. habetur pro patrefa. *l. 2. in fi. D. ad SC. Maced.* dubiũ non eſt, quin filio nullo modo eripi poſſit à creditoribus patris. De aduẽtitio dubitatur,

tatur, quod dominio eſt filii, vſufructu vero patris. *l* 1. *& paſſ. C. de bon. mat. & C. de bon. quæ lib.* Et quod ad dominium vel proptietatem attinet, expeditum eſt, id creditoribus non poſſe adiudicari, quia eſt plane filii. de ſolo igitur vſufructu quæſtio ſupereſt, an is penes patrem, qui bonis ceſſit, remaneat; an cum proprietate filii conſolidetur, an vero creditoribus patris adiudicetur, vt eum ſcilicet habeant donec pater debitor vixerit. Et veri⁹ omnino eſt, creditoribus adiudicãdum eſſe; quia negari nõ poteſt, hunc vſumfructum eſſe in bonis patris, omnia autẽ eius bona creditorib. adiudicari, atq; ita Iohan. Igneus & Aymo Crauetta reſpõderunt; noſtrumq; hîc Collegium. Quid autem iuris ſit in delictis, an ſcilicet ob delictũ patris, ex quo bona eius cõfiſcata sũt etiã filiof. peculium eripiatur; dixi accurate *lib.* 1. *de coniurat.* Poſtremo ſciendum eſt cũ bona filiifa. ſint eo iure, quo dixi; an corpora ipſa filiorum ob delictum patris, vel ceſſionem ab eo factam creditoribus ſint obnoxia, vel non? qua de re extat aperta Iuſtin. cõſtitutio *Nou.* 134. q̃ vetat filios creditorib. paternis addici, aut ab illis vexari; q̃ neceſſaria conſtitutio fuit, quia olim nõ ſolum patres ipſi, ſed etiã filii ꝑ eorũ debitis addicebãtur, teſte Dion. Halicarnaſſęo; quod etiã ſua ætate ſolitũ vſurpari Baſilius in Pſal. 14. & Ambroſius in Thobia ſiue libello de fœnerator. & in li. de Nabute teſtãtur. Idemq; Hieronymus in vitis Sanctorũ Patrũ, quin & cõſtitutionib⁹ Imperatorum reuocata fuit vetus lex 12. tab. vt liceat parentibus filios ſuos vẽdere; ſed vno tamẽ hodie caſu ꝓpter ſummã ſcilicet egeſta-

tem,& famem *l. 2. C. de patr. qui fil. diſtr.* cuius etiam rei exempla profert Ambroſius in dicto lib. de Thobia. Altera quæſtio eſt, an filiusfa. ipſe cedere bonis poſſit? Ratio dubitandi, quod non poſſit, ea eſt, quia filiifam. nulla bona habeant, quibus cedant. Contrarium tamen à Iuſtiniano conſtitutum eſt in *h. L. pen.* poſſe ſcilicet & filiosfam. bonis cedere, idq; iis rationib. quod & bona quædam habere poſſint, quę parentibus non adquiruntur, & quod in futurũ ipſi etiam bona adquirere poſſunt; itẽ illa, ꝙ cũ filiifa. ob ſua debita in carcerẽ detrudi poſſint vt patresf. etiã ipſis non eſt hoc beneficiũ legis Iuliæ denegãdum. Cæterum, ſi filiusf. peculiũ aliquod habeat; videamus quid iuris ſit? & quod ad peculium caſtrẽſe vel quaſi caſtrenſe attinet, certum eſt executionem in id fieri poſſe, cum ſit patrimonium filiifam. *l. 2. D. ad SC. Maced. cum ſim.* profectitiũ autem eſt in ſolidum patris: deque eo DD. noſtri diſſentiunt. nam Adcurſius, Baldus, Salicetus in *hac l. pen.* docent, executionem ſententiæ contra filiumfam. latæ in hoc peculium fieri non poſſe, nec oportere id creditoribus dari, cum etiam ob debitum patris confiſcatis bonis, hoc tamen peculium à patris bonis ſeparetur, filioque conſeruetur *l. ait prætor. §. ſecundũ. D. de minor.* In propoſito autem noſtro non filio, qui damnatus eſt, bonisque ceſſit, ſed patri cuius peculium eſt, conſeruandum videtur. excipiunt vnum caſum, quo executionem in id fieri poſſe dicunt, ſi videlicet patris & filii commune debitum eſt, quale in dote reſtituenda

eſt

eſt vxori filii, vel patri eius. *l. 2. §. quod ſi patris. & l ſi filiofam. D ſolut. matrim.* Sed Bart. contrà putat, profectitium hoc peculium filio bonis cedente creditoribus vindicari, & executionẽ in ipſum fieri; idque optima ratione, quia pater ex contractibus filii ſemper tenetur actione de peculio, quatenus in peculio eſt. *Inſt quod cum eo qui in alien. pot. & toto tit. de pecul.* Ceſſio autem iſta etiam ipſa pendet quaſi ex contractu, id eſt, ex iudicio: nam iudicati & confeſſi bonis cedunt. *l. pen. & vlt. D. hoc tit.* & notatur in *c. Odoardus. extra. de ſolut.* Iudicio autem quaſi contrahi manifeſtum eſt, *l. 3. §. idem ſcribit. D. de pecul.* Quæ ſententia vera eſt, adhibito tamen temperamento, quod ipſe Bartolus adhibet in *d. l. pẽ. & l. finita. § ſi de vectigalib. D. de dãn. inf.* vt nõ habeat locũ, ſi filiusfa. dãnatus ſit vt contumax, vel ex alio delicto, q̃a in delictis filiusfam. præiudicare patri non poteſt, & pœna ſuos tenet authores. Deinde in delictis non eſt locus ceſſioni bonorum, ſed potius illi regulæ; Qui non habet in ære luat in corpore. *l. 1. in fin. D. de pœn. l. ſi quis id q̃. D. de iuriſdict.* ne delicta maneant impunita. *l. ita vulneratus. §. neque & ibi gloſ. D. ad L. Aquil.* quamuis interdum ob nimiam paupertatem multa remitti aut minui ſoleat, nec reus eam luere corpore cogatur, *l. illicitas. § pen. de off. proc.* Nunc de aduentitio peculio cognoſcamus. in quo recte idem Baldus, Salicetus, & Caſtrenſis ad *h. l. pen.* docent, filio condemnato, vel bonis cedente, in hoc peculium fieri executionẽ poſſe, idque multo magis, quam in peculium profe-

ctitium. ratio eſt, quia aduentitium peculium eſt in dominio filii,in patris autē duntaxat vſufructu. *inſt.per quas perſon.nob.adquir.* Nec obſtat, quod filiof. patre viuo interdicta eſt rerū aduentitiarum alienatio ;nam id intelligēdum eſt de alienatione volūtaria,non autem de neceſſaria, vel ob æs alienum *l.vlt.§.filiis aūt.C.de bon.quæ li.* Sicut fundi dotalis alienatio lege Iulia interdicta eſt:ſed volūtaria, non neceſſaria. *l 1.in princ.D.de fund.dotal.* & alia ſimilia.*l.alienationes.D.fam. ercíſc.* Sed an vſumfructum tamen pater retinebit dum viuit damnato filio vel cedēte bonis?quod certe humanius eſt dicere; præſertim ſi filius decoxerit dolo malo, id eſt,luxurioſe nequiterque rem prodegerit, aut ęs alienum contra SC.cōnflauerit.arg *d.§.filiis.& l.ſi filius.C.de bon.proſcript.* Indignum enim eſt,vt pater ob malā, id eſt, improbam vitam filii ſui cogatur male viuere id eſt, miſere. Nā(vt Ouidius alicubi ait)*genus eſt mortis, male viuere*,id eſt,miſere vitam ſuſtētare. Imo decoctotibus,vt & aliis delinquentibus,non datur beneficium ceſſionis. Ergo nec tali filiofa. Imo nec beneficium tituli *D. Quod cum eo,&c.* ei datur,nè videlicet in plus cōueniatur, quam quantum facere poteſt.qua de re Pariſius Cardinalis *conſil.* 49. multa & præclara tradit.

FINIS.



SCIPIONIS GENTILIS IC.
Liber,
DE SECVNDIS NVPTIIS.
CAPVT PRIMVM.

MVLTA extat in libris veterũ Patrum, quos Eccleſia Chriſtianã veneratur, cum virginitatis, tum verò maximè poſt primas nuptias continentię & caſtitatis commendatio; à quibus vt veriſimile eſt, imbuti Chriſtiani Principes ita conſtitutiones ſuas temperauerunt, vt videantur quibusdam minus æqui ſecundis nuptiis fuiſſe, quas tam multis pœnis, cum prohibere eas palã non auderent, tamen alligauiſſent. Alia longè Romanorum illorũ veterum ratio fuit, dũ Reipublicæ conſultum eunt, magna præmia matrimoniis proponentiũ, & contrà cœlibibus & orbis & viduis graues pœnas. Notiſſimæ enim ſunt, vt alia taceã, leges Iuliæ & Papiæ, quæ diu in Republica viguerunt, donec Imperator Conſtantinus earũ pœnas aboleret. *l.1. C. de infir. pœn. cœlib.* Sed de hoc argumento pluribus expoſui in Commentario, quẽ ad orationem D. Auguſti de

prole augenda ſcripſi, quam ille orationē in Senatu habuit, tanquā ſuam, cum Metelli Cenſoris eſſet, ab eo ante aliquot tempora ad populum habita. Adeò ſummus ille, & ſapientiſſimus Princeps, cùm omnia diligentiſſimè de matrimoniis conſtituiſſet, quo rem ſaluberrimam magis promouerent, non dubitauit alienæ orationis recitator, & velut candidatus eſſe. Illud prætereundum non eſt, maiorem hac in parte rationem eſſe fœminarum habitam, quàm maſculorum: nec enim ſic fœminas vt viros cœlibes puniuerunt, præſertim cum fœminas ſatis ſua ſponte naturaliter ferri intelligerent ad nuptias; tametſi vocabula illa, quibus pœnæ ſignificantur, à muliebri ſexu expreſſa ſint; viduuium enim & vxorium æs appellabant illas mulctas, quas viri ob eas cauſſas pendebant. Accedit eò, quod pudicitia, neſcio quo modo, magis à mulieribus exigitur, maiorique iis ornamento eſt, & contra libido aut impudicitia fœdior. Ac memorabile eſt, quod D. Hieron. in epiſt. 10. ad Furiam de Camillorum gente refert, his verbis: *Habes praterea generis tui grande priuilegium, quod exinde à Camillo vel nulla vel rara veſtra familia ſcribitur ſecundos noſſe concubitus; vt non tam laudanda ſis, ſi vidua perſeueres, quam exſecranda, ſi id Chriſtiana non ſerues, quod per tanta ſacula gentiles fœmina cuſtodierunt.* Idem in epiſt. 11. ad Agerucíam ſcribit ita: Hierophanta apud Athenienſes euiratur, & æterna debilitate fit caſtus: Flamen vnius vxoris; ad ſacerdotium admittitur: Flaminica quoq; vnius

mariti

mariti eligitur vxor. quod & apud Seruium Honoratum aliosque legimus: vnde & vniuiræ dictæ ſunt. Sed vbi liberi nulli extant, in ea vidua leges noſtræ nihil cautum habent, ſi nullum eius delictum prætereà coarguatur. Quæ enim huic maritus, vel inter viuos, vel mortis cauſſa donauit, rata ſunt, & in dominio vxoris ſic collocantur, vt de iis rebus ſtatuere poſſit, vt libuerit; ſublataque iam pridem eſt Lex Voconia. quam tamen in vſum ad aliquem modum iuris feudatarii conditores reuocarunt, dum familiarum dignitati conſeruandæ impenſius ſtudent, & à feudis fœminas arcent. Lex etiam Papia ne vir & vxor ſolidum ex alterius teſtamento caperent prohibuit. Quod caput Theodoſius ſuſtulit. *l. 2. C. de infir. cæl. pæn.*

CAPVT II.

Si vir vel mulier ad ſecundas nuptias non tranſeat liberis extantibus.

MAgna eſt varietas huius iuris, neque ſolum rebus ipſis poſita, ſed etiam in conſtitutionibus Principum, quarum aliæ alias emendant, & abrogant, iterumque emendatæ & abrogatæ ſanciuntur & reuocantur; vt nulla ferè pars iuris noſtri magis θεσμοθέτας illis indigere videatur, quorum hoc munus Athenis fuiſſe dicitur, vt quotannis in publico leges recognoſcerent & corrigerent, accurateque viderent, eſſetne lex aliqua alteri legi aduerſa? Eſſetne aliqua

abrogata inter non abrogatas, & ratas? poſtremò eſſentne plures vnâ ſingulis de rebus perſcriptæ? vt ſcribit Æſchines in oratione contra Cteſiphõtem. Primum ergò diſtinctio à nobis adhibenda eſt inter lucra nuptiarum, & eas res, quas mulier alio titulo à marito conſecuta eſt, vel quas maritus ab vxore. Lucrum nuptiale mulieris, appellatur donatio propter nuptias, & quidquid ex ea donatione lucri percepit, ſicut viri lucrum nuptiale eſt, Dos, & quidquid ex ea vir percepit. De iſto lucro ita ius eſt in Cod. relatum hoc tit. vt eius lucri plena proprietas ad ipſam mulierem pertineat, & quidem in ſolidum, ſic, vt ea pro arbitrio ſuo poſſit alienare quocunque modo, & in quaſcunq; perſonas; nec liberis vllus locus conquerendi eſt relictus, quamuis ex illo marito ſuſceptis, à quo hæc donatio profecta eſt. Cæterum ſi mater talis lucri res non alienauerit, neque inter viuos neque mortis cauſſa, tum ad liberos illos pleno iure pertinent, ſiue heredes matri extiterint, ſiue non. Conſtituta hæc ſunt ab Imperatoribus Leone & Anthemio in *l. hac edictali. §. ſin verò liber. hoc tit.* vbi elegans ratio redditur: Quia ſcilicet mater ad ſecundas nuptias non tranſiens adfectionem ſuam erga liberos ſeruare intelligatur: atque hoc ius confirmauit etiam Imp. Iuſtinianus in *l. ſi quis prioris. §. 1. hoc tit.* Nunc verò quidnam idem Imperator Nouell. ſuis in hoc iure immutauerit, cognoſcendum eſt. Igitur *Nou. 2 c. 2.* hanc alienandi facultatem vxori ſuperſtiti dedit, donec vidua manet; ſed ſi ad ſecundas ea nuptias

ptias

ptias venerit, alienationem iubet irritam eſſe, atque ita in ſuſpenſo eam eſſe. Quod ſi filii præmoriantur omnes, alienatio valet, & mater donationem ante nuptias ſibi propriam plane habet, niſi nepotes ex filiis habeat: tunc enim deducta ſibi parte, quam in caſum mortui viri habere debet, ea donatio ad heredes filiorum tranſmittitur, neque ſolum ad ſuos, ſed extraneos etiam filiorum ſucceſſores, teſtamento ſcriptos. Qua in re Iuſtinianus corrigit Leonis conſtitutionem in *d. l. hac edictali. §. his illud.* At poſtea in *Nou. neque virum.* 98. §. 1. ita ſanxit, vt ſoluto morte matrimonio coniunx ſuperſtes mulier quidem donationem propter nuptias, vir autem dotem conſeruare liberis teneatur, ipſe autem ipſaue tantum vſumfructum in illis habeat. Quod cum ita indiſtinctè ſanxiſſet, ſiue in viduitate permaneret ſiue non; hoc ei viſum fuit poſtea iniquum; ideoque aliam conſtitutionem ædidit, qua præmium caſtitati & continentiæ propoſuit, vt ſcilicet ſecundis abſtinens nuptiis, præter vſumfructum, quem dixi, habeat etiam eius lucri virilem portionem pleno iure, pro numero ſcilicet liberorum: atque ita parens ſuperſtes vnius filii perſonam in hac parte obtineat. *Nou. vt fratrum filii.* 197. §. *quia verò.* vbi, quod de coniuge ſuperſtite, id eſt, de patre vel matre cauerat, idem in extremo cauet & de aliis parentibus id eſt, de aſcendentibus auo, auiâ, & deinceps, qui, quæue ad ſecundas nuptias non tranſiuerint. Ex qua Nou. deſumta eſt *Auth. ſi tamen.* inſerta in *l. generaliter. hoc tit.* Atque ita Iuſti-

nianus hac Nou. reſtituit aliqua ex parte, quod in *d. l. hac edictali. §. ſin vero.* ſancitum erat; & à ſe immutatum *d. Nou. 98.* ex qua deſumpta eſt *Auth. vxore. hoc tit.* Ea enim non faciebat diſcrimen, vt dixi, inter manentem in viduitate, & ſecundo nubentem, quod indicat verbum *Omnimodo*, in ea poſitum. Illud notandum eſt, quod in *l. quoniam. §. ad hæc. hoc tit.* ſcriptum eſt, quæ de lucris nuptialibus ſunt conſtituta ſoluto per mortem matrimonio: eadem locum habere ſoluto per diuortium, quod & in *d. Auth. vxore.* ſcriptum eſt. quamuis Cuiacius, in *Nou. 22.* reprehendat Haloandrum, quod ibi ſic verterit; *ſoluto per quaſcunque ſupradictas diuortiorum ſpecies matrimonio*, cum hæc tantum, inquit Cuiacius, dicantur de lucris obuenientibus morte, vel quaſi morte, puta ſeruitute, aut monachiſmo, non autem diuortio, vt Adcurſium & Theodorum græcum interpretari ait *l. conſenſu. § ſi vero filii. inf. C. de repud.* itaque probat veteris interpretis verſionem qui διαζεύξεις non diuortia, ſed diſtinctiones interpretatur? ſic Dion. Halycarnaſs. lib. 6. antiquit. vxores dicit ἀποζευγνυμένας θανάτοις ἢ φυγαῖς. Atque ita hæc de dote & donatione propter nuptias. De aliis lucris, puta legatis, fideicommiſſis, donationibus inter viuos ita ius eſt, vt coniunx ſuperſtes, ſecundis nuptiis abſtinens, omnia pleno iure ſibi habeat. *d. l. hac edictali. §. vlt. l. generaliter. §. vlt. l. ſi quis prioris. §. 1. hoc tit. & d. Nou. de nupt. 22.* neque in his magnopere quidquam video immutatum poſterioribus conſtitutionibus aliquo tantum excepto,

cepto, quod ad alienationem attinet. Nam ex *d. l. generaliter. §. vlt. & d. l. ſi quis prioris. §. illud. & §. certum.* Superſtes coniux, lucra à coniuge, quæ obuenerunt pro arbitrio alienare vel conſumere poteſt, & alienare cum inter viuos, tum teſtamento: inter viuos, puta venditione, donatione, alioue titulo: teſtamento autem, non ſolum ſi ea nominatim alicui legauerit, vel per fideicommiſſum reliquerit, ſed etiam ſi aliquem heredem ſibi inſtituerit, quicunque is ſit. nam generalis hæc inſtitutio etiam hujuſmodi lucra ſecum trahit. Quod ſi ea non alienauerit, vel ſpecialiter, vel generaliter, tum filii ea vindicabunt, etiamſi patri vel matri, à qua ea non ſunt alienata, heredes non extiterint, *d. l. ſi quis prioris. § certum.* Sed hoc quomodo intelligimus in alienatione, quæ fit per generalem heredis inſtitutionem? Nam ſi parens heredem ſibi inſtituerit aliquem extraneum, dici non poteſt, filios eas res ſibi vindicare poſſe, qui heredes nõ ſunt; cùm generalis quoque inſtitutio alienationem cõtineat, & ſit ſpecies alienationis *l. 1. C. de fund. dotal. l. pater. § fratres. D. de leg. 2. l. ſi ita quis promiſerit. §. ea lege. D. de verb. obl.* & eleganter idem Æſchines in eadem oratione ait, Legem de rationibus reddendis ab iis qui operibus publicis præfecti fuerunt, vetare eum qui hoc iudicio abſolutus non ſit, bona ſua conſecrare, de ſuis bonis aliquid Diis dicatum in templis appendere, adoptari, facere teſtamentum, & alia pleraque, &c. Sunt enim ea omnia ſpecies alienationis, eoque conſecratio & dedicatio etiam

L. XII. Tabularum, quæ res litigioſas alienari vetat, comprehenditur. Plato in Euthydemo, ea tua eſſe, ἅσοι ἐξείη καὶ ἀποδόσθαι, καὶ δοῦναι καὶ θῦσαι ὅτῳ βούλει θεῶν. Neque obſtat *l. ex hoc edicto. §. ſed horum. D. de alien. iud. mut. cauſſ. fact.* vbi heredis inſtitutio non habetur pro alienatione: non obſtat, inquam, quia in illo edicto dolus malus requiritur, vt quis intelligatur alienaſſe; qui dolus in moriente vel teſtamentum faciente præſumi non debet. Cum igitur ſit heredis inſtitutio ſpecies alienationis, nullo modo poterunt liberi heredes non inſtituti ea bona vindicare, vtpote alienata in extraneum heredem, quod licere parenti ſupra docui. Dicendum igitur eſt, quod liberos etiam qui heredes non extiterint, eas res vindicare poſſe dicitur, intelligi oportere, de liberis quidem heredibus inſtitutis, ſed qui tamen parentis hereditatem non adierint, vel adquiſiuerint, quia ſcilicet eam repudiauerint, vel ab ea ſeſe abſtinuerint. ita diſertè loquitur *d. l. hac edictali. §. fin.* non adeuntibus, inquit, hereditatem parentum. ita etiam *d. l. ſi quis prioru. §. illud.* non adeuntes, inquit, paternam vel maternam hereditatem. Quod ſi filios exheredatos proponas aliis heredibus inſtitutis, non poſſis vllo modo dicere, hæc bona pertinere ad exheredatos filios, cùm aliorum heredum inſtitutio alienationem contineat, quæ vbi interceſſit, filiis non datur vindicatio, vt demonſtrauimus. Quod autem de alienatione dictum eſt, idem & de obligatione ſiue oppigneratione ſtatuitur in dictis ll. vt ferè ſemper hæc ſimul prohibi-

hibita intelligantur. *l. 1. & paſſim. D. de reb. eor. &c. l. vlt. C. de reb. alien. non alienand.* Hæc igitur facultas alienandi eſt conceſſa coniugi ſuperſtiti, ſed videtur eam Iuſtinianus temperare in *d. l. ſi quis prioris. §, talem.* cuius verba propter inſignem difficultatem hîc introducenda duxi; *Talem vero licentiam filiis datã, vt etiam nõ adeuntes paternam vel maternam hereditatem lucra vindicarent, quæ parens eorum ex matrimonio, quod ſecundo thoro minime mutauit, ſibi adquiſita non alienauit, nullo modo eis concedimus, ſi paternam vel maternam hereditatem ab inteſtato ex parte (ſi fortè alii etiam ex anteriori matrimonio morienti parenti filii ſunt) ſibi adquiſierint.* Miras habet Accurſius interpretationes horum verborum, omneſque, vt opinamur, falſas. erroris cauſſa illi, & cæteris fuit, quod hoc loco anterius matrimonium ſic ſunt interpretati, quaſi poſt prius matrimonium alterum ſecutum ſit, imò & tertium, vt quidam finxêre; Et ſecundo thoro exponunt pro tertio. Sed veriſſimum eſt vnum tantum matrimonium hîc fuiſſe, vt rectè Cuiacius ad dictam *Nou. de nupt.* 22. declarat. Nec potuit Iuſtinianus cum initio d. §. regulam poſuiſſet, de eo qui ad ſecundas nuptias non tranſiuit, exceptionem illi ſubiicere, quæ ad regulam nihil pertineret, id eſt quæ loqueretur de eo, qui ad ſecundas nuptias tranſiuit; cum vel dupōdii ſciant, exceptionem eſſe debere de genere regulæ. *l. nam quod liquide. D. de pen. leg.* Quid igitur ſibi illa verba volunt vel quæ eſt illius §. ſententia? Ego non dubito,

quin hoc Iuſtinianus ſenſerit, ſi plures ſint liberi heredes inſtituti à parente ſuperſtite, qui lucra illa adquiſiuit, nec alienauit, & alii ex his filiis hereditatem ſibi teſtamento delatam repudiauerint, vel omiſerint, ſed eam ab inteſtato adquiſiuerint pro ſua ſcilicet parte; Alii verò ex teſtamento eam adiuerint; his ſolis filiis qui adiuerunt, lucrorum nuptialium vindicationem concedendam eſſe. Exiſtimo enim Iuſtinianum, quod neminem video animaduertiſſe in d. §. reſpicere ad Edictum prætoris, quo voluntates defunctorum tuetur, & heredum calliditati occurrit, qui omiſſa cauſſa teſtamenti, ab inteſtato hereditatem partemue eius poſſident ad hoc, vt nos circumueniant, quibus quid ex iudicio defuncti deberi potuit ſi non ab inteſtato poſſideretur hereditas. Et in eos actionem pollicetur, vt ait Vlpianus *in l. 1. in princ. D. ſi quis omiſſ. cauſ. teſt.* Itaque malè idem Cuiacius, & contra aperta verba *d. § ſi tale. in d. Nou.* 22. proponit, alios hereditatem repudiâſſe, alios vero adiuiſſe: Et iis qui repudiarunt, adimi lucra nuptialia, cum d. §. manifeſtò dicat, iis adimi, qui adquiſiuerint hereditatem ab inteſtato, & per conſequens heredes patris extiterint. Ita igitur, vt dixi, explicandus eſt, ex teſtamento ab iis omiſſam hereditatem in fraudem legatariorum & ſimilium. Atque ita hunc dolum ex illius prætoris edicti ſententia coerceri. Quod notandum eſt ad illius edicti amplificationem, quod tam multis modis veteres iuriſconſulti & Imperatores

ratores ampliarunt, dum variis heredum fraudibus occurrere volunt. Ideoque ſoleo illud edictum eueiriculum malitiarum appellare: vt Cicero amici ſui Aquilii Formulam de dolo malo appellat, lib. II. de nat. Deorum. Atque hæc ita ſunt de iure Codicis, quod ius à ſe etiam conſtitutum & confirmatum in *d. l. ſi quis priorꝰ.* Iuſtinianus nonnihil poſtea temperauit in ea parte, quæ eſt de generali alienatione, hoc eſt, de heredis inſtitutione (heredis inquam extranei) teſtamento facta. Nam Iuſtinianus noluit per eam adimi liberis lucra illa & bona nuptialia, ſed quaſi omninò non eſſent alienata, iis reſeruari præcipit. Denique illam demum alienationem liberis præiudicare voluit, quæ ſpecialiter & nominatim ſit facta, veluti per legatum, vel fideicommiſſum, vel aliquo titulo inter viuos, puta donatione, vel venditione. *d. Nou.* 22. Itaque ei conſtituere viſum eſt, non quia generalis heredis inſtitutio non ſit ſpecies quædam alienationis; Eſſe enim ſupra docui; ſed quia fauet in hac cauſſa merito liberis potius, quam extraneis. Et quia heredis inſtitutio non ita propriè, vel clare alienationem continet, ſed potiùs confuſè, eſt per interpretationem. Similiter, alienare, eſt propriè dare, id eſt, dominium transferre; quod fit à volentibus & inter viuos. teſtamento autem vel morientes non tàm damus, quam relinquimus, & quidem neceſſariò, atque inuiti. Vnde verbum, relinquere, pertinere ad vltimas voluntates dicitur. *l.* 1. §. *ſi filio. D. de leg.* 3. *l.* 1. §. *pen. D. de tab. exhib.* Illud etiam

in d. *Nou.* 22. correxit, ſanciens, vt etiam illi liberi, parenti qui heredes non extiterunt, tamen vnâ cum aliis, qui heredes extiterunt, lucra illa nuptialia vindicare poſſint.

CAPVT III.

Si plura matrimonia fuerint.

SVperiori capite expoſuimus ius de lucris, quãdo vnicum fuit matrimonium, nec tranſitio facta eſt ad ſecundas nuptias. Nunc videamus, ſi plura ſint matrimonia, & ex poſteriori matrimonio liberi extent, ſed pater vel mater non tranſeat ad tertias nuptias. In quo primum diſtinguendum eſt; aut enim ex primo matrimonio quoque liberi extant, aut non extant. Si non extant, res expedita eſt; quidquid enim ſupra diximus iuris eſſe in coniuge, qui viduitatem ſeruauit poſt primas nuptias, ex quibus liberos habet, idem plane locum habet in eo, qui viduitatem poſt ſecundas nuptias ex quibus ſolis liberos habet, ſeruauit. Nulla enim differentiæ ratio adferri poteſt. Si verò ex primo quoq; matrimonio liberi extant, vt ex poſteriori, diligenti res explicatione eget. Igitur eadem hîc repetenda diſtinctio eſt inter lucra proprie nuptialia, id eſt, dotem, vel donationem ſponſalitiã, ſiue propter nuptias; & alia lucra, quæ alio titulo coniux à coniuge accepit, pũta legati, fideicõmiſſi, donationis ſimplicis. In priore genere lucrorum ita ius eſt: vt lucra prioris matrimonii

ſer-

[illegible]entur liberis eius matrimonii, lucra poſte-[illegible]ris, illius itidem poſterioris liberis; atque ita proprii parentis diſtinctè liberi quique capient donationes propter nuptias mortua matre, quæ illas donationes à maritis ſuis fuerat conſecuta. Idemque vice verſa de marito conſtitutum eſt ab Imp. Theodoſio in *l. 4. hoc tit.* quam conſtitutionem nominatim laudat Iuſtinianus in *Nou. de nupt. 22. §. nec illud. 9.* Sed quæritur an in ſolidum, & æqualiter capiant diſtinctè hæc lucra matrimonii cuiusque liberi, an verò plus debeatur liberis primi matrimonii, videlicet vt illis aliquid cedere debeat ex lucris etiam ſecundi matrimonii mortua matre vel patre communi? ratio enim eſt magna dubitandi; quia prioris matrimonii liberis, parens ſuperſtes ad ſecundas nuptias conuolando, iniuriam fecit, cum adfectionem eis non ſeruauit, & patri ipſorum. Qua de cauſſa meritò conſtitutum eſt, vt quæ ab ipſorum parente lucra accepit, iis in ſolidum ea ſeruare teneatur; quæ ratio non valet in liberis ſecundi matrimonii, vtpote cum mater non tranſiuerit ad tertias nuptias, ideoq; videtur matri licere debere, vt ex lucris ſecundi matrimonii, quæ accepit, poſſit aliquid ſeruare aut largiri primi matrimonii, leniendæ ſcilicet iniuriæ iis factæ cauſsâ. Ad hanc obiectionem ipſimet Imperatores Theodoſius & Iuſtinianus ita reſpondent; quod pater vel mater veniat vel non veniat ad tertias nuptias, id nihil intereſſe liberorum primi matrimonii, nihilque iis prodeſſe hanc poſt ſecundum matrimonium ſeruatam à communi parente viduitatem & conti-

nentiam; nec debere liberos primi matrimonii hac in parte inuidere liberis ſecūdi matrimonii. Ex quo intelligimus verum eſſe, quod vulgò dicunt, argumentum à contrario ſenſu, licet id Papinianus fortiſſimum vocet. *l. 1. D. de eo cui mand. eſt iurisd.* tamen non valere, vbi lex vel ratio repugnat, vel abſurdi aliquid inde ſequitur, vt notatur in *l. conſuemicula. C. de epiſc. & cler.* Similiterque non valere argumentum ceſſante cauſſa, ſi ex pluribus rationibus vna ſuperſit. §. *adfinitatis. de nupt.* Illud notandum eſt, quod in d. l. cum aliis, ſancitur, vt mater, licet non tranſeat, ad tertias nuptias, cogatur lucra quæ à ſecundo marito accepit, reſeruare liberis cōmunibus ex illo matrimonio ſuſceptis; quod contra dicendum videbatur: nam ſi mulier poſt primum matrimonium vidua permaneat, non cogitur liberis reſeruare lucra illa. *l generaliter. D. hoc tit.* quod tamen, quemadmodum temperatum ſit iure nouiſſimo *Nou. neque virum.* §. *nuptialibus.* vnde ſumta eſt *Auth. vxore. d. tit.* ſuperiori capite docui. Quæ igitur ratio differentiæ reddi poteſt, cur plus tribuitur matrimonii ſecūdi liberis, quos mater nulla iniuria vel mœrore adfecit, quā liberis primi matrimonii? Mihi videtur illa ratio eſſe, quod quamuis vtraque vidua maneat; tamen maior eſt laus, quæ vni tantum viro nupſit, deinde manet perpetuò vidua, quam eius quæ bis vel pluribus nupſit, vt mirum non ſit, ſi aliquantò plus vniuiræ tribuatur, quā multinubæ, vt olim in aliis reb. apud Ethnicos, vt Tertullian⁹ teſtatur de Monogamia, & alterò libro de vnis nuptiis. Sed hodie contra eſt, vt

etiam

[illegible]m quartas & quintas videamus cõtrahi imò & olim. & miraculum de hac re refert D. Hieronymus Ep. 11. ad Ageruchiam c. 2. de duobus viliſſimis, vt ait, hominibus; qui Romæ ſe præſente nuptias contraxiſſent, quorum alter viginti vxores ſepeliuerat, mulier XXII. maritos, *ſed vicit, inquit, maritus, & totius vrbis populo concurrente coronatus, & palmam tenens, adoreamq; per ſingulos ſibi adclamantes, vxoris multinubæ feretrũ præcedebat.* Puto vtrumq; fuiſſe veneficum, de quo eſt elegãs epigramma Martialis lib. IX. epigram. LXXX.

Funera poſt ſeptem nupſit tibi Galla virorum
Picentine: ſequi vult puto Galla viros.

hoc eſt, ſicut illa veneficio ſuſtulit ſeptẽ maritos, ita nunc tibi nubit homini venefico, qui eã tollas & ita viris prioribus adiungas. Atque hæc ita ſunt de lucris nuptialibus propriè dictis, id eſt, donationis antenuptialis, & dotis. Videamus nunc de reliquis lucris, iis ſcilicet quæ alio titulo quam ſupradictis parens ſuperſtes à coniuge ſecundarum nuptiarum iam defuncto adquiſiuit. De quibus ita ius eſt, vt ea nunc communicentur cũ liberis primi matrimonii, nunc nõ cõmunicentur. Communicantur; & quidem ex æquo inter omnes liberos, tàm primi, quã ſecundi matrimonii diuiduntur, ſi mater, quæ illa lucra adquiſiuit, ab inteſtato deceſſerit. Quod ſi teſtamentũ fecerit vel aliter diſpoſuerit, id ſeruabitur in illis lucris quod diſpoſuit; ratio eſt, quia varia bona nõ æſtimãtur ex matrimonio, ex quo proceſſerũt alioquin deberẽtur tantũ liberis ſecũdi matrimonii; & ideò nõ ſic æſtimantur, quia ſunt

effecta propria parentis, qui ea lucratus eſt, & ipſius ſubſtantiæ commixta ſunt; vt loquitur Imperator *in §. reliqua verò. d. Nou. 22.* ſic aliàs dicimus hereditatem poſtquam ab herede ſemel eſt adita, non eſſe amplius hereditatem, ſed eſſe bona & proprium patrimonium heredis, quia iuncta cœpit hereditas eſſe cum eius bonis. *l. ſed ſi plures. §. filio. D. de vulg. & pup. ſubſt.* Dicet aliquis, ſi hæc lucra ex ſecundo matrimonio capta communicantur prioris matrimonii liberis, ergo & talia lucra deberent cõmunicari ſecundi matrimonii liberis, ęqualitatis ſeruandę cauſſa. *l. pen. & paſſ. C. de collat.* Sed illa non communicantur, ſed pertinent in ſolidum ad liberos primi matrimonii. *§. ſi vero expectet. d. Nou. 22.* Et ratio eſt, quia parens qui ea lucratus eſt, ex primo matrimonio amiſit ea tranſeundo ad ſecundas nuptias. Quare idem diceretur de his lucris ſecundi matrimonii, ſi parens ad tertias nuptias conuolaret, ea enim parens amiſiſſet, ideoque non communicarentur cum liberis tertii matrimonii, vt rectè Adcurſius notat in d. §. vel. Hæc de bonis aliis, & lucris communicandis. De lucris autem nuptialibus, id eſt, donatione propter nuptias & dote, iam ſuprà docui; quamuis non ignorem alios aliter interpretes, & quidem variè docere inter quos etiã Cuiacius ita in poſthumis ſuis ſentire videtur: Lucra iſta non aliter cõmunicari quàm ſi parens ita ſtatuerit, qui ea lucratus eſt. ab inteſtato verò vel citra parentis iudicium non cõmunicari, ſed ſolis liberis ſecundi matrimonii deberi, à quo profecta ſunt. Illã igitur differentiam iſti ponũt inter

inter liberos primi matrimonii,& liberos ſecũdi quod lucra nuptialia ex primo marito capta omninò mater ſeruare teneatur ei⁹ matrimonii liberis communibus;nec quidquã de iis diſponere poſſit,vel inter viuos,vel mortis cauſſa in præiudicium liberorum;quod verum eſt, vt iam docui. At lucra nuptialia ſecundi mariti ita demũ cedere liberis ſecũdi matrimonii volũt, ſi ea mater non alienauit,vel aliter de iis diſpoſuit,atq; ita plus tribui liberis primi matrimonii quã ſecundi;ea ratione, quod primi liberos iniuria & mœrore adfecit, non item ſecundi, eademque in patre quæ de matre diximus, locum habent, *l. fœmina. l. generaliter. l. in quibus. hoc tit.* Quæ differentia ſane à nobis ſupra repudiata eſt, & manifeſtiſſimè refelli videtur verbis *d. l. cum aliis. in princ.* ibi: *pro ſoliditate poſſideant*, &c. nec diſtinguitur vtrum mater alienauit vel diſpoſuit de his rebus an non,ſed præcisè ea bona & lucra lex addicit ſecũdi matrimonii liberis Atq; hæc ita ſunt,cũ ex vtroq; matrimonio & primo, & ſecundo liberi extant. Quod ſi ex ſecundo nulli extarẽt, tũc vxor ſuperſtes donationẽ propter nuptias aliaq; lucra à poſteriori marito capta ſibi in ſolidũ,& pleno iure adquireret,idq; etiamſi maritus defunctus reliquerit ex alia coniuge liberos; his .n. liberis nouerca nihil cogitur dare, vel ſeruare ex lucris,quæ ab ipſorũ parente adquiſiuit. Omnes enim leges Cod. & omnes Nou. cũ iubent patrem, vel matrẽ ea bona liberis conſeruare, loquuntur de liberis cõmunibus, non aũt de priuignis, vt rectè Salicetus

monet in *Auth.vxori. hoc tit.* Atque ita etiam expreſſum eſt *in d. l.cum aliis.hoc tit.* Sed eſt in d.l.difficilimum,quod mox dicitur & variè expoſitum, neſcio an ſatis à quoq̃ intellectum in illis ſcilicet verbis: *Ad maternas ſane venientes,* Et quæ ſequuntur. Quorũ verborũ iuxta Cuiacii & aliorum interpretationẽ ille videtur eſſe ſenſus, quẽ modo expoſui de poteſtate matris, vt ſtatuere pro libitu poſſit de omnib lucris ex ſecundo matrimonio adquiſitis. Atq; ita ſi mater voluerit ea quocunq; iudicio communicare cũ liberis primi matrimonii, id ei liceat, & vnuſquiſq; liberorũ vtriuſq; matrimonii de lucris iſtis ſecundi matrimonii poſſideat portionẽ vt à matre collatã, vt loquitur d. l. hoc eſt, ſicut mater volet, vel diſponet. Sed verius eſt, & verbis d.l.conuenientius, ſi dicamus *d. §. ad maternas.* loqui tantum de bonis propriis & facultatibus maternis, vt ibi clarè nominãtur, & Baldo video & Saliceto placuiſſe; non autẽ de vllis lucris nuptialibus, quæ mater à marito adquiſiuerit; de his.n.ſup.initio ſatis docuerãt, & in §.præced. quod euidenter etiã adparet ex fine d. l. vbi Imperatores repetunt, quod initio dixerũt de lucris nuptialibus, aiuntq; id ſe præcipuè decernere atque agere illa conſtitutione voluiſſe, vt ex quocunq; coniugio ſuſcepti filii patrum ſuorum ſponſalitias facultates, hoc eſt, lucra nuptialia, quæ dixi, retineant quaſi dicãt, de cæteris bonis vtriuſque coniugis propriis id ſeruetur, quod ipſi cõiuges voluerint & diſpoſuerint: qua expoſitione nihil eſt clarius, nec repugnant ei illa verba *d. §. ad maternas. Ex*

hoc

... ex quolibet titulo. Nã paulo ante Imperatores dixerant, id eſt, in §. proximè præced. Si nulli liberi cõmunes ex ſecũdo matrimonio extiterint, tunc matrem eius matrimonii lucra habere ſibi planè, & abſolutè propria ac ſui iuris. Poſtea igitur in *hoc* §. *ad maternas.* ſubiiciũt, *Ex hoc vel alio quolibet titulo facultates materna.* *Ex hoc*, intelligere debem⁹, id eſt, ex eo titulo quem iam ante proximè poſuimus, de illis ſcilicet bonis in quæ mater plenũ ius habet, vt iam dixi, atq; ita illa verba, *Ex hoc vel alio titulo*, non ad verbũ, *Veniens*, vt perperam omnes Interpretes, ſed ad verbũ *Facultates*, referẽda ſunt, vt ſit hic ſenſus; Veniens poſteritas matris ad bona prorſus & ſimpliciter materna, ita ea capiat, vt mater diſpoſuerit. Quo in numero ſimpliciter maternorũ ſunt etiã ea lucra, quæ iam dixi ex §. præced. ab hac l. in iure & dominio pleno matris collocari, licet à marito profecta.

CAPVT IV.

De diuortio, & alimentis liberorum.

MAtrimonio morte coniugis ſoluto & ſuperſtite viduitatẽ ſeruante quid iuris ſit in lucris nuptialib. omnibus, ſupra expoſuimus. Hic quęritur, an eadem locũ habeant in matrimonio ſoluto per diuortium, cuius ſunt variæ ſpecies, ſed præcipuè duæ, cum offenſione, & cum bona gratia. Et Iuſtinianus quidem in *l. quoniam. hoc tit.* & §. *quia verò. Nou.* 22.

clarè ſanxit, quod de morte dictum eſt, ... & de diuortio quouis intelligendum eſſe, ... donatio propter nuptias, vel dos liberis ſeruetur: qua de re diligentius etiam in *Nou.* 9? *neque vir.* §. 3. cauit in hanc ſententiam, ... ſoluto malâ gratiâ matrimonio, quamuis ... ad mulierem redeat, donatio propter nuptias ad virum, atque ita neuter lucrum ex altero ... lũ capiat, tamen ſi in diſſoluendo matrimonio aliquid alteri ab altero detur quaſi tranſactionis alicuius cauſſa; iſtud quidẽ. quod datũ eſt, non poſſe dici lucrũ nuptiale, vtpote datũ ſolutis iam nuptiis, ſed pro lucro tamẽ nuptiali haberi iubet, idq; euitãdarum fraudum gratia & fauore extantium liberorum; ſanxit igitur, vt eius quoque lucri proprietas omnino liberis communibus cõſeruetur, vſufructu duntaxat penes parentem remanente. Cæterũ hæc conſtitutio, valdè temperata poſtea eſt; quia Iuſtinianus ipſe matrimoniũ diſſolui nudo & mutuo conſenſu prohibuit, niſi forte voto caſtitatis aut alia ſimili cauſſa probabili id fiat. *Nou. vt liceat matri.* 117. §. *quia verò.* Et hodie noſtris moribus nulla ferè ex cauſſa diuortia tam conceduntur, ſed iure Pontificio potius vtimur, quo iure diuortium etiam ex grauiſſimis cauſſis non conceditur, ſed ſeparatio quædam menſæ & thori ob certas cauſſas. Vbicunque igitur permiſſum eſt matrimonium ſic diſſolui, ibi ea quæ dixi, locum habent. *d. Nou. neque vir. & d. Nou.* 117. §. *quia verò.* Idemque ius eſt, ſi alter coniugum alterius culpa interueniente, ob quã diuortium factum eſt, donatio-

tionem propter nuptias vel dotem ſit lucratus; debet enim proprietatem ſeruare liberis communibus. *d. Nou.neque.*§.3. In quo & illud ſancitur, vt is qui vſumfructum habet lucri nuptialis a ſe adquiſiti, is ex eo interim alat liberos communes, aliaq; iis ſubminiſtret quæ neceſſaria ſunt. Quod ipſum multò clarius ſancitum eſt in *d. Nou.*117.§. *illud quoque.* Eoque pertinet etiam *tit. C. diuort.fact. apud quem lib. mor. vel educ. deb.* quem tit. ſequitur alius *de alend.lib.ac parent.* Bipartita eſt enim quæſtio. Vna, vbi educari aut morari? altera vbi ali vel nutriri debeant? Qua in re diſtinguendum primò eſt, nupſeritne iterum mater, an non nūpſerit? Deinde vtrum morte, an diuortio matrimonium ſolutum ſit? Igitur ſi morte ſolutum ſit & mater iterum non nupſerit, tunc liberi apud matrem educari debent. Sed cuiuſnam ſumtibus ali? Et conſtat ex patris, non matris bonis ali oportere, niſi paternę facultates nullæ ſint, aut exiguæ, vel ſi filii ſint minores tribus annis. Tales enim à matre ali debēt. *l. nec filium. C. de patr. pot.* idque omninò, quamuis proteſtata fuerit ſe repetendi animo id facere. Poſt triennium autem, id eſt, cum trimi fuerint, tunc videndum eſt quo animo fecerit impenſas, vtrum maternâ pietate & donandi cauſſa, an verò repetendi? cæterum præſumitur in dubio, materna feciſſe pietate, niſi contrarium probetur. *l. alimenta. C. de neg geſt.* idq; etiamſi patris bona idonea fuerint iis alendis. qua de re extat pulcherrima oratio matris Diui Chryſoſtomi apud ipſum lib.

1.de ſacerdot in princ.vbi ait,ſeſe eum educaſ-ſe de proprio peculio, & bona paterna omnia ei conſeruaſſe integra. Cæterum huius quæſtionis arbitriũ penes iudicẽ erit, cũ ſit qualis facti,vtrum ſcilicet repetendi an donandi animo mater id fecerit, conſiderata qualitate perſonarum & quantitate bonorum, ac ſumptuũ, vt rectè docet Adcurſius ad *d.l.alimen.* Si autem iterum nupſerit,tum liberi apud matrem non educantur. *l.* 1.*C. vbi pupill. ed* & *in Nou.* 22. idque propter periculum. Solent enim matres nouis maritis &bona & ſępe vitam ipſam liberorum addicere, vt eleganter ait *lex quæ.C.de admin.tut.* quãuis olim aliter obtinuerit,vt notat Cuiac.ad d. *Nou.* 22. Liuius lib.39.*pupillus*,inquit, *relictus ſub tutelâ matris & vitrici educatus fuerat.* Eademque quæ ſupra dixi,etiam in auia, & proauia ſunt intelligenda. Atq; hęc ſi morte ſolutum ſit matrimonium. Quod ſi diuortio ſolutum fuerit & alterius coniugis culpa, vt fieri ſolet; tunc liberi apud eum educari debent, qui cauſſam diuortio non dedit,ſed expenſis eius, cuius culpa diuortium factum eſt. *d. Nou. neq; virum.* §. *illud.* Olim in his caſibus omnibus videtur hic mos fuiſſe,licet nulla lege ſancitus,vt ait *d.l. ſi ex diuort.fact* &*c.*vt maſculi apud patrẽ fœminę apud matrem educarentur,atque ita diuiſio liberorum inter eos ſexus ratione fieret.quę res & illam rationẽ habet, quia matri viduæ multò ſit difficilius maſculum, quam fœminam filiam educare, vt eadem mater Chryſoſtomi in dicto ſermone teſtatur. neque hæc diuiſio im-

pro-

Probatur in *d. l. vn.* ſed potius permittitur æſtimationi iudicis, qui eam probabit, niſi aliqua cauſa eum in contrarium moueat, *d. l. vn. in fin. & l. 1. §. in hoc interdicto. D. de lib. exhib.* Quod ſi neq; morte, neq; diuortio ſit ſolutum matrimonium, atq; ita pater & mater in cõiugio viuant, dubium non eſt, quin pater ſolus alere filios debeat, *tit. D. & C. de alend. & agnoſc. lib.* imò mater agere contra maritum poteſt, vt eos alat. *l. 3. & l. 4. d. tit. C. de alend. lib.* ſicut & contra curatorẽ, vt eſt in Decretis Adriani Imp. qui nõ admiſit curatoris excuſationem, qui ideo ſe non præſtitiſſe alimenta pupillo dicebat, quod cõcurator abſens eſſet. Dixit .n. ei Imperator: Διὰ τοῦτο σοῦ ἐδόθης, ἵνα λιμῷ πνίξῃς τὸν ὄρφανον. κατὰ δύναμιν σοῦ τῆς ὑποστάσεως τροφεῖα αὐτῷ παρέσχε. vt Dorotheus refert, quod ſi ipſa mater aluerit, videtur donauiſſe; & propterea non repeter, niſi contrarium probetur, hoc eſt, repetẽdi animo feciſſe, argumento *l. 2. in fin. C. de neg. geſt.* Sed ſi pater neget filium ex ſe natum eſſe; hæc quæſtio prius, vtpote præiudicialis definiri debet, quam quæſtio alimentorum. *d. l. 4. & §. praeiudiciales. Inſt. de act.* Natum ex legitima vxore. Nã alios ali neceſſe non eſt, iure ciuili. Et vice verſa idem Adrianus congiarium abiudicauit ab eo, quo cum ſibi fuiſſe nuptias mulier Latina negabat, licet tabulæ eſſent conſcriptæ.

CAPVT V.

De vidua inope.

VT liberos à parẽtibus ali debere cõſtat, ſic

vice verſa parentes egeni à liberis ali debent: hęc eſt enim ἀντιπελαργῶν. Neque ſolum liberi adulti,ſed etiam pupilli matres egenas aluent, & tutores ſi quid in eam rem impēderint,imputare pupillis poſſunt, dum hæc duo concurrant,& vt mater egena ſit,& vt filius in facultatibus poſitus.*l* 5.§.1.*D.de admin.tut.l.*1.§.*præterea.D.de tut.& rat. diſtr.* Solent autem ſæpe mariti legatum vxori relinquere,& addere cōditionem,dum cum filio moretur ſiue habitet. *l. qui quatuor.§. vxori.& ibi DD. D. de legat.* Quod ſi mater ad ſecundas nuptias tranſeat, non poteſt pariter & hāc conditionem implere cum filio ſcilicet morandi,& legatum cōſequi,vt rectè docet Baldus *in l.*1.*C.de leg.* Quid de aliis heredibus mariti dicendum eſt? Et vulgò traditum eſt, ſi mulier inops ſit alēdam eſſe ab his heredibus, quaſi dum in viduitate permanet in priori manere matrimonio videatur, argumento *l. vlt. C.de bon.mat.* ideoque vidua priuilegiis honoris & fori vtitur,vt viuo marito vtebatur.*l.fœmina. in fin. D. de ſenat.l.*22.§. *vidua.D. ad municip.*Sed certè hoc onus nulla lex heredib.iniungit,neq; nos iniungere debemus, niſi vno fortè caſu cū ſcilicet mulieri ſua dos ab heredibus reſtituta nondum eſt, vt reſtitui intra annum debet; vt docet Adcurſius in *l.vn.§.exactio. C.de rei vx. act.* atque ita vſu quoque obſeruari Arius Pinellus contra multorū opinionem ſcribit ad *d. l. vlt. de bon.mat.* Quo quidem caſu etiam alimenta præterita ei præſtanda ſunt, licet aliunde ea conſecuta fuerit, vt Alexander cenſuit *conſ.* 7.*lib.*2. aut cum

cum plane inops eſt, & extrema laborat egeſtate, ſic tamen vt operari cogatur heredibus, niſi magna domina ſit, vt loquuntur. de quo videndus Hotomannus conſil. L. multis Doctorum ſententiis recitatis. Illud verum non eſt, quod Valla conſil. LIIII. lib. 3. ſcribit indignum hereditate effici heredem qui patitur vxorem defuncti alteri ſeruire. Sane vxori inopi atque indotatę optimè conſultum eſt à Iuſtiniano in *Nou. de reis exhib.* 53. *cap. vlt. Nou.* 74. *cap. vlt.* & *Nou.* 117. *cap.* 5. ex quibus deſumta eſt nobilis illa *Auth. præterea.* inſerta titulo *C. unde vir & vx.* quæ nobis breuiter explicanda eſt. Iure igitur communi inter maritum & vxorem nulla eſt ab inteſtato ſucceſſio, ſed ex hac Auth. aliqua cœpit eſſe. Indotatam intelligere debemus non ſimpliciter eam quæ dotem nullam dedit, ſed quæ non dedit propter inopiam, nam inopi tantum vxori conſulitur, eaque inopia ceſſante ceſſat & ratio d. Auth. nec vlla pars in bonis mariti ei debetur. Inopiam autem ſiue paupertatem in hac Auth. ſic interpretamur, ſi neque aliquid habeat, vnde ſe alat, neque ex ſua induſtria id conſequi poſſit, alioquin etiam ruſticas operas, ſi mulier ignobilis & plebeia ſit, hîc quidem conſiderant, inde enim victum quærere debet. ne tamen nimis ruſticè & inhumaniter cum ea agatur. Quòd autem de dote nulla dicimus, idem intelligendum eſt etiam de exigua dote, quæ alimentis nõ ſufficiat, vt bene Ale-

xander & alii ſcribunt ad *l. diuortio. D. ſolut. matr.* & communiter receptum eſt, Socino licet, & paucis diſſentientibus, vt docet Tiber. Decianus *conſil. CXI. Vol. III.* Tempus autem quo iudicetur de dote ſpectandum, eſt mors mariti; quo tempore ſi tenuem dotē habuit, conſequi quartam ex bonis mariti debet, licet poſtea facultates adquiſiuerit ex bona fortuna aliquas, vt pluribus docet Phil. Decius *conſ. XXIV. & Alciatus lib. 1. de Verb. ſignif. n. 80.* idemque ius in viro eſt, nimirum vt viro inops ſuccedat vxori locupleti, vt oſtendi *d. Nou. de reis exhib. §. quoniam verò in fin* & ſicut res procedit in vxore quæ dotem non dedit, ſic procedit in viro qui donationem propter nuptias non dedit. *d. §. quoniam.* hæc enim donatio eſt quædam compenſatio dotis: ſine dote autem matrimonium conſtare poteſt, & multo magis ſine hac donatione. *l. vlt. C. de repud.* cum ſimilibus. Quamuis aliàs dos ſit connexum quiddam matrimonii. vnde ſi quis iurauerit ſe aliquam ducturum eſſe neque vllam dotis mentionem fecerit, non erit propterea periurus, ſi eam ducere ſine dote nolit & quidem congrua, vt eſt notabilis gloſſa in *l. obligamur. §. lege. D. de obl. & act.* argumento *l. quod Seruius. D. de condit. ob turp. cauſ.* Deinde ait d. *Auth. preterea. ſi maritus præmoriatur.* Quid igitur dicendum ſi diuortio matrimonium ſolutū ſit? De hoc ita ius eſt, vt is qui diuortio cauſsā dedit præſtet coniugi quartā partē bonorū ſuorū, dū ea pars nō excedat tamē C. libras. *Nou. 22 l. vlt. §. vlt. C. de repu.* Tertio it d.

Auth. *ſuccedit*, &c. Vtrumque ab inteſtato tantum, an etiam ex teſtamento? an in quã, ſi maritus teſtamentũ fecerit, dictæ Auth. conſtitutio, quæ vxori inopi quartam partem bonorũ mariti addicit, locum habeat? Et interpretes vulgo id adfirmant, duobus præcipue argumẽtis. Primum eſt ex verbis dictæ Auth. in fin. vbi legatum vxori relictum dicitur in quartã partẽ computari. Sed legatum inquiunt, relinquitur tantum in teſtamento: Ergo dicta Auth. locum etiam habet facto teſtamento. Secundum, eſt ex verbis dictæ *Nou. de exhib. reis. § fin.* Nam illic ſcriptum eſt: legatum aut aliquam partẽ inſtitutionis relictam vxori. Sed improbãda hæc opinio eſt; & ad primum argumentum reſpondeo, legatum vt & fideicommiſſum etiam ab inteſtato relinqui poſſe, puta in codicillis, vel nuda voce vel etiam nutu. *l. epiſtola. D. de fideicom. l. nutu. l. fideicommiſſa. D. de leg. 3. l. 2. C. comm. de leg. §. 1. & §. non vſque. Inſt. de legat.* Ad ſecundum argumentũ, dico illa verba dictę Nou. nihil ad rem facere, vt & Iaſon ipſe animaduertit, quia non loquuntur in noſtro caſu; ſed de eo, cum vxor ſcilicet inops non eſt, tunc enim demum inquit dicta Nou. matrem nihil poſſe liberis auferre, niſi forte maritus aliquid ei per legatum vel inſtitutionem reliquerit. Quare exiſtimo, veram eſſe Angeli ſententiam ſed non ipſius argumentis; verum iſtis. I. quia dicta *Auth. preterea.* continet ius nouum & correctorium veteris, quo iure veteri vir & vxor, vt dixi, ad ſucceſſionem legitimam adſpirare non poterant, ſi vel liberi vel

adgnati,vel denique cognati vlli defuncto exſterent,quorum nemine exiſtente prætor vltimo loco virum vel vxorem vocabat. *l vn. d. tit. Vnde vir & vx.* Cum igitur dicta Auth.ſit correctoria non debet extendi vel de caſu ad caſum trahi. II. quia ipſimet Imperatores Theodoſius & Valentinianus cum veteri iuri hac in parte aliquid derogauiſſent, tamen quaſi pœnitentia ducti id poſtea abrogauerunt. *l.vlt.C. Th. de leg. her.* III. quia hac ratione vxor reciperetur in ordinem & ius liberorum,quibus liberis omninò quarta pars hereditatis paternæ debetur,eaq; excludit querelam inofficioſi. Sed hoc abſurdum eſt,cum ne ipſe quidẽ prætor auſus ſit vxorem ab inteſtato vocare ad ſucceſſionem mariti,niſi vt dixi poſt omnes ordines. IV. quia hoc modo reduceretur in vſum ius obſoletum, & vetus ille mos Romanorum per coemptionem vel cõuentionem in manum nuptias contrahendi, quo vir & vxor iura hæredum ſuorum conſequebantur. Quarto loco dicta *Auth. præterea.* ait; *Dum liberis communibus, vel alterius matrimonii.* Sed pone,vxorem locupletem mortuam eſſe ſuperſtite viro inopi, an vir ſuccedat vna cum liberis communibus? Et ratio facit, ne ſuccedat, hodie præſertim,cũ in bonis maternis pater pleniſſimum vſumfructum habeat. *l.1. & paſſ. C. de bon. matern.* Ergo non poteſt inopia laborare,atq; ita ceſſat ratio dictæ Auth. Rurſum quæritur,ſi liberi iuſti non ſint, ſed naturales, an idẽ in cõcubina dicendum quod in vxore? Et certũ eſt concubinam quoq; cum filiis naturalibus ſuc-

cede-

cedere, ſed in ſextantem, non in quartam partem. *Nou* 18 & *Nou*.89. Quinto loquitur dicta Auth. liberis extantibus, ſicut Nou. illę, ex quibus ſumta eſt; quid ergò ſi liberi non extēt, ſed aſcendentes, vel legitimi vel alii cognati defuncto, an dicta Auth. locum habeat? variæ ſunt DD ſententiæ; alii enim totam hereditatem vxori addicunt, cæteris excluſis; quidam nihil concedunt. quidam denique partē quartam. Quæ poſtrema ſententia & Bartolo placet, & veriſſima eſt. Satis enim probatur ex verbis dictæ Auth. illis ſcilicet: *Liberis non extantibus vel ſi nullos habuerit, &c.* Sextò dicta Auth. ponit modum huius ſucceſſionis talem; ſi liberi eiuſdem matrimonii extent, vxor partem illam legitimam, id eſt, quartam habebit, ſed non pleno iure, nam vſumfructum quidem habebit, proprietatē liberis reſeruare cogitur, quod eſt cautum in datione vſusfructus paterni, quem parentes in bonis liberorum aduentitiis habent, *d. tit. de bon. matern. & tit. de bon. quæ lib.* Quod ſi eiuſdem matrimonii liberi nō extent; ſed alii, puta quos vir defunctus ex alia vxore antea ſuſceperat, tunc hæc vxor poſterior ſuperſtes habebit non modo vſumfructū, ſed etiam dominium, hoc eſt, plenam proprietatem dictæ quartæ. idemque ius eſt, ſi nulli prorſus liberi extent. Quo loco notandū eſt, matrem conſequi quartam iſtam ex bonis mariti diuiſis, licet liberos habeat, etiam diuites, à quibus ali poteſt. id enim non efficit, ne mulier inopia laborare dicatur. idemque dicendū eſt, etiam ſi à patre vel ab alio quouis alimenta

conſequi in ſubſidiũ poſſit,vt tradit Menoch. *Conſ.433.& 505.in fine* q̃ humana ſententia eſt, & Iuſtiniani conſtitutioni cõueniens Poſtremo,dicta Auth. definit, quidnã vxori in illam quartã ab inteſtato ei debitam cõputari debeat?& Imperator illic ait;ſi quod legatum aut fideicõmiſſum vxori à marito ſit relictũ,id vxori in quartã imputandũ eſſe,ſicut filio etiam in quartã legitimam imputatur quodcunq; ei teſtamẽto pater reliquerit.*l. omnimodo. & l.quoniã. C.de inoff.teſtam.*Hoc loco opponitur *l.vn. §.ſciendum. C.de rei vx.act.* vbi legatum vxori à marito relictũ non imputatur ei in dotẽ, quæ ipſi reſtitui ab heredib.mariti debet;quia videtur maritus & dotẽ eã habere voluiſſe, & præterea legatũ: præſertim ſi nihil nominatim expreſſerit de iſta cõpenſatione,id eſt,vt vxor dotem ſuã cum legato compenſaret ,nec eam peteret. verum hæc obiectio & ſimiles aliæ , de quibus DD. mirè inter ſe digladiantur,vna reſponſione tolli poſſunt, in hac quidem quæſtione noſtra;nimirum,quod vir in illa quarta parte,quã dicta Auth.ex eius bonis vxori inopi tribuit,nõ eſt vxoris debitor vllo modo,neq; enim id vſpiam ſcriptũ eſt;maritũ teneri ſi nolit, relinquere aliquid vxori ſuę;ſed hoc duntaxat cautum eſt dicta Auth.ſi maritus ſine teſtaměnto deceſſerit vt quarta pars eius bonorum vxori detur. At dicta *l.vn.§.ſciendum.*loquitur de dote quæ omnino vxori reſtitui debet, & in qua maritus eſt verus vxoris debitor, ſiue teſtatus deceſſerit, ſiue inteſtatus,toto tit. *ſolut. matr.* imò & pater ipſe eſt filię in dote

de-

…tor, tenetur enim eam pater dotare & …dé cogi per magiſtratum. *l. capite. D. de rit. nupt. l. vlt. C. de dot. promiſſ.* Et ſimiliter Martia…lib. 7. in Ollum, ad quem cum alia pertinere …, tum etiam hoc: *dotē iam grandis filia poſcit.* Quin mortuo patre dos filiæ in legitimā imputatur *d. l. quoniam.* Ineptè igitur, & ſuperuacuo ad hanc quæſtionē diſſoluendā in d. Auth. affertur à DD. illa diſtinctio vtrū teſtator, vel defunctus fuerit debitor neceſſarius an volūtarius? Et hæc queſtio ſiue diſtinctio in articulis aliis valet, non in noſtro caſu, in quo vt dixi, maritus nullo modo eſt debitor vxoris ſuæ.

CAPVT VI.

Si maritum occidiſſe, vel adulterium commiſiſſe dicatur.

PRimum dicemus, ſi vidua maritū veneno vel aliter necaſſe arguatur: in quo ita ius …, vt mariti heres non ſolum poſſit, ſed etiam debeat eam accuſare; debet. n. omnis heres ne… defuncti vlciſci, à quocunq; tandem occiſus … dicatur. alioquin hereditas ei tamquā in…gno eripitur, & fiſco vindicatur. *l. cū fiſco. l. ſi …ens. D. ad SC. Silan. l. ſi ea. & l. cum fratre. … quibus. vt in dign. l. heredem. D. eod.* Multò … magis ſi vxor ipſa necaſſe dicatur, vel c… conſilium participaſſe. Et rectè apud vete… Gallos, *cum paterfamilias illuſtriori loco na… deceſſerit, eius propinqui conueniunt,* inquit … lib. VI: *& de morte ſi res in ſuſpicionem … de vxoribus in ſeruilem modum quæſti…*

onem habent; *& ſi compertum eſt, igni atque omnibus tormentis excruciatas interficiunt*. Iure ciuili ex Senatuſcõſulto Silaniano quæſtio de familia, id eſt, de ſeruis occiſi haberi iubetur. Igitur vxor, quæ maritum necauit lucris omnibus à marito perceptis priuatur, etiam rebus donatis ei inter viuos. quæ tamen non debent prius ei eripi, niſi de veneficio accuſata & conuicta fuerit. *l. ſi maritus. C. de don. int. vir. & vx.* Similiterque, vir vxorem occidens dote priuatur. *l. ſi ab hoſtibus. D. ſolut. matr.* niſi legitima occidendi cauſſa fuerit, puta, ſi in adulterio domi ſuæ eam deprehenderit, argumento *d. l. ſi ab hoſtibus*. ibi: *Ob facinus ſuum, &c.* non eſt enim facinus, vel delictum, quod legis permiſſu fit. *l. Gracchus. C. ad L. Iul. de adult.* Quod attinet ad adulterium, conſtat non ſolum nuptam ſoluto per diuortium matrimonio à marito aliisque accuſari poſſe, ſed etiam viduam; ſi tamen accuſandi tempus non effluxerit. *l. ſi mariti. §. ſex menſium. D. ad L. Iul. de adult.* Eſt autem legitimum tempus adulterii accuſationi præſcriptũ quinquennium continuum. *l. adulter. C. eod.* In adultera verò ſex menſes vtiles, iiq; in nupta quidem computantur à tempore facti diuortii, in vidua à tempore commiſſi criminis. *d. l. ſi mariti. & l. 1. §. accuſationem. D. ad SC. Turpil. gloſſ. in d. l. adulter.* Sed hæ præſcriptiones temporis locũ habent in accuſatione, id eſt, ſi reus reaue adulterii accuſetur: quod ſi in alio iudicio per exceptionẽ ei obiiciatur adulterium puta, mulieri dotẽ repetenti, nulla pſcriptione

tempo-

ãptis ſe tueri poteſt; ſed exceptio ppetua eſt, vt rectè aduerſus Bartolum pleriq; omnes ſentiunt, teſte Alexandro *in l. cum mulier. queſt. 3. D. ſolut. matr.* Eſt .n. illud in iure noſtro vulgatum, quæ ad agendum temporalia ſunt, ea eſſe ad excipiēdū perpetua, veluti actio doli eſt annua, ſed exceptio doli eſt perpetua. Et ratio eſt, quia in poteſtate rei non eſt quando conueniatur, ſed eſt in poteſtate actoris quãdo agat. *l. 4. D. de dol. mal. except.* Nunc de pœnis videamus. & primum de marito. deinde de heredibus eius. Igitur ſi maritus agit, vel viuo eo alius adulterii mulierē accuſet, ac damnet; mulier non ſolum lucra nuptialia, puta, donationē propter nuptias, amittit. *l. cōſenſu §. fin. C. de repud. Nou. de nup. 22. §. & rurſus. Nou. vt liceat matri, &c. 117. c 8. c. plerūq;. Extr. de don. int. vir. & vx.* Sed etiã dotem ſuã totam; olim partem antū *l. miles. § ſocer. D. ad L. Iul. de adult. l. cū mulier. D. ſol. matr.* Vlpian⁹ in fragmētis titulor, Neque ob adulterium ſolum, ſed etiam ob aliam culpam, ob quam factum ſit diuortium, *d. l. conſenſu. d. l. vlt. C ad L. Iul. de adul.* & dictis *Nouell. & Nou. 134.* antiquis temporibus mulctabatur dote, ſi vinum bibiſſet, quod ex eo impudicitia argueretur, vel propter ſeueritatē eius ſeculi & verecundiã. Ideoq; receptum fuit, cum domus claues maritus vxori daret, ſolas claues cellæ vinariç ſibi retineret in loculis depoſitas, quos reſignare nefas erat vxori, teſtib. *Plinio lib. 14. c. 13. & Tertulliano in Apologetico.* Et hodie etiã propter oſculum alii quã marito datū, dote multari poſſe, Bald⁹ ſcribit, ſed male

in c.tua extr.de procurat. Quod ſi doté nullam dederit, tum quarta ſuorum bonorum parte mulctatur, eademq; in viro locum habent, ſi eius culpâ diuortiũm factũ ſit, itaq; & eâdẽ bonorum parte priuatur, ſi nullã donationẽ propter nuptias dederit. *l.vlt.C. de repud.* Atq; hęc ita quidẽ ſunt, ſi liberi non extent; ꝙ ſi extent, tũc maritus qui dotẽ lucrat⁹ eſt, vſũfructũ dũtaxat habet, liberi dominium. *d.l.conſenſu.in fin. & d.Nou.*117.nec refert ciuiliter actum ſit, an etiã criminaliter. Doctores aũt, cum criminaliter actũ de adultera eſt, & liberi ac parentes non extant, nõ marito, ſed monaſterio in quod adultera detruditur, applicari ſubſtantiam vnâ cum dote volunt, ex dicta *Nou.*134. *c.*10.*gloſſ. & alibi in Auth. Sed hodie. C.ad L. Iul.de adult.* Sed de dote falſum eſt, quod aiunt. ea. n. marito ſeruãda eſt. arg. *d. Nou. & d. Auth.* vbi dos à reliqua mariti ſubſtãtia ſeparatur. Et quod ait, iuſta pacta dotalia ſeruari marito debere. non habet hũc ſenſum, quaſi niſi pactio interuenerit, maritus dotẽ non lucretur, ſed vt ita lucretur, ſicut in pacto dotali conuentũ eſt; nec dos proprie dicitur ſubſtantia vxoris, cũ ſit in mariti bonis imò etiam dominio. *l.dotis.*7.*§.*4. *D.de iur.dot.l.quoties.C. eod. tit. l. dote. C.de rei vind.* Conſtitutionib. Imperatorũ, ſi liberi nõ extarent, mariti adulteri bona fiſco vindicabantur, donatione ꝑpter nuptias vxori cõſeruata, quas leges confirmat Iuſtinianus in *d. Nou.* 117.*c.*8. De paraphernis autẽ magna quæſtio eſt inter DD. an ea quoque adultera mulier amittat? & cõmunior eſt eorũ opinio, teſte *Iul. Clar. lib.*5.
ſent.

ulteriũ, amittere, ſecuti ſunt gloſs. *in d.*
§. in verb. dotalitio. ſed ab ea receſsêre
ni viri, & rectè; argumẽto *d. Nou.* 117.
etiã; quia nullibi hoc de paraphernis
utum eſt; nec debẽt legũ pœnæ inter-
ne exaſperari, & augeri, ſed potius leni-
poteſt. *l. cum quidã D. de lib. & poſth. l.*
e pœn. & eleganter D. Marcus; heredẽ
bet funerari ab eo, quẽ teſtator elege-
ion rectè eũ facere, ſed pœnã tamen in
tã non eſſe, contentus Imperator fuit,
rectè facere eũ diceret, vt olim in lege
de ꝓuocatione, ſi quis ciuem Roma-
ſſet, ac verberaſſet, nulla pœna adiecta
terquã quod improbè factũ diceretur,
uio, qui addit; Hoc ſatis validũ vinculũ
um fuiſſe, vt tũ pudor hominũ erat. D.
lud reſcriptum extat *l.* 14. *D. de relig. &*
uner. Poſtremò ſciendũ eſt, ꝙ de marito
s, etiã de ſocero conſtitutũ eſſe, vt vide-
ſſit nurꝰ adulteræ dotẽ lucrari, ſi eã ad-
accuſauerit, atq; peregerit. Sed ſi ab ac-
ne deſtiterit, & lucrũ dotis ciuili actione
t, quaſi culpa mulieris dirẽto matrimo-
pellẽdus eſt, qui cõmodũ dotis vindictæ
uæ ꝑponere nõ erubuit, vt ait Papinia-
d. l. miles. § . ſocer. Atq; hæc de marito, &
io facto. Nũc de heredib. mariti cogno-
de quib. ita ſcriptũ eſt *in l. rei iudicatæ. §.* 1
matr. morũ coercitionẽ eos non habere.
vt intelligat; eſt. n. res valde ꝑplexa, nec
Interpretib. explicata; ſciendũ eſt fuiſſe
idiciũ de morib. inter cõiuges, ſed ꝑcipuè

viri cõtra vxorẽ;quo iudicio marit⁹ dote vel dotis parte vxorẽ multabat ob mores vel grauiores,vt eſt adulteriũ, vel leuiores alios;nec ſolũ actio ob id data fuit,ſed etiã retentio dotis ſiue partiũ nunc ſextarũ, nunc octauarũ, vt docet Vlpianus in fragment.titul.de dotib.Sed Iuſtinianus vtrumque ſuſtulit, & retentionem ob mores. *l.vn.§.ſileat. C.de rei vx. act.* & actionẽ ſiue iudicium ipſum de morib.*l.vl.C.de repud. & iudicio de morib.ſublato.* Quare miratur Frac. Balduinus *lib.* 1.*Iuſtiniani pag.*45.*& lib.*2.*p.*11. tot eius iuris veſtigia in Pandectis relicta eſſe. Ideò aũt ſe ea ſuſtuliſſe Iuſtin.teſtatur, quia ſit aliud cõmodius auxilium cõſtitutionib.introductũ,puta Theodoſii,qui cauit vt diuortio ex iuſta cauſa vel culpa mulieris facto marit⁹ dotẽ retineat aut vindicet.*l.conſenſu.C.de repud.* Idẽ, quia actio iſta de morib. erat quædã particula actionis rei vxoriæ, quã vniuerſam Iuſtinianus ſuſtulit,ſuffecta cõmodiore actione ex ſtipulatu.*d.l.vn.de rei vx.act.* Quæ igitur diximus in Pandectis extare adhuc loca,de hac retentione,vel de lucro dotis ob malos mores vxoris, ea adcõmodanda ſunt ad nouas Iuſtiniani cõſtitutiones,vel etiam iam antea à Triboniano adcommodata fuerunt.*l.miles.§.ſocer.D.ad L. Iul.de adult.l.*13.*§.index. D.eod.l.viro.& l.cum mulier.D.ſolut.matr.l. Lucius.eod.l.*5.*D.de pact.dot.* Fuit autem hoc iudicium non publicum & criminale,ſed priuatũ & ciuile, vtpote quod propter dotẽ inſtitueretur; neq; obſtat *d.l.*5.*D.de pact.dot.* vbi appellatur publica coercitio. nã publica ideo dicitur,vel q̃a publicè inter-

ſt, delicta noſci & puniri; vel quia pactio
in priuatis quidem rebus valent, quibus
d delinquendum inuitatur, tanquam cō-
nos mores & publicam diſciplinam: pu-
quis depoſiti agat ob dolū. *l. ſi vnus. §. pa-
D. de pact.* vel, vt eſt in *d. l.* 5. ne de mori-
alis agatur. Tertullian⁹ libro 4. aduerſus
ionem: *Diſciplina intereſt iniuriam vindi-
Metu enim vltionis omnis iniquitas refre-*
. quod ita retulit, Publice intereſt, pœnas
n metui. Non obſtat etiam, quod hæc a-
icitur accuſatio. *d. l. viro. & d. l. cum muli-*
oc enim ideo dicitur, quia mores accu-
r, licet ciuili iudicio & priuato; ſicut ac-
io tutoris, & inofficioſi teſtamēti dicitur.
conſtat priuatas eſſe actiones, non crimi-
accuſationes. Non ſolū aūt iudicium hoc
ra vxorem, ſed etiam contra virum cōſti-
m eſt; deniq; in eo iudex pronunciabat, v-
culpa diſſidium factum eſſet, vt ex ſupra
atis legibus apparet, & Quintiliano, lib. 7.
Pœna autem mariti hæc erat, vt dotem co-
tur vxori repræſentare cum fructibus qua-
nii, vel eam reddere ſexto menſe à die re-
, vt expœnit dicto loco Vlpianus. Similiter
die ex d. l. Theodoſii, & aliis Iuſtiniāi cauſ-
uortii, & culpa inquiritur pariter in vtroq;.
ulier dote, marit⁹ donatione propter nu-
s mulctatur, vt ſupra docui. Quod ſi vterq;
ſſam dederit, neutrū contra alterum vindi-
, ſed mutua cōpenſatione delicta iſta pen-
placuit. *d. l. viro.* idemque ius eſt ſi maritus
lè viuendo vxori non præiuit exemplo. *dd.*

*ll.D.ad l.Iul.de adu.*Nũc ad heredes mariti tedeam⁹. coercitionẽ igitur morũ,hoc eſt, actionẽ vel retẽtionẽ dotis ob mores vxoris nõ habent.*d, l.rei iudicatæ.l.*1*.C.TH. de dot.cũ ſimil.*Et ratio eſt optima,quia licet ſit de re pecuniaria & priuata,tamen eſt actio merè pœnalis; cuiuſmodi actiones non dantur heredibus, nec cõtra heredes,niſi lite cum defuncto conteſtata.qualis eſt inprimis iniuriarum actio, cui aliæ ſimiles multæ sũt in iure noſtro,velut actio inofficioſi teſtamenti, actio ex edicto prætoris de in ius vocando,aduerſus liberos vel libertos.*l.pen D. de in ius voc.*actio hęc de moribus,quę ideò dicitur in Scholis Rhetorum actio malæ tractationis,teſte eodem Quintiliano. Actio ingrati,eaque varia, donatoris contra donatarium, parentis contra liberos, patroni contra libertos,domini contra vaſallum.quæ omnes actiones iniuriam, ingrati animi vitium, & vindictam perſequi dicuntur , ideoque heredibus non dantur, & diſſimulatione facilè abolẽtur. *l. non ſolũ* §.1.*D.de iniur.l.*2.§.*emancipatus.D. de collat bonor.l ſi eum* §.2.*D.de caut.l.Papinianus.*8.*D.de inoff. teſt.l.omnimodo. C.eod.l.vlt.C. de reuocand. donat.l. qui manumittuntur. C.de oper. libert. l. liberti. C. de libert. c.*1.§ *.inſuper. de prohib. feud. alien.* Et clarè de hac actione de moribus Imperator Conſtantinus in *d.l.*1. *C.TH. de dotib. Vltra perſonam, inquit, extendi non poteſt nec in heredem habetur, nec tribuetur heredi. Odioſa enim hæc iudicia ſunt, quæ ad vindictam quandam comparata videntur, ideoq́ ad heredẽ non tranſeunt.* Sed illud hîc quæritur,

n ſalt ē eo caſu heredi mariti detur, ſi ma-
efunct⁹ ignorauerit talia vxoris delicta,
q; malos? videtur enim, ſi ſciuiſſet, non
liſſimulaturus. *l. vtilitatē D. de cōfir. tutor.*
is quā præſumitur renunciaſſe iuri, quod
petere ignorauit. *l. mater. D. de inoff. teſtā.*
e plerique DD. ſic exiſtimāt, actionē hoc
eredi dari, vel poſſe ab eo adulterium vi-
diici, vt patet latè ex additionibus ad Bar-
n *d. l. rei iudicatæ.* & ad Angelum Aretinū
ctat. maleficiorum, tit. de adult. Sed ve-
mnino eſt, ne hoc quidē caſu actionem
li dari vel retentionē, vt benè Duarenus
t ad *d. l. rei iudicata.* & cōſuluit antea Bald.
itq; in *l. cū mulier. D. ſolut. matr.* Idq; ideò,
nō ſolum præſumta defuncti voluntas, q̃
nus ratio legis eſt; q̃ lex actionē negat, ſed
mis, odiū iſtius iudicii. quare nec actio in-
rū heredi cōpetit, licet defunctū eā remi-
non appareat. *d. l. non ſolū. & paſſ. D. de in-*
uius iudicii de morib. odiū vel ex eo quoq;
ime apparet, ꝙ eo iudicio ciuili victus nō
t actionē criminalē de eadē re intētare. cū
ſit regula iuris: actionē ciuilē criminali nō
licare. *l. 1. C. TH. victū ciuiliter agere crimi-*
er nō poſſe. Magis probo ſententiā illā, cum
DD. diſtinguunt vtrū maritus adprobaue-
xoris mores, an queſtus de iis fuerit; vt hoc
heres obiicere poſſit mulieri adulteriū, &
ē retinere ac lucrari. cōtra ſi marit⁹ diſſimu-
it, id eſt, nec criminaliter nec ciuiliter egit,
vindicare adulterā tētauit, aut queſtus eſt,
umento *l. 1. §. vlt. D. ad SC. Silan.* Et ita ſen-

tiunt Angelus,Dynus,& alii in *d. l.rei iudicatæ.* Baldus Conſil. incip. *Si.uxor reſedit.* Iacob. de Bellouiſo in *Nou.vt lic.matri vel auiæ.* §.*ſi vero plurimas.* idem Baldus & Salicet. *in. l. fin. C. de adult.* Et Andr. de Iſernia *in c.* 1. §. *porrò.tit. quæ fuit prim. cauſſ. benefic. amitt. in vſib.feud.* vbi ait; ſi vaſallus offendat dominum, vel feloniam commiſerit, & dominus in vita non fuerit conqueſtus,nec eum inquietauerit, heredem domini non poſſe agere, vt is feudo priuetur.quo priuaretur,ſi eſſet dominus conqueſtus. Allegat etiã *l.fin. C. de reuoc. donat.* & *d.l.omnimodo.* & *ibi gloſſ. C.de inoff. teſt.* & *l.non tantũ* §.*ſi emancipatus. D.de bon.poſſ.contr.tabb.* Denique in hac quæſtione plerunque locum habet.vt docuit, dicta ſententia *l. rei iudicatæ,* & illa Quintiliani declamatione 330. *Mariti, inquit, mores excutiant: mariti ſeueritatem deſiderent; liberis ſatis eſt quod nati ſunt.* Ergò heredibus quibuſuis ſatis eſſe debet, quod heredes ſint. Nec ſolum actio de moribus vetus illa, quã ſublatam ſupra diximus, heredi non dabitur, ſed nec alia vlla ciuilis, quæ legibus vel morib. hodie marito ipſi datur ob mores mulieris, cum ſit eadem plane ratio in his actionibus denegandis, quæ fuit in illa veteri denegand. Lege enim ſublata, ſæpe tamen manet & viget ratio legis; adeoque ex illa ratione argumentari licet, vt notatur ad tit. *Inſtit. de l. Canin. toll.* Sola actio ingrati aduerſus libertos datur non ſolum patrono,ſed etiam patroni filio heredi proximo,non autem alii; nõ, inquam, extraneo ſucceſſori,vt perperam Hoto-

tomānus ſcribit in *d.l.vlt.C.de reuoc.don.* refelliturque ex *l. ſciendum* 70. & ibi Cuiacius. *D. de verb. ſig.l.pen. C. de libert. & liber.* Facit, quod Bald.conſ. LXXXVIII. vol. 1. tradit, quod dicitur heredē mariti poſſe adulterium viduæ obiicere, id in herede extraneo vel ſingulari ſucceſſore locum non habere. Sed hoc ius ſingulare fuit in odium ſceleris libertorum lege Ælia Sentia inductum. qui datæ ſibi libertatis immemores nequitiā receperint ſeruilis ingenii, vt ait *d.l.pen.in fin.* Ideoque in ſeruitutem retrahi debent, ſicut liberi emancipati ob iniuriam patri atrocem illatam, in poteſtatem redigi poſſunt tanquam ingrati, itemq; exheredari. *l.vn.C.TH.de ingrat.lib.Nou.*115. *c.aliud quoque.* Atque hæc de marito eiuſque heredibus. De vxoris autem heredibus, certū eſt eos nō poſſe de moribus mariti agere, cum nec ipſi vxori id cōcedatur in maritum viuum. *l.1.C.ad L.Iul.de adult.* Sicut olim marito licebat vxorem adulteram in adulterio deprehenſam occidere; vxor autem ſi maritum deprehēdiſſet, digito eum nō auderet attingere; vt inquit Cato. At vice verſa maritus poteſt agere contra vxoris adulteræ heredes vtiq; quidem; ad retinendam dotem præſertim, ſi ea viua accuſatio vel querela fuerit inchoata, eaque pendente iudicio deceſſerit. *l. vlt. & ibi gloſs. C. ad L.Iul.de adul.*

CAPVT VII.

Si vidua peccauerit.

HÆc de delictis, quæ admiſiſſe conſtante matrimonio mulier dicitur. Nunc viden-

dum,quid iuris ſit,ſi in ipſa viduitate peccet, id eſt,impudice viuat,vt iuniores pſertim ſolent, vnde Cicero in orat. pro Cœlio: *ſi vidua liberè* inquit,*vixerit*. Et Chryſoſtom. *homil.13.in epiſt.1.ad Timoth. Plurimæ*,inquit, *idcirco viduitatem eligunt*, *non vt laxioris vitæ occaſiones amputent*, *ſed vt eas magis incendant*, *vt maiori cum licentia omnia gerant,liberiusq́; ſe voluptatibus tradant.* Et Agathius poeta. χήρη ἔχει πάνδημον ἔρωτα. Quæritur ergo ſi vidua ſtupro ſe polluat,an heredes mariti poſſint contra eam agere, vel dote eam priuare. Qua de re celebratur inprimis Pauli Caſtrenſis deciſio in *l. ſororem. C. de his quib. vt indign.* & *l. fideicommiſſum. C. de fideicom.* viduam amittere dotem ob ſtuprum, ſicut amitteret ob adulterium conſtante matrimonio, quaſi eadem & par ſit offenſio & iniuria in maritum. eamque ſententiam plurimi ſequuntur, quos refert Arius Pinellus *in l. vlt. n.9. C. de bon. mat.* adeò quidem vt communis à Boerio dicatur opinio, *deciſ.* 338. Sed contrarium probare ait paucos, quos itidem allegat,id eſt,vt vidua dotem ob hanc cauſſam nō amittat.& hæc ſententia veriſſima eſt, probaturque per *Nou. de reſtit.* & *ea quæ parit XI. menſe. §. fin.* cùm enim ibi vidua ob ſtuprum puniatur tantum in amiſsione lucri, quod ex bonis viri erat habitura; nullo modo in dotis amiſſionem extendi debet, cum pœnas legum potius molliri interpretatione, quam exaſperari deceat, vt ſupra docui. Accedit etiam ratio; quia in viduam impunè ſtuprum committitur. *l. ſi vxor. 13. D. ad L. Iul. de adult.*

Et

Et inſania eſt, comparare adulterium ab vxore commiſſum cum ſtupro viduæ. Non obſtat, quod vidua frui dicatur dignitate & priuilegio, vt vxor fruebatur. Hæc enim in fauorem viduę inducta non debent contra ipſam retorqueri. *l. quod fauore. C. de legib.* præſertim in alia & diuerſa cauſſa, & quidem vt dote ſua mulctetur. Non obſtat etiam exemplum vaſalli, qui ſi in viduam defuncti peccet, priuatur feudo. nam primum nullus depromitur ex iure feudali textus, qui hanc cauſſam amittendi feudi probet. ſed DD. extendunt ad viduam Domini quod eo iure de vxore cautum eſt. *c.* 1. §. *idem ſi fidelis. qui b. mod. feud. amit.* quæ extẽſiones totum ius ciuile nobis perturbant, neq; alibi grauius peccatur ab interpretibus, quam iſta legũ extendendarum licentia, vt præclare ait Viglius in §. *vlt. Inſt. de inoff. teſtam.* Imò hæc DD. extenſio refellitur ipſa lege feudali, qua expreſſum eſt, ita priuari feudo, qui concubuit cũ vxore domini, ſi hoc domino viuente fecerit *c.* 2. *de feud. ſine culp. non amitt.* deinde nituntur falſa ratione ducta ex *l. vlt. C. de bon. mat.* & *l. fœmina. D. de ſenator.* & *ſimil.* de qua ſupra dixi. Tertio, etiamſi id in vaſallo concederemus & in vidua ſenioris, tamen in eo ratio grauior eſt, quam in aliis hominibus. quia vaſallus quodam ſeruitutis vinculo aſtrictus eſt ſeniori ſuo. Quare etiã ob turpem luſum, imò & ob oſculum volunt viduæ ſenioris datum priuari vaſallum ſuo feudo. Alc. 4. *Parer.* 10. Menoch. *lib.* 2. *arbitr. quæſt. centur.* 3. *caſ.* 267.. ſicut olim occiſ⁹ à patrono libert⁹ fuit, ob oſculũ filię ma-

turę datũ quã literas docebat, teſte Valer. Maximo lib. 6. c. 1. multaq; alia vindicantur in vaſallo etiã ob filiã, & ſororẽ ſenioris, *d. tit quib. mod. feud. amitt.* Quæ in aliis non item vindicantur. Denique hoc eorum argumentum eſt de pœna, non viduę, de qua nos agimus; ſed eius, qui viduę ſtuprum obtulit. Atque ita ſentio, & in hac quoque ſententia etiam quod ad vaſallum attinet, Baldus fuit in *c. 1. d. tit. de feud. ſine culp. non amitt.* Et Raynucius *in c. 1. §. fin. de prohib. alien. per Fridericum.* Et ita iudicari etiam atque obſeruari conſuetudine Pinellus dicto loco teſtatur, repudiata quorundam diſtinctione inter eam quæ peccat intra annum luctus, & eam quæ poſt annum. Quæ diſtinctio etiam refellitur. *d. Nou. de reſtit. & ea quæ par. &c.* vbi non priuatur dote vidua, licet intra annum luctus ſe ſtupro polluerit. Atque hæc ita de dote. Sed an mulctabitur talis vidua donatione propter nuptias aliisque lucris à marito perceptis? Et DD. quidem non dubitant id affirmare, cum pleriq; etiam idem in dote ſtatuerint, in qua minus id valere debebat, cũ dos ſit ipſius mulieris. At donatio propter nuptias ſit à viro profecta. Et in hanc ſententiam videtur expreſſa *d. Nou. de reſtit.* nec dubium in ea eſt, quæ poſt mortem mariti intra vndecimum parit mẽſem, de hac enim ſola cauet dicta Cõſtitutio, eique pœnas omnes iniungit, quę ſunt propoſitæ iis mulieribus, quæ nubunt intra tẽpus luctus. In ſuis igitur terminis ea Conſtitutio accipi debet, non autem dilatari, cum ſit odioſa, & noua. Ex quo colligendum eſt, ſi anno

luctus

luctus exacto pariat non debere eam puniri, vel priuari lucris nuptialibus. Et ratio differentię manifeſta eſt, quia intra luctus tēpus peccās intelligitur in matrimonio peccauiſſe. Et vt Iuſtinianus ipſe loquitur, καὶ ὅτι περιόντος ἀνδρὸς τὸ μὴ σωφρονεῖν ἀπιοῦσα. Vnde regulā vulgo ſumunt de præſenti in præteritum præſumi, quam explicat Alciatus 2. *præſumpt.* 26. Et quod intemperantiſſimæ libidinis ſit, quæ tam cito peccat à morte viri, & quod maiorem iniuriam cinerib. mariti faciat. Videtur enim intra tale tempus luctus nupta eſſe ea, quæ ad alteras nuptias ire prohibetur. Quæ de donatione propter nuptias, eadem & de hæreditatibus, & legatis, & mortis cauſa donationibus à viro vxori relictis. Quid ni cum etiam ea quæ legitime nubit, ſi intra annum luctus id faciat, iis omnibus lucris priuetur; nec debet impudicitia meliori eſſe conditione, quam caſtitas, vt eſt in *d. Nou. de reſtit. & l. 3. §. 1. D. de donat. int. vir. & vx*. De donationibus autem ſimplicibus idem videtur dicendum, ex *l. res vxoris. C. de donat. int. vir. & vx.* vbi dicitur eas pudicitiæ præmio cedere. Sed contra verius eſt non adimi eas tali viduę impudicę, quia *l. 1. C. de ſec. nupt.* Omnia enumerans lucra, has donationes ſimplices nō nominat. Et ita ibi Adcurſius eam l. interpretatur, vt ſcilicet talibus donationibus nō mulctetur mulier intra annum luctus nubens. Neq; obſtat. *d. l. res vxoris*: quia ait; *ceſſit*, non autem, *cedit*. Et ita de pudicitia viuo marito ſeruata loquitur; vt hoc ſufficiat ad tales donatio-

nes obtinendas. De dotalitio, ſiue donario, vt vocant, magis exiſtimem adimi poſſe viduæ, ſi impudicè viuat. Idque tum ea ratione; quia ſit ſpecies quædam donationis propter nuptias à Francis primum reperta, licet & Græci poſterioribus temporibus ſimile quiddã habuerint, ꝙ ὑπόβολον appellant. Et quia nominatim tale dotalitium conſtituitur in caſum, & tẽpus viduitatis, vt ſcilicet inde vidua ſeſe alat; & plerumq; eſt tantum vſusfructus prædii, non itẽ dominium. Poſtremò nõ omittam admonere, defendi poſſe, viduam etiam intra annum luctus impudicè viuentem nõ priuari donationib. propter nuptias aliisq; lucris à marito perceptis, niſi etiam & partus accedat; Ita.n.eſt. *d. Nou. de reſtit.* nõ de quauis impudica, ſed de ea, q̃ peperit; Et quidẽ vt certum ſit, eam ex marito non concepiſſe. neq; odio ſolum matris, ſed huius etiam fœtus ſe motũ eſſe ad eas pœnas cõſtituendas apertè ſignificat Iuſtinianus cũ in tota illa cõſtitutione, quã vt dixi, de hac ſola ſpecie nominatim ſcripſit. Vnde ait, *hoc caſu* &c. tũ in verbis illis: vbi hunc filiũ πάντων ἀσεβέστατον appellat, omnium ſceleratiſſimum. aitq; ex tali partu indubitatam & manifeſti delicti probationẽ factam eſſe; ideoq; eam ſic puniendam eſſe; quæ certè non habent locum in ea, quæ nõ peperit, imò nec palã peccat. Eodemq; pertinet & illa ratio in eadẽ Nouella, cum ait; liberos in matrimonio ſuſceptos tã admirabili matris partu iniuria affectos patris donationes repetere. Ex quo etiam d. Nou ſic reſtringenda videtur, vt nõ ſit iis pœnis locus, niſi extent legitimi liberi.

Deni-

Deniq. in ea, quæ tali tempore peperit, ſic puniẽda, illa inprimis valuiſſe ratio mihi videtur, quod timendum ſit, ne talẽ mulier partum ex marito ſe cõcepiſſe mentiri poſſit, vt ſæpe fieri ſolet, licet in ſpecie illa Iuſtin. propoſita mulier confeſſa fuerit, ſe non ex marito cõcepiſſe, ſed vt aiebat φυσικῆς ἐπιθυμίας πάρεργον fuiſſe. Neque obſtat noſtræ huic interpretationi ratio in fin. d. Nou. poſita; ne meliori conditione impudicitia ſit, quam caſtitas, 1. nuptiæ ſecundæ. quia ea ratio adcommodarj ad ſpeciem & deciſionẽ eius debet, ſicut & eadem prope ratio ſcripta in *l. his ſolis. C. de reuoc. don.* adcommodanda eſt ad donationes reuocandas, de quib. illic loquitur, vt infrà exponemus. Quod autem Iuſtinianus pro manifeſto & indubitato dicit eã quę vndecimo menſe parit, nõ parere ex marito, id Cuiacius intelligit ſi ſub finem XI. menſis pariat; contrà autem eſſe, ſi ſub initium; eſſe. n. hunc partum iuſtum ex Adriani quodam decreto, ꝙ refert Gellius lib. 3. Sed Iuſtinianus ordinarium naturæ curſum ſecutus eſt, & id quod plerumq; accidere ſolet, vt legiſlatorum mos eſt. *l. nam ad ea & l. ſeq. D. de leg.* qua de re, id eſt, de variis pariendi temporibus ſcripſere doctiſſimi viri, vt Speronius Lingua Italica, & nuper Horatius Augenius, & Alb. Gentilis, ille ciuis, hic pater meus.

CAPVT VIII.

De ſecundis nuptiis, ſine culpa contractis.

HActenus de ea, quæ diréto matrimonio

vidua manet,idemque de viro,qui ad alias nuptias non tranſit.Nunc de ſecundis nuptiis exponendum eſt, quas conſtat vel culpa aliqua contrahi,vel ſine vlla culpa.Culpa contrahuntur variis modis, veluti ſi mulier intra annum luctus nubat;ſi non petito liberis impuberibus tutore,ſi cõtra voluntatẽ defuncti, quod tamẽ Iuſtinian⁹ ſuſtulit,vt ſuo loco de omnib. videbim⁹. poſſunt aũt ad duo ſumma genera referri ,feſtinantiam,vt loquuntur,& non ſeruatam liberis adfectionẽ,ſiue immaturitatem , & intemperantiam.Immaturitas eſt;ſi intra annum luctus nubat.Intemperantia ſi poſt annum luctus,ſed exiſtentibus liberis.Sine culpa autem cõtrahuntur,quæ & poſt annũ luctus,& nullis extantibus ex priori matrimonio liberis cõtrahuntur.Atq; huiuſmodi ſecundis nuptiis nullã iure ciuili pœnam propoſitam video , tametſi quædã incõmoda eas quoque ſequantur, qualia hæc obſeruaui.I. quod huiuſmodi ſecundæ nuptię potius permiſſæ Chriſtianis eſſe dicuntur,quã legitimæ;de quibus ita Chryſoſtomus homil.VII in II.Paul.ad Timoth.de amicis defunctorum loquens, qui viduas filiasque eorum tuentur ac diligunt ; *Audiant*, inquit, *iſtæ mulieres maxime quæ appetunt ſecundas nuptias, ac defuncti viri maculant thorum,quæq; priorem dilexerunt virum.non iſtud nunc loquor*, inquit, *quod ſecundas prohibeã nuptias, aut immũdas eſſe putẽ;neq;.n.permittit hoc Paulus,qui ori meo frænũ impoſui,dicens,I.ad Corinth.VII.ſi autẽ nupſerit,non peccauit. Cæterũ beatior erit ſi ſic permanſerit*.Idẽ homil.II in epiſt.ad Titum; *Noſtis*,inquit,

quit *profectò omnes, quod etſi per leges (Romanas,)ſecundæ nuptiæ permittuntur; multis tamen ea res accuſationibus patet.* permittūt, inquit; quaſi dicat, non plane probant aut iubēt. Quo modo Tertullianus in lib. de Monogam. *Poſſum,* inquit, *contendere, non merè bonum eſſe, quod permittitur. Quod enim merè bonum eſt, id non permittitur, ſed vltrò licet. Permiſſio habet aliquando cauſſam etiā neceſſitatis,* intelligit neceſſitatem, id eſt, hominum incontinentiam, vt idem Chryſoſtom. homil. XIX. in Matthæū, hac de cauſſa nō permitti à Paulo ſecundas nuptias, ſed iuberi 1. Timoth. v. Atq; hac ratione etiam præcipi ſecūdas nuptias ab Apoſtolis ait, non ſolū permitti. Sed miſſis ſanctis Patribus, ex quibus multi ſecūdas nuptias planè improbarunt, vt Tertullianus, vt Ambroſius, vt Nazianzenus, & idē ille Chryſoſtomus, licet verbis ſæpè eas probare videantur, quas rationib' ac ſuaſionib. tamen impugnant adcò quidem, vt Chryſoſtomus in ep. ad Timoth. hæreticos eos adpellet, qui ſecundas nuptias damnant. Cōſtat iure ciuili, eas plane pmitti & pro legitimis haberi. *tot. tit de ſec. nup. & Nou. 2.* Imò viduitas improbatur, vt apparet ex tit. *C. de indict. vid. tol.* & Vlpia. *in frag. tit.* 14. Hoc igitur primū, ꝙ ſecūdis obiici nuptiis ſolet, non pcipi eas, ſed permitti II. eſt, quod in ſecundis nuptiis vetus Eccleſia noluerit εὐλογίαν, id eſt, benedictionem ſacerdotis adhiberi. Imò presbyter qui eam adhibuit, mulctatur ab Epiſcopo, neq; ea mulcta remitti poteſt niſi à Pontifice ſummo. *c. 1. & c. 3. extr. de ſecund. nupt.* Ambroſius e-

piſt. 1. ad Corinth. *Primæ*, inquit, *nuptiæ ſunt, ſecundæ verè permiſſæ ſunt. Deniq; primæ nuptiæ ſub benedictione Dei celebrantur ſublimiter, ſecũdæ autẽ & in præſenti carent gloria.* III. eſt quod Epiſcopus ordinari bigamus non poteſt, ſicuti neq; is qui viduam in vxorẽ ducit, idq; ex Apoſtolo Paulo in ius Canonicum translatũ eſt. *c. 3. & tot. tit. extr. de digam. non ordinand.* Imò digamia & ductione viduæ tantam incurri irregularitatem ſancitũ eſt, vt aduerſus hoc crimẽ admittatur etiam teſtis Laicus & mulier. *c. tam liberis. extr. de teſtib.* IV. eſt, idq; etiã ex iure ciuili, quod mulier vidua tranſiens ad ſecundas nuptias amittit omnia priuilegia, & dignitatẽ, quã habebat ex priori viro. *l. vlt. C. de bon. mat. l. fœmina. D. de ſenator.* & ſup. docui. Illud non probo, quod Decius & quidam alii volunt, cõceſſa aliqua lege priuilegia nuptiis, propter fauorem ſcilicet matrimoniorũ, non intelligi etiam ſecundis nuptiis conceſſa oportere. Fauor enim nuptiarũ id potius exigit, & ratio. Et boues ſunt q regulã q̃ aiunt §. 1. *l. boues. D. de verb. ſig.* huc adferunt pro illa ſententia, quos vel ſola Alciati expoſitio refellit. V. eſt itidem ex iure Canonico, ſi abſens vel præſens coniux nullo certo nuncio de morte coniugis accepto, ad ſecundas nuptias conuolet, non poteſt exigere τὴν ὀφειλὴν, vt Paulus vocat, ſed interpellatus tantum reddere cogitur. *c. 2. extr. de ſecũd. nupt.* Quæ pœna imponitur & in ſpecie. *c. 4. extr. de eo qui cogn. conſang. vxoris ſuæ.* & in *c. inquiſitionem. extr. de ſent. excom. & c. 2. in fin. extr. de diuort. in ſecund. collect.* Atque hæc reperio contra

ita ſecundas nuptias, licet ſine culpa, vt dixi, contractas conſtituta eſſe, & dici. Multa plura autem & iuſtius in tertias, quartas, & deinceps dici poſſe, quas non ſolum Eccleſia Chriſtiana, & Imperatores etiam Græci nonnulli vt Leo, Nou. 90. & Porphyrogeneta Nou. 2. palam improbarunt; ſed etiam veteres ipſi Ethnici; etiam ipſi poetæ, vnde illud Martialis de quadam Theleſita, quæ decimo viro nupſerat, lib. VI. epigram. VII.

Quæ nubit toties, non nubit, adultera lege eſt;
Offendor moecha ſimpliciore minus.

hoc eſt, minus offendor ea quæ verè adultera eſt, quaſi melior ſit, & ſimplicior, quam illa quę cum toties nubat, veneficii etiam crimen, aut ſuſpicionem ſuſtinet, vt alicubi ſupra docui. Item Publius Syrus Mimographus: *Habent locum maledicti crebræ nuptiæ.* Et antea exemplum memorabile, vel potius monſtroſum retuli ex epiſt. Diui Hieronymi. Pactiones quę bigamii nomine de ſportulis dandis fiunt, Pico & Alciato improbantur. ad *l. pacta quæ. C. de Pact.* Sed & iure ciuili vir ſiue mulier, qui eam contrahit, liberis vt dixi, non extantibus, non infamiam incurrit vllam, nec pœnam ſuſtinet. Quare ſibi omnia à priore coniuge donata retinet, poſſidetque pleno iure, ſiue teſtamento vel alia vltima voluntate, ſiue inter viuos donata ſint. Nam poſt orationem Diui Antonini rigor ille iuris veteris, quo donationes inter virum & vxorem prohibentur iuſtis grauibusque de cauſſis. *l. 1. 2. D. illo titulo.* Sic mitigatus

eſt & relaxatus, vt tamen morte coniugis donatoris confirmentur, ſi eum ante mortē non pœnituiſſe donationis conſtiterit. *l. cum hic ſtatus. D. eod. tit.* Imò & quædam ab heredibus mariti mulieri præſtanda ſunt, vt alimenta, donec dos reſtituatur, vt ſup. docui. Sed & veſtes lugubres, quas etiam cum iterum nupſerit, eripere ei non poſſunt, niſi forte intra tempus luctus nupſerit. aut eas veſtes & ornamenta prematurè depoſuerit. vt ſcribit Baldus *conſil.* 418. *Quædam ſunt res. vol.* 5. multo minus ſumptus in ea facti repeti poſſunt: qui fieri debēt ab hæredibus ex bonis mariti defuncti. vt idem Bald. & Angelus docēt in *l. decreto. C. ex quibus cau. inf. non irrog.*

CAPVT IX.

Si liberi extent.

DIctum ſupra eſt, quid iuris ſit in ſecundo nubente, liberis non extantibus. Quod ſi liberi extent, quamuis ſine delicto nuptiæ ſecundæ contrahantur; tamen certis pœnis coercentur conſtitutionibus Principum. Sed cur coercentur? neq; enim eſt pœna, niſi delicti. *l. aliud fraus. D. de verb. ſig.* & quod lege permittente fit, id impunè fieri dicitur. *l. ſancimus.* 1. *C. de adm. tut. l. Gracchus. C. ad L. Iul. de adult.* Imò & aliquo modo hîc delinquunt, vel quod incontinentiores ſint; vel quia nec marito priori, nec liberis ex eo ſuſceptis adfectionem & beneuolentiam mulier conſeruet, ad ſecundas nu-

das nuptias tranſiens, vt ex pulcherrimis Homeri verſibus docet Cuiacius quoq; hoc loco, & vice verſa, notum eſt, quantopere priuignis ſint infeſtæ; quare commune omnium votum eſt matrũ, ne mariti ſuperſtites liberis nouercas ſuperinducant, vt elegãter Iohannes Poeta lib. III. Antholog. apud quem matrona pudica moriens precatur: *ἀλλὰ πατὴρ*, inquit, *μέμνειν παισὶν ἐφ' ἡμετέροις*, quaſi qui inducit nouercam pater eſſe priorum liberorum deſinat. Contra, Meſſalina Sulpitii vxor rogantibus fratribus poſt mortem mariti, an iterum nubere vellet, *Minimè*, inquit; *nam mihi Sulpitius ſemper viuit.* De vtroq; autem parente pariter Diuus Ambroſius VI. Exhameri ſcribit; *Mutato concubitu parentes deprauantur prælatis filiis poſterioris copulæ, neglectis autem his qui ex priori progeniti ſunt.* Et Imperator ipſe in *l. lex quæ tutores. C. de admin. tut.* mulieres ſecundò nubentes, ait, liberorum non ſolum bona, ſed etiam vitam poſteriori viro addicere. Et vice verſa, Idẽ de patre dici poteſt, cuius rei inſigne exemplum extat apud Saluſtium in Catilina. Poſtremò non tam puniuntur parentes hoc modo, quam lucrari prohibentur. Ideoque leges de hac reſcriptæ ſic loqui ſolent, proprietatem eos ſeruare liberis primi matrimonii teneri; non autem mulctari, vel puniri. Pœnæ autem hæ ſunt, quæ infliguntur in ipſis bonis; Nam mater primum ita punitur, vt amittat proprietatem omnium à marito perceptorum; id eſt, vſumfructum tantum habeat, proprietatem ſiue res ipſas cogatur liberis prioris matrimo-

nii à quo ꝓfecta ſunt, ſeruare. Huiuſmodi lucra ſunt donatio propter nuptias, donatio ſponſalitia, id eſt, inter ſponſos facta, mortis cauſſa donatio, vel etiam ſimplex, & inter viuos facta, item hereditas, legata, fideicommiſſa, & ſi quę ſunt alia. *l. fœminæ. 3. C. hoc tit. Nou. de nupt. XXII. §. ſi vero præſtet.* Ipſam autem dotem ſuam non cogitur mater iis ſeruare, quia dos non eſt à marito accepta, ſed recepta ab heredibus mariti, ad mulierem tanquam dominam rediit. Eſt igitur mulieris patrimoniũ, non lucrum. *l. in reb. C. de iur. dot.* Et vice verſa, mortua vxore, maritus omnia ab vxore percepta lucra conſeruare cogitur liberis communibus, ſed nõ itidẽ donationẽ propter nuptias, quam ipſe vxori olim dedit, quia hæc donatio eſt ipſius mariti non mulieris, & ad maritũ redit tãquam res ſua, vti dos ad vxorem. *l. liberis. C. de donat. ant. nupt.* At quod penes maritũ ex dote remanet, vel penes vxorem ex donatione propter nuptias; id totum, vt dixi, liberis communibus conſeruandum eſt. *d. l. fœminæ.* Sed hîc obiicitur *l. hac edictali. C. de ſec. nupt.* quæ prohibet mulierem iterũ nubentem ſecundo marito plus relinquere vel in eum transferre vllo titulo mortis cauſſa, vel inter viuos, quam in filium prioris matrimonii cui minimum reliquerit. Ergo & dotem aliqua ex parte relinquere eis cogitur, nec poteſt totam eam ſecundo marito dare. Reſpondeo, non cogitur, ſi aliũde bona habeat præter dotem, vt plerunque habent, qua de re pluribus infra in explicatione *d. l. hac edictali.* dicetur. Ex his intelligi-

ligimus, patri vel matri ademtam eſſe omnem alienandi ea lucra licentiam, vt fructuario adimitur eius rei, in qua vſumfructũ habet. quod ſi fecerit, tum ex aliis ipſius bonis hæc iactura liberis prioris matrimonii reſarcietur. idemq; non ſolum de lucris ita ex coniuge defuncto perceptis conſtitutum eſt in *d. l. fœmina.* ſed etiam de bonis perceptis ex morte & hereditate alicuius ex filiis prioris matrimonii, ſuccedit enim mater filio vnà cum fratribus & ſororibus defuncti, vt poſtea ſuo loco de toto hoc genere ſucceſſionis docebo. Illud hoc loco obſeruandum *in d. l. fœmina.* permitti mulieri ſuperſtiti non quidem ea lucra alienare, vt iam dixi, ſed tamen eligere, ſi ei videtur, vnum aliquem ex liberis prioris matrimonii, cui ſoli omnia ea lucra relinquat, vel plures quos dignisſimos leges putant, id eſt, non ingratos; aliis liberis, id eſt, fratribus eorum, excluſis. Vnde illud conſequens fuit vt ea etiam pro ſuo arbitrio, inter liberos diuidere liceat, *d. l. fœmina. & l. generaliter. §. diuidendi. C. eod. tit.* Quorum tamen vtrumque, id eſt, & electionis & diuiſionis huius arbitrium parenti poſtea Nouell. conſtitutionibus ademtum eſt, *Nou.* II. *& Nou. XXII. de nupt.* quibus merito æqualitas inter liberos ſeruari iubetur. Dixi autem ſupra ſi alienauerit, hanc iacturam reſarciri liberis ex parentis, qui alienauit, bonis, ſi ita malint. At ſi ex bonis parentis non poſſint ſuum conſequi, permiſſum ipſis eſt ea lucra à quouis poſſeſſore, in quem ea mater pater-

ue alienando vel obligando (nam & hypotheca harum rerũ interdicta eſt) trãſtulerit, vindicare, ne pręſcriptione quidẽ niſi XXX. annorũ obſtante *d.l.fœminæ.* & *d.Nou.*22. *de nupt.* Sane ſi parens ea lucra conſumpſerit, nullum eſt aliud liberis remedium, quàm vt ex aliis bonis damnum ſarciant, vel ab heredibus parentis repetant condictione ex *L. generaliter.* §. 3. *C.h.tit.* vt Iohanni placet. quæ lex loquitur de conſumptis ab heredibus. Sed idem & de conſumptis à defuncto videtur dicendum, ex notis regulis iuris.

CAPVT X.

Si donatio propter nuptias in rebus immobilibus conſiſtat.

INtelleximus donationem propter nuptias aliaq; lucra parentẽ qui ad ſecundas nuptias tranſiit, alienare nullo modo poſſe, ſed æqualiter liberis prioris matrimonii cõſeruare teneri. Eſt igitur mater vſufructuaria tantum. vnde quæritur quomodo frui debeat, & ad quid tenetur, ac primum diſtinctio adhibenda eſt inter res immobiles, & res mobiles. Nam ſi donatio propter nuptias in rebus immobilibus. puta in fundis, prædiiſque conſiſtat, iis bonis fruetur, vt cautũ poſtremò eſt à Iuſtiniano in *Nou.*2. *de non elig. c.*4. his verbis: *Si omnes res immobiles ſint, maneat harũ vſusfructus apud matrẽ, & ipſa eos fructus colligat neq; reſpuat, neq; exi-*

exigat à filiis pro harum rerum æſtimatione vſuras: ſed & diligentiam earum rerum habeat, ſicuti lex iubet iis, qui vſusfructus domini ſũt; & cuſtodiat ſecundum leges antiquis filiis ſuperſtitibus. Quæ ſingula nobis explicanda ſunt. Primo igitur cauet, vt vſusfructus apud matrẽ maneat, ἡ χρῆσις, quod male Interpres Vſum vertit, qui multum ab vſufructu diſtat, quamuis græcum vocabulum vſum ſignificet, ſed græci non habent verbum quo vſumfructum exprimant, itaque Latino vti ſolent. Sed & χρῆσις ita accipitur in ep. Curii ad Cicer. lib. VII. Epiſt. Famil. *Sum*, inquit, *χρήσει μὲν tuus κτήσει δὲ Attici noſtri. Ergò fructus eſt tuus, mancipium illius.* Secundo, Imperator ait καὶ αὐτὴ ταῦτα ἐκλέγοι, id eſt, mater & ipſa mater eos fructus colligat. Ex quo & illud intelligimus matrem poſſidere eas res, in quibus vſumfructum habet vt cæteri fructuarii. quæ tamen poſſeſſio non eſt vera poſſeſſio, ſed detentio potius quædam. *l. naturaliter. D. de adq. poſſ. l. adquiritur. §. vlt. D. de adq. domin.* Vera enim poſſeſſio, quæ tenetur animo, & affectu domini, vt eleganter definit Theophil. *in Inſt. §. idem placet. per quas perſon. nob. adq.* Fructuarius autem ſcit rem non eſſe ſuam, ſed detinet tamen eam, vt fructus colligere poſſit; & quod dicitur interdum fructuarius poſſidere, id dicitur abuſiue. *l. 1. D. Vnde vi.* Et ex eo quod extrinſecus apparet, non ex rei veritate, vt eleganter idem Theophilus ſcribit. ex quo Zaſius videtur hauſiſſe, cum aliam poſſeſſio-

nem dicit eſſe ex veritate, aliam verò ex apparentia, in *l. poſſidere. §. ex contrario. D. de adq. poſſ.* ex apparentia, inquam, id eſt, ex actibus, vt vulgo loquuntur, poſſeſſoriis; quales ſunt, puta, colere, metere, fructus colligere, & ſimiles. Tertio, ait Imperator, neque reſpuat. μὴ παραιτεῖτο, ne appetat mater proprietatem ſiue dominium harum rerum, quod ex pactis matrimonialibus ei deberi videtur. hæc enim pacta lex ita coercuit, vt intra vſumfructum tantum cõſeruentur, atq; ita ius eſt pactis potentius, licet alias pacta iuri præſtare dicantur, teſte autore ad Herenn. *lib. 2. Rhetor. & Cicerone lib. 2. de Inuent.* quod eum ſenſum habet, quia pacta dant formam & legem contractibus, vt dici ſolet *l. 1. D. depoſ. l. contractus. D. de reg. iur.* cum ſimil. Quod ſi pactum de donatione lucranda nullum interuenerit, tum donatio propter nuptias nulla ex parte ad mulierem pertinet, ſed ad patrem mariti defuncti redit. *Nou. de æqual. dot.* §. 1. Quartò, ait Imperator, neque exigat vſuras, &c. vt olim exigebantur vſuræ trientes, præſertim in rebus mobilibus. *l. hac edictali. C. de ſec. nupt.* de quibus poſtea ſuo loco. Quintò ait diligentiam earum rerum habeat, ſicuti lex iubet vſusfructus exiſtentibus dominis; id eſt, vt lex imperat iis, qui ſunt vſufructuarii & tanquam domini vſusfructus. Nam dominium quoddam etiam eſſe dicitur ipſius poſſeſſionis, *vt l. 1. C. Gregor.* Sic ſub altero nomine res emta fuerit, & *l. 2. C. TH. de bon. mat.* vbi ſcriptum eſt, parentes habere dominium tantum poſſeſſionis in rebus

bus maternis filiorum interdicta alienatione, quod nihil aliud eſt quam dominium vſusfructus. *l. 1. & paſſ. C. de bon. mat.* Vnde & vſufructuarii appellantur domini, non ratione rerum, ſed ratione vſusfructus quem habēt in rebus.*l. in venditione. D. de reb. auct. iud poſſ.* Et in ſumma, qui ius aliquod in rem habent, quaſi domini ſunt & habentur huius iuris, iisque quod eis iure competit in rem actio, vt Emphyteuta, fructuarius, ſuperficiarius, ſimiles. *l. 1. ſi ager vectigalis ſec l. 2. D. de vſufr. l. 2. §. qui ſuperficies; D. de ſuperfic* Igitur diligentiam mater fructuaria adhibere debet; vt alii fructuarii in rebus tuendis & conſeruandis, vt ita ſalua rerum ſubſtantia nec deterior facta redeat, eâ mortuâ, ad veros dominos, id eſt, liberos. Frui, inquam, debet, vt alii fructuarii boni viri arbitratu.*l. 1. in princ. D. Vſufruct. quemadm. cau.* Sed in eo mater differt à cæteris fructuariis, quod ſatisdare vel cauere de ea re non debet, id eſt, non tenetur præſtare cautionem fructuariam, vt cæteri omnes tenentur. Sextò ait Imp. cuſtodiat eas liberis ſuperſtitibus ſecundum leges antiquas, id eſt, nō ſolum ipſa vtatur fruatur boni viri arbitrio, ſed etiā poſt mortem ſuam reſtituat liberis vt proprietariis ac dominis, ſicut omnes fructuarii has duas res præſtant. niſi quod vt dixi, mater non teneatur ſatiſdationem vel cautionem de iis præſtare. id enim matri, id eſt, hæc cautio iniungitur in rebus duntaxat mobilibus, vt infra exponemus. Res enim immobiles facilè inuerti nō poſsūt; & hæc ratio ſufficit in matre fructu-

aria,quæ non ſufficit tamen in aliis fructuariis, qui etiamſi vſumfructum rerũ immobiliũ habeant,cauere tamen tenentur,adeo quidem vt fructuaria cautio nec à teſtatore quidem remitti poſſit,qui vſum fructum legauit.*l.1.& ibi gloſ.C.de vſufr.* Solum hoc matri iniungitur, vt boni viri arbitratu, hoc eſt, moderatè & ciuiliter fruatur,& proprietatem, id eſt, res ipſas liberis conſeruet,non alienet eas, neque oppignoret. Dixi,res ipſas; nã vſumfructum quidẽ ſuum alienare & obligare & locare poteſt, vt reliqui fructuarii. *l.ſi is qui bona.§.vſusfructus. D.de pign.l.arboribus.§.1.D.de vſufr.*Sed alienatus ita vſusfructus durat dũ viuit mater fructuaria,ea mortua redit ad liberos, & conſolidatur cum proprietate, vt eſt natura omnis vſusfructus. *§.finitur.Inſt.de vſufr.* Atque reſoluto iure matris ſiue fructuarii, & venditoris, reſoluitur etiam ius emtoris, id eſt, iſta emtio, vel creditoris,id eſt,oppignoratio. *l. lege. D.de pign.*Poſtremo,quæritur an adminiſtratio horum bonorum parenti concedatur. Et diſtinguendum eſt inter patrem & matrem.nã pater ſuperſtes,licet ad ſecundas nuptias veniat, non ſolum vſumfructum rerum ad filios pertinentium habet,ſed etiam earum pleniſſimã adminiſtrationẽ & dominio proximam. *l. 1. C.de bon.mat.l.vlt.C.de bon.quæ li.* At non item mater;non, inq̃.mater habet bonorũ paternorum adminiſtrationẽ,vel aliorũ ad filios pertinẽtiũ. Et ratio differentiæ eſt, quia pater habet filios in poteſtate,nõ etiã mater.quare mater nõ habet vſumfructum in bonis aduentitiis filiorũ,

vt

vt habet pater;ſed in his duntaxat lucris paternis non habet etiam adminiſtrationem;quia id nominatim ſoli patri conceſſum eſt in *l.generaliter.§ negotia.C.de ſecund.nupt.d.l.*1.*& paſs.C. de bon. matern.* Vnus caſus eſt, quo mater adminiſtrat bona filiorum eiuſque adminiſtrationis rationem reddere tenetur, ſi filiorum tutrix fuerit,ſed hoc adcidit ratione tutelæ,quæ matrem omnibus oneribus obligat, quibus alii tutores obſtringuntur,vt benè Adcurſius & alii notant in *l. vlt.§.ſin autem. C.de bon.quæ lib.*non autem ratione vſusfructus huius,quem habet in lucris nuptialibus.duntaxat enim ad reſtitutionem tenetur,& eam ob cauſam omnia ipſius bona ſunt tacito pignori liberis obligata,non ſolum lucra ipſa quæ reſtituere tenetur.*l.hac edictali.§.omnibus.C.de ſec. nupt.l.ſi mater.C.in quib. cauſis pign.tac.*

CAPVT XI.

De mancipiis & annonis ciuilibus & annuis reditibus & ſimilibus.

IN rebus immobilibus de quarum vſufructu proximo capite expoſui, numerantur ab Imperatoribus Leone & Anthemio mancipia & annonę ciuiles *l hac edictali.§.his illud.C.de ſec. nupt.* quamuis res ſint verè mobiles, & ſe mouentes. ſed mancipia hîc intelligere debemus,

non omnes ſeruos ; verum eos, qui iure ciuili inter immobilia habentur. *l. longe. D. de diuerſ. temp praſcr. l. 4. §. in ſeruis. D. de cenſib. & Nou.* 7. quibus in locis vt in *d. l. hac edictali*. rectè Cuiacius mancipia intelligit ea quæ agris & glebæ adſcripta & velut affixa ſunt ; ita vt ſe inde mouere non poſſint. vnde & tamquam membra prædiorum dicuntur à Iuliano Anteceſſore, Latino Nouellarum Interprete. Atque hæc expoſitio, quæ veterum quoque Doctorum fuit, veriſſima ; licet Saliceto diſpliceat, ſed confirmatur cum ipſa ratione, de qua mox, tum expreſſe *l. iubemus. in pr. C. de SS. Eccleſ.* vbi prædia & in his prædiis coloni & mancipia iis conſtituta, lex loquitur, itemque annonæ ciuiles inter res immobiles recenſentur, vt in *d. l. hac edictali*; nec Saliceti, qui hanc l. intelligit de omnibus mancipiis, illa ratio probanda eſt dum ait, ideò in mobilibus rebus annumerari, non quia aſcripta ſint fundis ; ſed quia vſu non conſumantur ; hæc enim ratio plane inepta eſt, cum multa ſint mobilia, quæ vſu non conſumuntur, in quibus tamen aliud ius eſt, quam in mobilibus, vt infra cognoſcemus. Annonæ autem ciuiles ſunt panes, qui olim Romæ, & Cõſtantinopoli ciuibus pauperibus diſtribuebantur certo tempore certiſque locis vrbis, & quidem in gradibus ad hoc ipſum extructis, vnde & panis gradilis adpellatur, de quo eſt tit. *in C. TH.* & ille verſiculus Prudentii contra Symmachum ;

Et quos panis alit gradibus diſpenſus ab altis:

De huiuſmodi annonis ſiue gradibus panis multa eruditè tradiderunt Alciatus lib. VIII. Parerg cap. v. Lipſius lib. I. Elect. c. 8. Cuiaci' ad *d. l hac edictali*. & alii; Salicetus ad *d. l. iubemus. C. de SS. Eccleſ.* & omnium optime Panci-rolius in Commentar. ad Noticiam Imperii Romani, c. 57 de præfecto annonæ. vbi & alios panes ciuiles vel palatinos, & panes ædificiorum dictos commemorat. Tales annonas non ſine cauſſa Imperatores annumerant rebus immobilibus, eoque alienari vel oppignorari prohibent à matre fructuariâ, quia domibus certis aſſignabantur. domibus, inquam, & earum poſſeſſoribus, non autem certis perſonis. ſicuti dicimus ſeruitutes prędiorum, non perſonis deberi, ſed ipſis prædiis. Eademque ratio eſt mancipiorum ruſticorum, quæ agris & prædiis affixa ſunt, vt ante dixi. ideoque rectè hæc duo paſſim coniunguntur. ſed his addendi ſunt etiam reditus annui, cum quis ſcilicet pecuniam certam, & penſionem puta in aliquo fundo conſtitutã habet, vnde redituũ emtiones dicũtur, quæ frequentiſſimæ ſunt, etiam in Germania, & de quibus prolixè alii DD. tum Andr. Geil lib. 2. obſer. Hĩ inquam reditus eodem iure cenſentur, quo annonę ciuiles & ruſtica mãcipia *l. vlt §. præterea C. de iur. dot.* Sed ita tamen, ſi ſint perpetui vel longæui, puta ad minimum decennales. nã ſi tales ſint, q. ſingulis annis vel minore ſpatio, quã decennio, relui poſſint, nõ rectè inter res mobiles numerabũtur, vt benè docet Cyn. in *l. ſi certis. C. de pact.* Sunt & quædã alia mobilia,

quæ iure immobilium cenſentur, vt explicat Matth. de Afflict. *in c. vn. §. ſciendũ. de feud. cognit.* veluti fructus pendentes. *l. fructus. D. de rei vind.* item certa pecunia, quæ datur à principe ex ſuo ærario quotannis, quæ dicitur feudum de camera; & ei ſimilimum feudũ de caneua; ꝙ conſiſtit in penſitatione olei, frumenti, vini & ſimilium. alioquin ipſa per ſe pecunia ſua natura maximè mobilis, (vnde Plautus ait argentum οἴχεται) vt quæ conſumptioni parata ſit, ideoque inter res; quæ ſeruari non poſſunt refertur §. *conſtituitur. Inſt. de vſufr.* Sed, vt dixi, ita debita pecunia rectè inter mobilia refertur, ſicut annuꝰ quidem reditus. Aliis etiam de cauſſis pecunia rerum immobilium appellatione venire poteſt, vt & mobilium, qua de re eruditè poſt alios Arius Pinellus ſcribit ad *l. 1. C. de bon. mat.*

CAPVT XII.

Si res mobiles ſint, vel mixtæ cum immobilibus.

QVod ſi donatio propter nuptias in pecuniis aliiſq; rebus mobilibus cõſiſtit, de earum vſufructu materno iidem Imperatores in *d. l. hac edictali. §. his illud.* in hunc modũ ſanxerunt, vt mater vſumfructum quidem habeat, ſed diuerſa ratione, quam in mobilibus. debet enim rerum harũ mobiliũ æſtimatio iuſtis

pre-

pretiis fieri per arbitros ab vtraque parte, id eſt, matris & liberorum electos, & quidem cũ iureiurando; deinde mater cautionem fideiuſſoriam idoneam præſtare filiis debet, ſe eas res, vel pretia, quibus æſtimata ſunt, poſt mortem ſuã reſtituturam eſſe ipſis filiis vel filiabus prioris matrimonii, vel nepotibus eorum. Quod ſi mater talem cautionem dare vel nolit, vel non poſſit; tunc res illæ mobiles à filiis retinebuntur, nec matri tradentur: & ſi mater fortè eas poſſideat, ab ea recipient, ſic tamen vt ipſi liberi vice verſa cautionem matri præſtent, ſe pro vſufructu earum rerum, vel pro pretio, quo æſtimatæ fuerint, præſtituros matri ſuæ vſurarum nomine partem tertiam centeſimam ſingulis annis, certisque temporibus. Cui cautioni debet & illud adiici, liberos iſtos in caſum ἀπαιδίας, de quo poſtea, reſtituturos eſſe illas res matri ſuæ. Vtra igitur pars, id eſt, vel mater, vel filii, cautionem dederit, ea præferetur in rebus iſtis mobilibus poſſidendis & adminiſtrandis, adeò, vt etiam obligare & alienare eas poſſit pro arbitrio. quod tamen ſine præiudicio alterius fiet, propter dictam æſtimationem & cautionem, vt poſtea dicam. Quod ſi neutra pars (id eſt, nec mater nec filii) ſolicita ſit de iſta cautione; ſed diſſimulet, aut ſi neutra pars eam præſtare poſſit, his caſibus matri potius res iſtæ mobiles permittentur, permanebuntque penes eam vſque ad finem vitæ ipſius; quo tempore ſimul vſusfructus eius extinguitur. Hæc eſt ſententia Imperatorum in *d.*

l.hac.dictali. §. *his illud. verſic. mobilium*, *cum ſeqq.* qua in parte nihil ei derogauit Imp. Iuſtinianus in *d. Nou.* 2.*c.* 4. niſi quod moderamentum quoddam adiicit, ſi donatio propter nuptias in auro fortè cōſiſtat, vt poſtea dicemus. Nunc quædam in *d. l. ſanctione*, explicanda ſunt. Ac primum eſt, quod arbitri eligi debent ab vtraque parte. Sed quid ſi diſſentiant in eligendo? tunc ſeparatim mater ſuos eliget, liberi item ſuos; aut Prætor ſe interponet, & litem dirimet. nam prætoris eſt arbitros dare, tum in iudiciis. *l. à Diuo Pio. D. de re iud.* tum in aliis negociis. Vnde legimus, arbitros à magiſtratu datos rationibus excutientibus. *l. ſi quis. D. de manumiſſ. l. ſi pater.* §. *Sticho. D. de fideicom. libert.* arbitros datos fideiuſſoribus probandis. *l. arbitrio. D. qui ſatisd. cog.* id eſt, an fideiuſſores idonei ſint, quales requiruntur in hoc propoſito noſtro. arbitros datos de viæ latitudine, de altitudine vel refectione ædium, de alimentis, de agrorum modo & finibus. *l. certo. D. de ſeruit. ruſt. præd. l. qui fluminibus. D. de ſeruit. vrban. l. vſufructu.* §. *quoniam. D. de vſufr. l. ſi quis.* §. *vlt. D. de lib. agnoſc. l. de modo. D. fin. reg.* Denique, arbitros datos æſtimationi rerum faciendæ, vt in hoc propoſito noſtro. Secundum eſt, de æſtimatione. Ratio autem cur ea hîc requiratur ab Imperatoribus eſt; quia agitur de vſufructu rerum mobilium, quæ facilè vſu conſumi vel interuerti poſſunt, puta, pecunia, frumentum, vinum, & veſtes; niſi quæ admodum pretioſæ ſunt, & nunquam

fere

ferè ad vſum depromuntur, quas eleganter D. Chryſoſtomus Homil. XX. in epiſt. ad Hebręos ait, in maiori honore haberi, & non aliter, quam magnos dominos coli. Modus autem æſtimationis faciendæ per arbitros eſt talis, vt iuſtis pretiis eas æſtiment, & quidem iuramẽto de hac re anteà præſtito; quod non eſt nouum in iure noſtro, cum aliqua in re periti artis ad iudicandum adhibentur, vt ſcilicet id iurati faciãt; puta medici an vuln⁹ fuerit lethale, obſtetrices an aliqua ſit prægnans. *l. 1. D. de vent. inſpic.* Facienda eſt autem iuſta, vt dixi, æſtimatio; id eſt, iuxta valorem rerum & temporum, ac locorum, quibus æſtimatio fit, vt ſcilicet communiter illæ res valent, & vt vendi vulgò ſolent. *l. pretia. D. ad L. Falc.* Sed quid ſi diſſentiant in hac æſtimatione arbitri? puta, vnus æſtimat rem viginti, alter decem, vel aliter. quidam exiſtimant æſtimationi decem ſtandum eſſe, quia in hanc ſummam etiam ille qui viginti æſtimauit, conſenſerit, cum minor ſumma inſit maiori. Atque ita ſtipulatio quoque valet, ſi quis à te viginti ſtipuletur, tu decem ſpondeas. *l. 1. §. 4. D. de verb. obl.* Similiterque ſi arbitri compromiſſarii, vnus in quindecim, alter in decem, tertius in quinque aliquem condemnet; ſententia huius poſtremi valebit, quia in eum omnes tres conſenſerunt. *l. inter. D. de re iud. l. diem proferre. §. ſi plures. D. de receptis arbitr.* Vbi Accurſius idem probat in variis teſtibus, vt ſuſtinẽantur à iudice eorum ſic diſcrepantes

atteſtationes. Rectè enim à iudicibus argumentum ducitur ad teſtes. *l. lege. D. de manumiſſ.* Sed aliter Interpretibus noſtris, vt Saliceto, & Baldo, placuit in iſtis, de quibus nunc agimus, arbitris; qui non ſunt iudices ſed æſtimatores, &, vt vulgò loquuntur, arbitratores verius, quam arbitri. Debent enim omnes concordare in vnam ſummam, & ita vincere diſſentientes; quod ſi ſint pares, tunc tertius eligetur à partibus qui alterutri ſententiæ accedat, non tertiam faciat. argumento *l. item ſi vnus. §. vlt. D. de recept. arbitr. & l. ſi decem. D. locati. & Nou. de alien. §. vt neque. cap.* 2. neque ſi aliter conſtitueretur, poſſet id fieri ſine magno præiudicio, & circumſcriptione eius cuius res æſtimantur. poſſent enim ad minimam ſummam & intòlerabilem redigi. Cæterum in tali æſtimatorum diſſenſione ſatius videtur eſſe, ad prætorem iri, qui tertium eligat, vel electos ad concordiam cogat prætoriis remediis, putá mulcta, vel pignoribus captis; vel denique ipſe remedium adhibeat, & diſcrepantes eorum ſententias ad mediocritatem reducat, iuxta *l. ſi fundus. in fin. & l. ſeq. D. mand.* alioquin inexplicabilis res eſſet; nec in priuatis ſolum rebus, & iudiciis, ſed etiam in publicis negociis ſæpe perdifficilis hæc quæſtio eſt, vt adparet ex pulcherrima Plinii epiſt. 14. ad Ariſtonem IC. lib. 8. epiſtol. & Cuiacii cap. 16. lib. 12. obſer. Æſtimationis autem huius effectus ille eſt, quod per eam contrahitur emtio

ven-

vendirio. *l. plerumque.* §. *vlt.* *D. de iur. dot.* atque ita mater quaſi emtrix rerum donationis propter nuptias tenetur ad precia earum ſoluenda ; ſed tamen non ſimpliciter & præciſe, verum alienatiuè & ſub electione, id eſt , vt vel ipſas res non deteriores factas filiis reſtituat, vel æſtimationem earum, ſiue precium. Cum autem facta ſit domina, non mirum eſt ſi ei concedatur, eas res donare, vendere, oppignorare, mutuo dare, vel alio modo alienare, *d.* §. *his illud.* filiis enim æſtimatione illa & ſatisdatione ſatis proſpectum eſt. & vice verſa ſi matre non cauente filii caueant, idem ius habebunt; matri enim vſuras præſtabunt, & de iis cauebunt, idq; maximè filiis concedendum eſt, quia ſunt verè domini earum rerum, cum mater duntaxat ſit vſufructuaria. Tertium eſt de cautione. hæc cautio eſt ſatisdatio, id eſt, cautio fideiuſſoribus datis. exigitur autem à matre in his rebus mobilibus : quia facilè conſumuntur, vel atteruntur, vel pereunt, & plerunque earum vſus in abuſu ſolo conſiſtit & conſumtione; puta vini, frumenti, olei. ideoque verus vſusfructus in iis rebus conſtitui non poteſt, ſed quidam quaſi vſusfructus à Senatu inductus eſt remedio cautionis quo tales res in eodem genere reſtituantur. *l.* 1. *& paſſim. D. D. de vſufr. ear. rer. quæ vſu conſum.* Sic in propoſito noſtro prudenter conſtitutum eſt, vt mater vſufructuaria cautionem præſtet pro rebus omnibus mobilibus, non ſolum iis, quæ vſu conſumuntur, ſed plane o-

mnibus. quia licet non conſumantur, tamen interuerti poſſunt, & interire. Continet autem hæc ſatiſdatio duas res, vt omnis alia fructuaria, nimirum de fruendo boni viri arbitrio, & de rebus reſtituendis, vel, vt dixi de reſtituenda earum æſtimatione, id eſt, preciis quibus quæque æſtimatæ ſunt. Antequam autem hanc ſatisdationem præſtet, non poteſt mater frui & percipere commoda earum rerum, vt nec cæteri fructuarii. *l. vſufructu. C. de vſufr. l. vxori. D. de vſufr. leg.* Si tamen liberi cautionem illam petiuerint. Nam omnium ferè cautionum hæc eſt conditio, vt non ſit neceſſe præſtari, niſi petantur. *l.* 2, §. *quod ait prætor. D. quod legator. l.* 1. §. *non exigit. D. vt in poſſeſſ. legat.* Bartolus in *d. l. hac edictali.* §. *his illud. & in d. l. vxori. n.* 1. Cautionis autem huius ea vis eſt, vt res vel precia poſt mortem liberis reſtituantur, ſed ſecundum legum modum, ſiue moderationem, vt his in *d. l. hac edictali.* §. *his illud.* adiectum eſt; quod Accurſius ita expoſuit, vt ſi ipſæ res extent, earum quoque deterioratio æſtimetur. Sed verius eſt, illa verba addita fuiſſe à Triboniano propter quaſdam Iuſtiniani conſtitutiones, quæ in *fin. tit. C. de ſecund. nupt.* hodie deſunt; ſed earum ſumma & argumenmentum à Cuiacio ex liberis Baſilicis illic reſtituta ſunt, de quibus poſtea ſuo loco, id eſt, cap. proximo dicetur. Hæc de matre. Quod ſi matre non cauente liberi cauere velint, videndum eſt, quid cautio iſta ipſorum contine-

tine-

tineat? Continet igitur, ſe matri quotannis ſoluturos eſſe vſurarum nomine partem tertiam centeſimæ vſuræ, id eſt, quaternos aureos in centenos; atque ita quatuor puta florenos pro centum. nam centeſima vſura eſt quæ ſortem adæquat in centum menſibus, atque ita octo annis & quatuor menſibus; non autem vno anno, vt ait Adcurſius ad *d. Nou. 2.* & alii veteres DD. quibus id tamen eſſe ignoſcendum Contius ait. Vſurarum, inquam, nomine præſtant matri vſuras trientes. non earum rerum quæ ſunt æſtimatæ, ſed eius pecuniæ ſiue eius precii, quo res illæ æſtimatæ ſunt. Vſuræ enim non ſunt rerum, ſed pecuniæ numeratæ. Præterea, & illud liberi cauere debent, ſi fortè priores, quam mater moriantur, ſe res illas omnes vel earum precia matri reſtituturos eſſe ſecundum legum moderationem, vt ait *d. §. his illud* de quo mox. Atq; hæc de cautione ſiue ſatiſdatione tam matris, quam liberorum dicta ſunto. Quod ſi neutra pars cauere velit, aut poſſit, tum mater præfertur, ſicuti & tum præfertur, quando vtraque pars ſatiſdare parata eſt, *d. §. his illud. in pr. & fin. & d. Nou. 2. c. 4.* qua in Nou. Iuſtinianus temperamentum quoddã adiecit Leonis conſtitution̄, id eſt *d. l hac edictali.* in eo caſu, ſi donatio conſiſtat in auro, vel argẽto, vel pecunia numerata. hoc enim caſu ita ſancit, vt ſi quidẽ in hereditate defuncti mariti reperiatur aurum ſiue præſens & parata pecunia, tunc locus ſit *d. l. hac edictali*; atque ita mater eligat vel

pecuniam accipere data cautione, vel vſuras trientes, vt ſup. expoſui. Si verò in hereditate præſens pecunia non reperiatur, tunc mater electionem illam non habeat, nec poſsit exigere ab heredibus vel pecuniam, pel vſuras trientes, ſed neceſſario debeat eſſe his vſuris contenta. d. *Nou. 2. c.* 4. vbi rectè Cuiacius notat mendum in hac parte eſſe in illo loco ἐν κτήμασιν, legendum enim eſſe ἐν χρήμασιν, vt legit vetus Interpres. & in *Nou. 22. de nupt.* repetitur. Quare probanda non eſt eorum DD. ſententia, vt Azonis, & Cyni, qui quod de auro & pecunia ſcriptum eſt in d. Nou. vnde deſumta eſt *Auth. niſi quod in auro. C. de ſec. nupt.* id quaſi exempli cauſſa dictum eſſet, ad omnes res mobiles trahunt. diſertè enim Iuſtinianus ſolum aurum exigi vetat, niſi in hereditate reperiatur. Et ratio eſt, ne ſcilicet cogantur heredes vendere res hereditarias ad pecuniam donationis conficiendam, vel aliunde ſumere, cum magno incommodo. Quæ ratio non valet in aliis rebus mobilibus. Eæ enim in hereditate plerumque reperiuntur, vel ſi in hereditate fortè non compareant ſine magno incommodo redimi poſſunt. Sicut autem heredibus defuncti hac in re Iuſtinianus proſpexit, ita matri in aliis multis rebus ſingulari iure proſpectum eſt. quale eſt, quod ſi mater ſatisdare non poſsit, filii cogantur ei ſatiſdare, ſicut alius fructuarius; quamuis ob inopiam ſatiſdare non poſsit, tamen frui non poſſit, niſi ſatiſdet. *l. vxori. D. de vſufr. leg. gl. in l. vſufructu conſtituto. C. de vſufr. & in l. ſi homo. D.*

de

de vſucap. Item, quod ſi neutra pars ſatiſdare poſſit, aut velit, res illæ remanent penes matrē, cum potius penes liberos tanquam dominos deberent, aut penes ſequeſtrem deponi; qui eas tueretur fructuſque colligeret, pręſertim ſi perſona fructuarii ſit ſuſpecta, vt benè Adcurſius & Bartolus docent in *d. l. vſufructu. argumento l. poſtquam.§ Imp. D. vt legat. nom. cau. & l. litibus. D. de agric. & cenſ. C. lib. X I.* Quod ſi ſuſpecta non eſſet, & fideiuſſorem reperire non poſſet, cautioni iuratoriæ confidendum eſſet, argumento *l. 1. §. ſuper. in fin. C. de aſſert. toll.* Atq; hæc ita ſunt ſi res oēs mobiles ſint in quib. donatio ꝓpter nuptias cōſiſtit. Quod ſi mixtæ ſint, id eſt, partim mobiles, partim immobiles de his ita cauet Iuſtinian. in *d. Nou. 2. c,* 4. vt de reb. mobilibus eadē obſeruentur, q̄ antea expoſui, vbi hæ res mobiles ſunt. Similiter vt aliæ res mobiles penes matrem omnino remaneant, adiecto διὰ τὸ τὴν ἀποτροφὴν ἔχειν ἐκεῖθεν; quod Interpres ita vertit *vt inde mater ſe ſcilicet alat*; Quæ cauſſa ideo adiecta eſt, vt finis oſtēdatur, in quem ſolet vt plurimum talis donatio conſtitui; non autem quia neceſſe ſit ad alimenta eam ſolum inſumi; vel ſi fortè locuples ſit mater, ideo carere donationis iſtius vſufructu debeat. Similiter, vt doarium, ſiue dotariū moribus Gallorum & Germanorū, hodie conſtituitur viduis propter alimenta; vnde prouiſionem vitę id interpretatur autor Speculi Saxonici lib. 3. artic. 64. Et moribus Græcorū id, quod ὑπόβολον appellant. Et ſimilimum eſt donationi propter nuptias, atq; dotario, de quo

dotario hanc conſtitutionem Caroli Regis Siciliæ conuenientem cum iure ciuili, id eſt, cum *Nou.98.& Nou.123.* refert Cuiacius *li.2.Feud. tit 9.* *Mulier lucretur dotarii proprietatem ſi nõ habeat vllum filium ex illo marito: aliàs habeat ſolummodo vſumfructum; & ſi non nupſerit, ulterius vocetur cum filiis eiuſdem matrimonii in lucro proprietatis dotarii in virilem partem. alioquin ſi nubat, habeat ſolum vſumfructum.* Poſtremò quæritur an quod diximus de matre fructuaria, quæ ad ſecundas nuptias tranſit, vt ſatiſdare teneatur liberis ſuis, idẽ & locum habeat in fructuario patre ad ſecũdas nuptias tranſeunte? Et verum eſt, patrem ſatiſdare non teneri, & *d.l.hac edictali.* ſoli matri nominatim id iniunxit, ita vt pater in hac re potiori iure ſit quã mater. *l.cum non ſolum.§.vbi.& §.proculdubio. C.de bon.quæ lib.* Id enim contrarium reuerentiæ patris. Eſt enim contumelioſum, cogi fideiuſſorem dare, quaſi ipſi non ſatis credatur, vnde contumelia ſatisdationis appellatur. *l.teſtamento §.ult.D.de teſtam.tut.* Et inprimis poteſtati patriæ tributum eſt; quam nullam habet mater, ideoque pater, qui hodie beneficio conſtitutionum in bonis filiorum aduentitiis ſolum vſumfructum habet, cum iure veteri plenum dominium haberet releuatur ab omnibus oneribus, quibus ſubiiciuntur cæteri fructuarii. *d.l.cum non ſolum. & l.cum oportet.eod. tit.* At præterea ratio iuris id non patitur, vt poſſit inter patrem & filium ſatiſdatio conſiſtere, propter vinculum patriæ poteſtatis; quo patri per filium obligatio adquiritur *l.Impera-*

tor

tit. D. ad SC. Trebell & DD. ad l. frater a fratr. D. de condict. indeb.

CAPVT XIII.

De ſucceſſione, ſi aliquis ex liberis prioris matrimonii decedat.

VAria & perdifficilis eſt hæc quæſtio. Et ſermonem conferemus in matrem ſuperſtitẽ quatenus illa ſuccedat filio. ſi quid in patre diuerſum erit, id annotabimus. Igitur defuncto filio matre adhuc viua prima illa diſtinctio adhibenda eſt, vtrum hic filius reliquerit liberos an non reliquerit. ſi reliquit, hi liberi patri ſuo defuncto ſuccedẽt excluſa eius matre, id eſt auia ſua. ſuccedent autem in omnia bona. Eſt enim liberorum cauſſa prima in omni ſucceſſione. *Auth. in ſucceſſione. & ibi notat. C. de legit. hered.* cũ ſimil. De lucris nuptialibus, id eſt, quæ mater huius defuncti filii cepit ex marito ſuo antea defuncto, puta donationẽ propter nuptias. quæritur, an ſcilicet filius iſte defunctus tranſmittat ad liberos ſuos eorũ lucrorum partẽ, quam ipſe habebat, vel habiturus erat ſi vixiſſet? Dubitandi ratio eſt, quod nõ tranſmittat; quia deceſſit viua matre, ad quam illa lucra pertinent. Atque ita non potuit, quod matris eſt, tranſmittere in heredes ſuos ſiue nepotes matris. Nemo enim plus in ali-

um transferre poteſt, quam ipſe habet. Deinde viuentis nulla eſt hereditas; mater autem vt dixi, adhuc viuit. Sed his non obſtantibus contrarium conſtitutum eſt, nimirum nepotes iſtos excludere auiam ſuam, fratreſque & ſorores defuncti, id eſt, patruos & amitas ſuas in ea parte lucri nuptialis, quæ parenti ipſorum mortuo competebat. ita clarè conſtitutum eſt in *l. in quibus. & in l. ſi quis prioris. in princ. C. de ſec. nupt.* Neque obſtat, quod dictum eſt, lucrum hoc nuptiale ad matrem pertinere quę viuit; nam reſpondeo filium hunc defunctum, vt & cæteros eius fratres ſororesque habere illorum lucrorum proprietatem ſiue dominium; matrem eſſe duntaxat vſufructuariam. Res igitur illæ donationis ꝑpter nuptias potius dicēdæ ſunt fuiſſe huius filii, quā matris. nam eius res eſſe proprie dicitur, qui dominus eſt, non eius, qui vſumfructum habet. *l. rei. & l. rectè dicimus. D. de verb. ſig.* Nepotes igitur iſti auiam ſuam excludent in ſucceſſione illius lucri, cuius vſusfructus duntaxat penes matrē remanet, dum viuit, nec ſolùm auiam ſuam, id eſt, matrem defuncti, ſed etiam omnes alios, vt dixi, fratres & ſorores defuncti patris. Nam illa pars lucri nuptialis de qua agimus; licet ex ſubſtantia communis patris olim peruenerit ad matrem, tamen fuit iſtius filii, qui iam defunctus eſt, & à fratribus ſororibuſque eius abſceſſit. Neque id ſolum valet in huius defuncti filiis, ſed etiam in nepotibus & neptibus eius. nam & hi liberi ſunt,

&

& liberorum appellatione continentur. *d. l. in quibus. & d. l. ſi quis prioris. l. liberorum. D. de verb. ſig.* Et quod amplius eſt nulla hac in re diſtinctio obſeruari iubetur, vtrum mater viuo filio ad ſecundas nuptias tranſierit, an eo mortuo; vel quod idem eſt, vtrum iſte filius mortuus ſit ante ſecundas nuptias, an poſtea. *d. l. in quibus. & d. l. ſi quis.* In qua l. ſi quis. vnus tantummodo caſus ponitur, id eſt, ſi filius ante ſecundas nuptias matris mortuus ſit; quia caſus iſte eſt multo difficilior, ita vt ſi hoc caſu locus ſit, ſit in altero caſu, quando filius mortuus eſt poſt contractas nuptias à matre ſecundas. nam in hoc caſu filius iſte defunctus adquiſiuerat iam viuus proprietatem lucri illius nuptialis; quia mater eo viuo ad ſecundas nuptias tranſiens proprietatem eius lucri amiſerat. non eſt igitur mirum, ſi filius iſte, qui viuus iam adquiſiuerat, id ad liberos atque heredes ſuos tranſmittat. At in priori caſu maior erat dubitandi ratio, cum filius iſte non adquiſiuerit viuus proprietatem illius lucri, quia mater eo viuo nondum tranſiuerat ad ſecundas nuptias, vnde dicendum videbatur, filium iſtum non transmittere eam proprietatem ad heredes ſuos; ſed eam partem adquiri potius fratribus, & ſororibus ipſius, iure ſcilicet accreſcendi. Quod ius accreſcendi in priori illo caſu faciliori locum habere non potuit; quia ius accreſcendi non habet locum in portione adquiſita. *l. vn. §. in nouiſſimo. C. de cad. toll.* Nec obſtat *l. ſi duo. l. pen. & l. vlt. de acquir. hered.* Nam pars acquiſita

adcreſcit fratri & cohæredi deficientis,cum eò res redit,vt non acquiſita cenſeatur:id adcidit, cum deficiens ſe abſtinuit ab hæreditate; vel cum minor in integrum reſtitutus eſt. *l. ex contractu. D. de re iudic. l. ſi minor. D. de acq. her. d. l. pen.* At in poſteriori caſu, cum ea pars filio non fuerit adquiſita, dicendum omninò videbatur eam accreſcere fratribus & ſororibus eius,atque ita liberos huius filii ab ea parte excludi. Et tamen contrarium.vt ſup. dixi, conſtitutum eſt, fratres ſcilicet ſorores defuncti excludi ab iſtis liberis defuncti. Ratio poſita videtur in iure repræſentationis; quo vt filii in locum parentum ſuorum ſuccedant; eosque ita repræſentent; vt quo loco pater futurus erat, niſi deceſſiſſet, eodem ipſi loco ſint. ſicut igitur pater horum liberorum, ſi mortuus non eſſet ante contractas ſecundas à matre nuptias, ſed poſt eas, habuiſſet partem proprietatis in lucro nuptiali matris vnâ cum fratribus, & ſororibus ſuperſtitibus. Ita nunc ipſo patre mortuo liberi ipſius habebũt, atque ita vnâ cum fratribus & ſororibus ſui patris in eo ſuccedent,nimirum in ſtirpes non in capita hoc eſt,omnes liberi iſti licet plurimi ſint, vnam tantum partem habebunt, quam ſcilicet ipſorum pater habebat,vel habiturus erat ſi vixiſſet, vt dixi. habebat, ſi poſt contractas ſecundas à matre nuptias mortuus eſt. habere poterat, ſi ante eas contractas.vt ita vterque caſus comprehendatur, vt eleganter Adcurſius, Cuiacio etiam adprobante, in *d. l. in*

qui-

quibus, ad verbum; *Debebatur*, adiicit, *vel deferetur*; & *in d. l. ſi quis prioris*, ad verbum; *competiit*, ita notat, id eſt, *competere poterat*; quia *in d. l. ſi quis prioris*; caſus ille tantum expreſſus eſt, cum filius ante ſecundas matris nuptias deceſſit, atque ita non propriè competiit ei pars lucri nuptialis, vt antea docui. Ita igitur concludendum eſt, diſtinctioni illi, poſt mortem, vel ante mortem filii mater iterum nupſerit in hac parte locum non eſſe, ſed vtrobique idem ius eſſe. neque obſtat *l. mater. C. ad SC. Tertul.* vbi ea diſtinctio manifeſtè adprobatur; nam ea lex loquitur de aliis bonis, vt infrà explicabimus; nō de his lucris nuptialib᷒, de quibus quęſtione præſenti. Illud poſtremò notandum eſt, quod in *d. l. in quib. in fin.* adiectum eſt filio iſti defuncto conceſſam eſſe facultatē, vt poſſit lucrū illud nuptiale, vel partē eius, quam ipſe habet, in vnum ex liberis ſuis cōferre; atq; ita vnum eligere cæteris prætеritis. Eadem electio parenti ad ſecundas nuptias transgreſſo conceſſa eſt, vt quæ à marito priori cepit, ea in vnum ex filiis illius matrimonii cōferre poſſit, quē ipſa elegerit. *l. fœmina.* & *l. generaliter.* §. 3. *C. de ſec. nupt.* Sed hæc poteſtas parenti poſtea ademta eſt per *Nou. 2. cap. 1.* Vnde quæſitū eſt, an idē ius eligēdi ademtum ſit huic filio? quod rectè negauit Adcurſius ad *d. l. in quib.* & Bartol. ac Cuiacius ad *d. Nou.* 2. Primum, quia correctiones legum non ſunt ampliandæ; in parente autem id tantum eſt correctum, non in filio, vt ſupra dictū. Deinde, quia ratio diuer-

ſa eſt in filio, atque in matre vel patre. Nam per ſecundum matrimoniũ, quod pater vel mater iniuit, omnib. liberis prioris matrimonii æqualiter fit iniuria. Quod non item dici poteſt de hoc filio, qui nullam iniuriam ſuis liberis fecit, ob quam electio iſta priuari debeat? Eadẽ, quę in matre hactenus diximus, etiam in patre ſuperſtite dicenda ſunt; cum par ſit ratio. *d.l. in quibus.* & *d.l. ſi quis prioris.* Veniamus nunc ad ſecundã partem propoſitæ diſtinctionis, ſi filiꝰ ſine liberis vllis deceſſerit. Igitur, ſi ſolus filius fuit, id eſt, nullos fratres aut ſorores habuit, vel habuit quidem, ſed omnes ante matrẽ pariter deceſſerunt, res expedita eſt; mater.n. ſola ſuccedet in omnia bona, & pleno quidem iure, id eſt, & dominio & vſufructu. Idque verum eſt, etiamſi viuo filio ad ſecundas nuptias tranſierit *l. fœmina. C. de ſecund. nupt.* Ex quo ſequitur, quod in eadem *l. in fine.* ſcriptum eſt, vt mater poſſit de iis bonis pro arbitrio ſuo diſponere, vel teſtando, vel inter viuos alienando. Quod ſi vnâ cum matre ſuperſtite reliquit etiam fratres, vel ſorores ſuperſtites eiuſdem matrimonii, ex quo ipſe natꝰ eſt, hîc quæritur de ſucceſſione eiꝰ inter matrem & reliquos filios, id eſt, fratres vel ſorores defuncti? Et primum adhibenda diſtinctio eſt inter lucra matrimonialia, & reliqua bona iſtius filii defuncti. Et in aliis bonis iterum ſic diſtinguendũ eſt, aut mater in viduitate permanſit, aut iterum nupſit. Priori caſu mater ſuccedit quidem filio, ſed non ſola, verum vna cum filiabus ſuis, id eſt, ſororibus

ribus defuncti, itemque cum fratribus, ſed va- riè, pro varietate conſtitutionum, & temporũ. Nam veteri iure fratres defuncti excludebant matrem ſuam, *§.1.Inſt.de SC.Tertull.* Iure autem nouo ſuccedit vna cum ſororib. defuncti in ſemiſſẽ, id eſt, vt ipſa ſola mater ſemiſſẽ vnũ habeat, alteram ſemiſſem ſorores omnes. Cum fratribus verò ſuccedit in virilem partem, id eſt, æqualem vt vnuſquiſq; ex fratribus. *l. vlt. C.eod.tit.* Sed hæc differentia poſtea iure alio nouiſſimo ſublata eſt, ita vt mater etiam cum ſororibus ſuccedat in virilem duntaxat, vt cum fratribus. *Nou. de nupt. 22.* quo modo & cum patre defuncti, id eſt, marito ſuo ſi ſupereſſet ſuccederet. *Auth. defuncto. C. ad SC. Tertull. Nou. 118. de hered. ab int. ven.* Succedit autem pleno iure, id eſt, & proprietate & vſufructu. Atque ideo poteſt de ſua portione vt vult, conſtituere. Poſteriori caſu, cum ſcilicet, iterum nupſit, alia quoque diſtinctio adhibenda eſt. Aut enim nupſit ante mortem ipſius filii, aut poſt mortem. ſi poſt mortem filii nupſit, bona quidem eius aduentitia, hoc eſt, aliunde quæſita, quã à patre, capiet mater pleno iure, & dominio & vſufructu, pro ſua ſcilicet parte, pro qua ſuccedit; neque enim ſola ſuccedit, ſed cum fratribus & ſororibus defuncti, vt iam docui. Bona autem profectitia, id eſt, quæ filius iſte à patre habuit, capiet mater non pleno iure, ſed vſusfructus tantum. proprietatem verò habebunt cæteri filii ſuperſtites, fratres & ſorores defuncti. *l. mater. C.*

ad SC. Tertull. Si ante mortem filii nupſit, nullam partem proprietatis in vllis bonis filii capiet, ſiue aduentitiis, ſiue profectitiis; ſed in omnibus habebit partem vſusfructus tantum iure; ſiue ab inteſtato ſuccedat in virilem partem, ſiue ex teſtamento; eam, quam ipſi filius reliquit. *l. fœminæ. §. vlt. C. de ſecund. nupt.* dum tamen non ſit minor Falcidia, ſiue legitima. Ex his, quæ diximus, apparet, diſtingui primum inter bona aduentitia & bona profectitia. item inter tempora, vtrum ſcilicet mortuo filio an viuo mater ſecundo nupſerit; denique inter viduitatem permanentem, & ſecundas nuptias, quibus ſolis pœna iniungitur. Videamus nunc, quid poſtea in hoc iure & in his differentiis ſit à Iuſtiniano Nouellis ſuis immutatum. Et primum *Nou.* 2. ſuſtulit omnes illas tres, quas modo expoſui, diſtinctiones ſiue differentias; eoque etiam nominatim abrogauit *d. l. mater. & d. l. fœminæ. C. de ſecund. nupt.* atque ita conſtituit, vt indiſtinctè mater filio defuncto vnâ cum fratribus & ſororibus eius ſuccedat in virilem portionem omnium bonorum, ſicut & pater ſuccedit. Sed poſtea *Nou. de nupt.* 22. ex tribus illis differentiis vnam tantum illam temporis ſuſtulit, atque in eo ſeruauit, quod *d. Nou.* 2. ſancitum dixi. Sed alias duas differentias reſtituit, ac reuocauit. Atq; ſimul etiam *d. l. mater. & d. l. fœminæ.* atque ita cauit, vt mater quæ ad ſecũdas nuptias tranſit, quocunq; tempore id faciat mortuo an viuo filio; in bonis

qui-

quidem filii paternis & profectitiis vſumfructũ duntaxat habeat. In aduentitiis autem, ſiue in rebus extrinſecus quęſitis habeat plenam proprietatem, vt ſup. dictum. Et ratio conſtituendæ differentiæ huius inter eam quæ viduitatem ſeruat, & quæ iterum nubit, manifeſta eſt & in legibus ſæpè expreſſa, & à me inculcata, vt mirer à Dn. Weſenbecio irrideri & rationes iſtas. & præterea deciſionem, id eſt, differentiam illam inter bona, cum ea optima ſit, vnpe Imperatores in *d. l. mater.* quod ad paterna bona attinet humanitatis ſolius contemplatione dicunt matrem vſufructu eorum potiri. Idemque expreſſum in *d. Nou. de nupt. §. ſi enim expectet. & §. qui non alia.* Quæ *Nou. de nupt.* 22. vt poſterior derogat *d. Nou.* 2. Sed quæritur, an iterum *d. Nou.* 22. hac in parte abrogetur per aliam Nou. poſteriorem, id eſt, per *Nou.* 118. *de her. ab. int. ven. in §. conſequens.* nam in eo §. cum de ſucceſſione ab inteſtato agitur, nulla fit plane mentio huius diſtinctionis, & pœnæ ſecundarum nuptiarum, Sed veriſſimum eſt, quod & Adcurſius, & alii ad *d. l. mater.* ſcribunt, non abrogari, ſed *d. §. conſequens.*, intelligendum eſſe, cum de ſucceſſione filii agitur, iuxta ſupradictam diſtinctionem; pro quo facit *l. vlt. in fin. tit. C. ad SC. Tertull.* Et vulgatum eſt generi per ſpeciem derogari *l. in toto iure. D. de reg. iur.* Atque hæc de bonis filii omnibus tam aduentitiis quam profectitiis, id eſt, paternis, ſi mater ſuperſtes eſt, vel maternis, ſi pater. In lucris autem nuptialibus ita

ius eſt,vt in iis fratres, & ſorores defuncti ſoli ſuccedant excluſa matre. quæ ad ſecundas nuptias tranſiit.idque verum eſt, ſiue ante mortem filii nupſerit iterum ; ſiue poſtea. *d. l. in quibus. & l. ſi quis. C. de ſecund. nupt.* nam ſi poſt mortem filii nupſit , filii portio fratribus debetur iure adcreſcendi,quia nondum filio erat adquiſita. Sin ante mortem filii ,non iure adcreſcendi, quia filio iam adquiſita erat,ſed beneficio legis,id eſt,conſtitutionis *d.l.in quibus*. Quid ergò mater nihilne habebit in his lucris? imò habebit, ſi de lucrando pacta fuerit cum priori marito in tabulis ſcilicet,vt ſolet,nuptialibus,in caſum ἀπαιδίας, ſiue orbitatis,id eſt, in caſum mortis filiorum. *Nou.2.& Nou. 22.* Idemq; conſtituerat Iuſtinianus in *l.vlt.C.de ſecund.nupt.* quæ periit,licet aliquo modo reſtituta ſit ex Baſilicis libris, & clarius confirmauit in dictis *Nouell. & in Nou.68.& Nou.98.* Hanc ergo partem ex pacto conuento ſibi mater deducet,ita vt ea pars mortuo filio ad eam pleno dominio redeat. *Auth.ſed & etſi quid. C.de ſecund.nupt.* In cuius rei & Auth. caſu ponendo multum laborãt Interpretes, & ipſe Adcurſius. ſed tres adfert caſus. primus eſt ex *Nou. de muliere quæ poſt mortem mariti,*&c.*l.nullam poſthac. & Nou. de his qui ad ſecundas nuptias migrant. l.cum illa licentia.* Intelligit Adcurſius hac citatione interpretationem latinam Nouellar. conſcriptam à Iuliano anteceſſore Iuſtiniani temporibus , quam docti viri vbique laudant. ſed eæ Nouellæ non habent vim & autoritatem legis,

legis, &, vt Salicetus ait, illo lib. Nouellarum non vtimur, id eſt, ius ex illo non ſumimus. Veteres igitur DD. & Adcurſius inprimis cum Nouellas nominat, intelligit dictam Iuliani interpretationem; cum Authenticas nominat, intelligit Iuſtiniani ipſas Nouellas, quibus pro legibus vtimur. Recentiores contra DD. librum Iuſtiniani vocant Nouellas; Auth. verò particulas ex iis Nouellis decerptas, & ab Irnerio titulis Cod. paſſim inſertas. Igitur modus ex Iuliani Nouellis prolatus repudiatur paſſim ab omnibus DD. tum quia non eſt ille Authenticus (nam nec ipſe Iulianus fuit à Iuſtiniano adhibitus compoſitioni Digeſtorum cum XVI. viris.) tum quia non congruit *d. Nou. de nupt. §. quoniam infirmas. vel d. Nou. 2.* vnde ſumitur *d. Auth. ſed & ſi quis*. tum deniq; quia falſus eſt, & vitioſus, ſicuti & tertius modus. Quare ſecundum modum omnes communiter approbant etiam, vt video, recẽtiores; qui modus talis eſt. Pactum in tabulis matrimonii factum eſt bipartitum, vt fieri ſolet; vnum, vt mulier in caſum exiſtentium liberorum marito ſuo defuncto lucretur totam donationem propter nuptias à marito ſibi factam. Alterum, vt in caſum non exiſtentium liberorum lucretur certam tantum eius donationis partem, puta tertiam; quod ſi ſimpliciter mulier pacta fuerit nullo caſu expreſſo, in vtrumque hunc caſum pacta intelligitur, vt gloſſ. & alii hic docent. §. 1. *Nou. de æqual. dot.* Moritur poſtea maritus

ſuperſtite vxore, & aliquot liberis, pone, tribus. mulier ex pacto illo primo lucrabitur totam donationem. lucro ſic adquiſito, tranſit poſtea ad ſecundas nuptias, vnde factum eſt, vt ex domina fieret vſufructuaria, dominio in filios à lege translato, vt ſupra docui. Igitur ſinguli filii habebunt dominii tertiam partem in illa donatione. Pone hanc donationem eſſe ccc. aureorum. filii igitur ſinguli habebunt centum aureos, dominio ſcilicet. His iſta conſtitutis; moritur vnus ex iſtis liberis; quæritur, quid mater ex eius ſucceſſione conſequi poſſit in illa parte donationis, quam hic defunctus filius habebat? Hoc loco pactum illud ſecundum, quod factum eſſe dixi in caſum ἀπαιδείας, id eſt, orbitatis vel non exiſtētium liberorum, quodque pactum exſtinctum videbatur exiſtentibus ſcilicet liberis, quodammodo in hac parte & morte filii reuiuiſcit, vt pote ad filium iſtum quod attinet mater eſt ἄπαις, vel matrimonium prius reuiuiſcit non ſua vi, ſed vigore & imperio legis, quæ ſic diſpoſuit æquitatem quandam ſecutæ, vt mater quæ per tranſitum ad ſecundas nuptias dominium huius donationis amiſit, vice verſa in alia re releuetur, argumento *l. eum qui. in princ. D. de iureiur.* nimirum, vt quaſi compenſationis & ſolatii loco redeat ad ipſam aliquid ex lucro nuptiali huius filii defuncti; eoque magis, quod illa iniuria, quam huic filio fecerat ad ſecundas nuptias tranſeundo, morte iam filii extincta ſit. pactum igitur illud ſecundum adiuuat

matrem

matrem, vt pactum adiuuat lex. atque ita quodammodo huius pacti ſubadiuua eſt, vt olim militia Romana ſubadiuuæ dicebatur, adiutores adiutorum. Redibit igitur ad matrem pars aliqua donationis huius. Sed quanta, inquies? tanta ſcilicet, quantam ab initio non exiſtentibus liberis ex pacto nuptiali lucrari potuiſſet. ea vero fuit tertia donationis totius, vt ſupra poſui. Ergò in hoc caſu ſucceſſionis filii erit tertia pars illius partis tertiæ, quam filius iſte habuit. Vnde ſequitur, ſi omnes liberi fortè præmoriantur, matrem donationis totius tertiam partem conſecuturam eſſe, vt in pacto illo ſecundo in caſu orbitatis facto continebatur. Illud notandum eſt, quod in d. *Auth. ſed etſi quis.* & in corpore Nouell. vnde ſumitur veluti in hoc §. *autem. Nou.* 2. adiectum eſt, ſi mater fortè alienauerit donationem illam propter nuptias. nam hæc alienatio non erit rata, niſi pro ea parte, quam alienare potuit, atque ita pro ea parte, quæ ad ipſam rediit ex morte filii. pro reliquis autem partibus, quæ ad fratres defuncti pertinent, nulla erit alienatio. atque ita partim rata erit, partim irrita. Quod ſi mater præmoriatur liberis ſuperſtitibus, tum tota alienatio erit irrita; ſin omnes liberi præmoriantur, tota erit rata. Nec refert cum irrita eſt alienatio, vel tota, vel pars eius; vtrum mater alienauerit poſteaquam iterum nupſit, quo caſu dubitatio nulla eſt; an vero priuſquam nupſit, quo

caſu alienatio valuit, vtpote facta à matre, quæ tum domina erat. ſed tamen etiam hoc caſu tranſeunte ea ad ſecundas nuptias alienatio infirmatur, vt benè Salicetus & Cynus docent. Nunc videndum eſt, vice verſa mater pacta ſit de lucranda tota donatione in caſum non exiſtentium liberorum, partem autem tertiam in exiſtentium, & liberi extent, materque ad ſecundas nuptias tranſeat, atque ita dominium tertiæ partis, quam lucrata erat amiſerit; quæritur ſi vnus ex tribus liberis deceſſerit, an mater illius tertiam partem ſibi integram adquirat, vel ſi omnes deceſſerint, an totam donationem adquirat? Adcurſius vtrumque adfirmat, Cynus contra negat, plus debere ad matrem redire, quam ei abſtulerit pœna ſecundis nuptiis ipſi irrogata. id enim abſurdum videri, & oppugnari fauorem filiorum, propter quos illa pœna à legibus introducta eſt. *l. quod fauore. C. de legib.* Quod & Salicetus probat; & veriſſimum videtur. Ea quæ hactenus de matre diximus, locum etiam habent in patre. & in pacto de dote lucranda facto. Illud diſſimile eſt, quod in d. *Nou.* 22. §. *quoniam infirmas.* ſubindicatur illis verbis, *quod maxime contingit in matre.* quorum ſententia illa eſt, viſa ibi Iacobo Cuiacio; mater lucratur, vt dixi, ex morte filii tertiam partem illius tertiæ, quæ ad filium pertinebat ex lucro nuptiali, reliquum fratribus defuncti adquiritur, fratre ſcilicet mortuo ab inteſtato. Quod ſi teſtamentum fecerit, & extraneos heredes reliquit, tum his heredibus

bus adquiretur non fratribus. ſed hoc, quod dicimus filium teſtamentum feciſſe, maximè procedit matre ſuperſtite, non item patre ſuperſtite, ſi in eius poteſtate ſit. nam filiusfamil. viuo patre teſtamentum facere nullo modo poteſt, ne de bonis quidem aduentitiis, quamuis eorum dominium ad filios pertineat, vſusfructus tantum ad patrem. *l. vlt.* §. *filiis. C. de bon. quæ lib. l. Imperator. D. ad SC. Trebell.* Igitur pleraque omnia eadem in patre obſeruãtur, qui ad ſecundas nuptias tranſiuit, quamuis enim pater non cogeretur liberis prioris matrimonii ſeruare, quod ex dote aliiſque bonis vxoris ſuæ cepiſſet, cum lex id tantum ſuaderet patri, non auautem imperaret. *l. 2. C. TH. de ſec. nupt.* atque ita in *l. 3. C. hoc tit.* ſermo eſt hac in re de matre tantum, non de patre; tamen ſuaſio iſta in neceſſitatem poſtea conuerſa eſt; ita vt hodie pares pene, & communes ſint patres, & matres. *l. generaliter. C. eod. tit. Nou. de nupt. 22. § ſi vero expectet.* eadẽ etiam quę de patre & matre diximus, locum habent & in auo, & in auia, vel etiam remotioribus, ſi videlicet pater & mater non extent. nam ſi patri & matri talis pœna iniungitur ob ſecundas nuptias in fauorẽ prioris matrimonii liberorum, multo magis iniungenda eſt auo & auiæ ob eandem cauſam, vt ſcilicet priuentur proprietate talium lucrorum, eaque nepotibus & neptibus omnino conſeruare teneãtur. *d. l. generaliter & d. Nou. 22. & ibi gl.* Sed quod lucra nuptialia & alia

bona, quæ ab vxore cepit, id ita ſe habet in patre, ſicut de matre dictum eſt, cogi ſcilicet proprietatem eorum liberis prioribus conſeruare ſed in patre dubitatio eſt de eo, quod ipſe ex ſucceſſione filii defuncti cepit, an id quoq; teneatur reſeruare aliis filiis ſuis, id eſt, fratrib. & ſororib. defuncti, vel in nullo pater priuetur, etiamſi filius defunctus à matre communi id habuit, atque ita ex bonis maternis fuerit? Adcurſius in d. *l. hac edictali.* §. *his illud.* putat etiam hac in parte idē ius eſſe in patre, quod in matre ſtatutum eſt. quam ſententiam Cynus & alii ſequuntur quamuis quod notandum eſt, nulla lex aut conſtitutio ſit, quæ id in patre ſanciat, vt in matre. omnes leges enim & Nouellæ cōſtitutiones, quæ pro hac ſententia adferuntur, quæque patrem ad ius matris redigunt, eæ loquuntur de lucris nuptialibus, non autem de ſucceſſione filii, ſiue de bonis filii defuncti, in quæ pater cum fratribus eius ſuccedit, vt acutè Salicetus ad *d.* § *his illud.* obſeruauit, qui tamen eandem Adcurſiii ſententiam adprobat, ea ratione, quod de patre id, quod dixi, in ſucceſſione filii caueri non potuit, cum ante *Nou. de her. ab inteſt. ven.* 118. pater nullo modo ſuccederet filio, ſed excluderetur à fratribus & ſororibus defuncti. Poſtremò notandum eſt in Feudis paternis pariter ſuccedere fratres ex diuerſis matrimoniis natos, quamuis defuncto fratri, de cuius ſucceſsione agitur, alii ſint vtrinque coniuncti, alii à patre tantum, id eſt, conſanguinei, neque enim ab illis germanis ex-

excluduntur, quia in feudis lineę maternę nulla ratio ducitur, vt docet Baldus *in ca. 2. de grad. ſucceſſ. in feud. & in l. 1. C. de legit. hered.* At iure ciuili excluderentur. *Auth. defuncto. C. ad SC. Tertull.*

CAPVT XIV.

De hypotheca liberorum.

Liberi non ſolum dominium habent lucrorum paternorum, quæ mater percepit, & ad ſecundas nuptias migrauit, vt ſup. expoſitum fuit, ſed etiam eorum lucrorum nomine habent cum in iiſdem paternis, tum in cæteris bonis omnibus matris ſuæ conceſſam legibus hypothecam. *l. hac edictali. §. omnibus, vltimo. C. de ſec. nupt.* quod idem poſtea ad patrem productum eſt. *l. ſi quis prioris. §. vlt. & pen. C. eod. tit.* de qua conſtitutione, quia multa bona & noua continet, vt Alberic. Roſatus ait, diligenter nobis & breuiter explicandum eſt. Et primo ſciendum eſt, legitimam eſſe hanc hypothecam, id eſt, legibus cōſtitutā, nō pacto vel cōuentione vlla. Ipſa enim lex tacite res matris pignori obligat, vnde & tacitę hypothecę dicuntur, & tacito pignore res obligatę, quales etiā hypothecę aliis in cauſſis

conſtitutæ ſunt, veluti pupillo in rebus tutoris, vxori in rebus mariti, & ſimilia, de quibus in *D. & C. tit. quæ res tacit. hyp.* Deinde hæc hypotheca datur liberis pro cōuerſatione bonorum, quorum ad ipſos dominium ſiue proprietas ſpectat, vſusfructus ad matrem; & datur ideo vt ea bona magis in tuto collocentur. Nam licet matri interdictum ſit, ea bona alienare, vel diminuere; & ſi alienet, alienatio ſit irrita, ideoq; liberi poſſint rei vindicatione ea bona ad ſe reuocare à quocūq; poſſeſſore. *Nou. 22. cap. 24. alias cap. 5. §. ſed quod ſancitum. & paſſim in legibus huius tit. C. de ſec. nupt.* tamen tutius, & conſultius eſt liberis, habere quoque hypothecam in omnia matris bona. Datur autem hæc hypotheca non ſolum contra matrem. *d. §. his omnibus.* ſed etiam contra patrem, vt nominatim conſtitutum eſt in *l. ſi quis prioris. §. pen. & vlt. C. eod.* vt mirer doctiſſimum Corneum id negauiſſe in *l. cum oportet. §. non autem. C. de bon. quæ lib.* Res autem illæ, pro quarum conſeruatione hæc hypotheca legibus conſtituta eſt, non ſolum ſunt lucra nuptialia omnia, quæ inter viuos vel mortis cauſſa coniux cepit à coniuge, ſed etiam alia bona aliæque res quæ ad filium ipſum à matre vel à materna linea peruenerunt, vt pote in quibus ſimiliter à lucris nuptialibus vſusfructus à parēte habeatur, idemque & de bonis patris dicendum eſt. *d. l. hac edictali. §. his omnibus. & d. l. ſi quis prioris.* Tertiò in quo præcipuè verſatur vtilitas huius hypo-

pothecæ, in eam veniunt primò ipſæ res, pro quibus hæc hypotheca conſtituta eſt, & quatenus domini ſunt ipſi filii. Sed hîc obiicitur regula Iuris: nemini res ſua pignori obligari poteſt. *l. neque pignus. D. de reg. iur.* qua ratione motus Adcurſius, & Baldus dicunt, has res non contineri in iſta hypotheca; quæ ſententia oppugnat fauorem liberorum, & nimis reſtringit generalem diſpoſitionem *d.§. his omnibus.* Obiectioni autem ſic cum Cyno & Saliceto reſpondendum eſt, has res, id eſt, lucra nuptialia non eſſe plene liberorum, cum vſusfructus ad matrem pertineat, nuda autem proprietas ad liberos. Dictæ autem regulæ locus eſt, vbi res plane mea eſt, non vbi vſufructu tantum vel dominio tantum, vel vbi communis cum alio eſt, id eſt, pro parte mea, pro parte aliena. Quod ſi mater non tranſeat ad ſecundas nuptias, minus dubitationis relinquitur. Cum enim ſit domina earum rerum, dicta obiectio plane ceſſat. Hodie tamen quia ex *Auth. vxore. & Auth. ſi tamen. C. de ſec. nupt.* mater in viduitate etiam permanens proprietatem non habet niſi in parte virilem, vt ſup. ſuo loco docuimus, in hac tantum parte ceſſat obiectio; in reliquis autem, in quib. vſufructuaria eſt, ita obiectioni reſpondendū eſt, vt antea dixi in matre ad ſecundas nuptias migrante. Deinde in hanc hypothecam veniunt bona matris, vel patris propria, eaq; omnia, nec ſolum præſentia, ſed etiam futura, vt in *d. §. his omnibus. quæ habet habituraue eſt*, & in *l. ſi quis prioris. §. vlt. quæ habet habiturusue eſt. Qui*

duo loci ſumme notandi ſunt. cum alibi nó ita expreſſe cautũ reperiatur in legitimas & tacitas hypothecas, venire etiam bona futura, vt de hypothecis conuentionalibus *l.vlt. D. qui pot. in pign. & l. quaſitum. §.1. D. de Pign. gloſſ. in l. vlt. quæ res pign. oblig. poſſ.* Hæc quæſtio maxima fuit in fœdere Carthaginienſi, an eo futuri ſocii continerentur. de qua Polybius & alii. Huius rei vtilitas non ſolum in eo verſatur, quod conſultius eſt liberis in pluribus rebus hypothecam conſtitutam habere; ſed etiam maximè in eo, quod præferuntur cæteris creditoribus matris, vel patris, qui in ea, quæ poſtea pater vel mater adquiſiuit; hypothecam ſibi conuentione pepererunt. Neque enim liberis obiicere ii poſſunt, quod eo tempore cum liberi nacti ſunt hanc legitimam hypothecam, hæ res, poſtea adquiſitæ, in bonis matris vel patris nondum erant. vt de conuentionali, ſed ſpeciali, hypotheca traditum eſt *d. l. quæſitum*: nam hîc ſpectamus dũtaxat tempus, quo hypotheca generalis conſtituta eſt, vel lege, vel conuentione, non autem tempus, quo res aliquæ cœperint eſſe in dominio debitoris. *d. §. his omnibus.* Incipit igitur hypotheca iſta ex eo die, quo res illæ, pro quarum conſeruatione conſtituta eſt, ad matrem peruenerunt, ſiue habeat à filiis eas ſibi traditas, ſiue aliter ipſa antea poſſederit, vt rectè docet Adcurſius *§. his omnibus.* quæ vidẽda eſt gloſſa. Poſtremò, notandum eſt, quod & in *d. l. ſi quis prioris. §. vlt. & in d. Nou. 22. §. ſed quod ſancitum.* diligenter cauetur, ne prætextu, vel

occa-

occaſione huius hypothecæ legitimæ vel vllius iuris, quod liberi habeant parentes ſuos in adminiſtratione earum rerum impediant, aut quaſi eorum correctores, vt loquitur d. Nouella eſſe audeant; idque adeò, quia & hoc reuerentiæ parentib. debitæ conueniẽs ſit & poteſtati quam patres præſertim habent; & quia liberis, vt dixi ſatis conſultum ſit, tum directa vindicatione, qua res illas, in quib. dominium habẽt, vindicare à quocũq; poſſeſſore poſſunt, tum vindicatione hypothecaria, qua etiam in omnibus bonis parentum vti poſſunt, & eas res eaque bona à quocunque poſſeſſore, in quem alienata ſint, auocare. Eſt enim hæc vis omnis actionis hypothecariæ, vt & directæ actionis in rem, id eſt, vindicationis. *l. ſi fundus. §. in vindicatione. D. de pign.*

CAPVT XV.

De vſufructu vxori relicto vel dato, ad l. vn. & Auth. C. ſi ſec. nupſ.

NOn ſolum res, ſed etiam vſusfructus rerũ frequentiſſimè vxori à marito relinquitur, vel donatur. relinqui diximus, ꝙ teſtamẽto vel alia vltima voluntate datur; donari quod inter viuos in aliquem confertur puta in vxorẽ donatione propter nuptias, vel alio genere. De priore, id eſt, vſufructu relicto cauet hæc cõſtitutio; de poſteriore, id eſt, de inter viuos dato vſufructu nihil dicit. Nam quod eſt in §. *fin. h. l.* de vſufructu rerum ante nuptias

donatarum, id non pertinet ad vſumfructum ipſum à marito donatum, ſed ad res ipſas vxori donatas, in quibus rebus vxor lege vſumfructum habet conſtitutum, præſertim ſi ad ſecundas nuptias trāſierit, vt ſup. expoſuimus. Et de hoc vſufructu loquitur totus tit. *de ſec. nupt.* quas conſtitutiones obſeruari hęc *L. vn.* pręcipit. At de vtroque vſufructu loquitur *Auth.* hîc ſubiecta, & *Nou.* vnde ſumitur, nimirum 22. *de nupt.* de vtroque inquam, id eſt, relicto & donato inter viuos. Cauet autem *h. l. vn.* de vſufructu vxori relicto in hunc modum, vt cum mulier ad ſecundas nuptias tranſiens, omninò amittat, isque redeat ad liberos prioris matrimonii, atq; ita conſolidetur cum proprietate quæ penes liberos ſemper fuit. atque hoc modo accidit, vt mater omni plane emolumēto careat. Et ratio eſt, quia cum res ipſæ vxori donantur, vel relinquuntur, pœna ſecundarum nuptiarum illa eſt, vt vxor ex domina fiat vſufructuaria, & proprietatē liberis prioris matrimonii reſeruare cogatur. talis pœna nō poteſt in hoc noſtro caſu locum habere, vbi non res ipſę, ſed vſusfructus ei legatus eſt. Nam aut penitus vſumfructum hunc retinere debet, aut penitus amittere. neque enim dici poteſt, matrem habere vſumfructum huius vſusfructus dominio, eius liberis reſeruato; quia ſeruitutis eſſe ſeruitus non poteſt. *l. 1. D. de vſufr. leg. l. vſufructuarius. D. de ſeru. ruſt. præd.* Quare neceſſitas eò rem deduxit, vt per ſecundas nuptias vſumfructum ſibi legatum mater pla-

plane amittat. Imò etiam amplius, ſi forte moram in eo reſtituendo fecerit, debet fructus omnes, quos à die ipſo ſecundarum nuptiarum percepit, liberis ſuis reſtituere: deductis tamen prius ab ea impenſis, quas in res vſufructuarias fecit. *h. l. vn.* Nam nec aliter intelliguntur fructus vlli eſſe, quam impenſis deductis. *l. fructus. D. ſolut. matrim.* Sed an etiam eos fructus reſtituere mater cogitur, quos non percepit, ſed percipere tamen potuit aut debuit. Nam malæ fidei poſſeſſores de his quoque fructibus tenentur. *l. fructus. l. nanis. §. generaliter. D. de rei vind.* & ita ſanè Cuiacius ſentit, matrem etiam teneri; quia & ipſa contractis ſecundis nuptiis malæ fidei poſſeſſor eſſe cœperit. quod verum non puto. I. quia hæc conſtitutio nihil dicit, niſi de perceptis: neque extendi debet cum ſit odioſa, & puniens ſecundas nuptias. II. quia mater non debet ita grauari, vt aliquis extraneus. III. quia non eſt planè & propriè malæ fidei poſſeſſor, cum ab ipſo marito domino vſusfructus ei iure legatus ſit. Poſtremò, quia ita de matre ſcriptum eſt in *l. ſi pater. C. de vſufr.* vbi Adcurſius notat id in matre ſecundum quoſdam ſpeciale eſſe, idque ratione maternæ pietatis. neque obſtat *l. ſi mater. C. de vſur.* quam obiicit, vbi aít matrem cogi etiam ſoluere vſuras, quæ percipi potuerunt. Ergò idem & de fructibus dicendum eſt; quia vſuræ vicem fructuum obtineant. *l. vſura. D. de vſur.* Sed multiplex reſponſio eſt. Primum,

plurimis in rebus vſuræ à fructibus differunt. Deinde *d l. ſi mater.* loquitur de actione negociorum geſtorum, in quam venit omnis diligentia & culpa, qui negocia alterius geſſit ipſo non mandante; ideoq; pecuniam fœnori collocare debet; & ſi non collocet ad vſuras tenetur. *l. tutori. C. de neg. geſt. l. ſi liberto. §. ſi aliena. D. de neg. geſt.* Tertio, nihil in *d. l.* expreſſum eſt, quod mater vſuras non perceperit vel pecuniam fœnori non collocauerit, aut in vſus ſuos non conuerterit. Poſtremò videndum eſt quid *Auth.* hic caueat & *Nou.* 22. *§. ſi verò ſolum.* vnde ea deſumta eſt. Temperat ergo *d. l. vn.* quam expoſui, partim etiam eam amplificat. Temperat in eo, quod ſancit ne mater iſta vſumfructum iſtum ſibi à marito legatum amittat ob ſecundas nuptias contractas, niſi idipſum maritus ſpecialiter caueat; puta ſi vſumfructum ita reliquit ſub conditione, ſi iterum non nupſerit. Nam hæc conditio virgini quidem adiecta inutilis eſt, & reiicitur à legibus, non ita adiecta viduæ. *l. 2. & Auth. cui relictum. & ibi DD. tradunt. C. de ind. vid. toll.* Amplificat autem in eo, quod cauet idem de vſufructu dato, vel donato inter viuos, quo caſu ſcilicet donationes inter virum & vxorem valere poſſunt, quæ alias regulariter ſunt interdictæ, licet ex oratione Seueri morte & ſilentio coniugis donatoris confirmari poſſint, vt *l. ſi ſponſus. & paſſim. D. de donat. int. vir. & vx.* Item in eo amplificat, quod cum hæc *l. vn.* loquatur de vſufru-

vſufructu tantum vxori à marito relicto, *d. Nou.* 22. idem vice verſa ius conſtituit in vſufructu ab vxore marito relicto. His ita expoſitis elegans & frequentiſſima quæſtio explicanda nobis eſt, ſi maritus, vt fieri ſolet in teſtamento vxorem ſuam dominam & fructuariam ſimul relinquat, quidnam his verbis contineatur, vtrum ſolus vſuſtuctus, an etiam proprietas? quæ vt melius intelligantur, & à DD. perplexitatibus nos melius expediamus, per ſingulares quaſdam concluſiones rem totam explicabo. Prima igitur illa eſto; ſi relicto filio herede vxori legatus ſit vſusfructus omnium bonorum, addito vt vna fruatur cum filio, qualis ſpecies refertur à Cicerone in orat. pro Cæcinna. circa princ. ibi *moritur Fulcinius, &c.* quo loco Hotomannus interpretem neſcio quem irridet & Doctorculum, vt ait, Patauinum ab eo conſultum: ſed malè, & immeritò. Neque enim illi hoc voluerunt, quaſi temporibus Ciceronis vel prioribus Lex Falcidia vel Nouellę Iuſtiniani, quibus de legitima liberorum ad exemplum Falcidię cautum eſt, extarent; ſed talem caſum, qui quotidie etiā noſtris tēporibus occurrere ſolet, ex iure quo vtimur, decidere voluerunt. quod & Cuiacius ipſe vir cum iuris tum antiquitatis omnis peritiſſimus hoc loco fecit allato etiam dicto Ciceronis loco, idemq; in hoc caſu ſtatuit, quod illi ab Hotomanno irriſi Interpretes, nimirū matrem vſufructuariam eſſe, exceptâ tantum illa parte legitima, quæ liberis debetur; & q̄ integra, illibata, ple-

na,id eſt, vſufructu non deducto, eis competit ex *Nou. de trient. & ſem.* Nam in legitima iſta portione nihil iuris, etiam quod ad vſumfructum attinet, mater habet. *d. Nou.* 22. §. *prohibemus.* & notatur in *Auth. nouiſſima. C. de inoff. teſtam. & in l. omnium. D. de vſufruct.* Quod autem Hotomannus dicto loco Ciceronis partitionis legatum intelligi ait, id verum non puto. Nam tale legatum olim fuit, cum heres iuberetur à teſtatore hereditatem ſuam partiri atque diuidere, vnde partiarius legatarius dicebatur, teſte non ſolùm Vlpiano in *tit. de legat. in fragment.* ſed etiam Iuſtiniano in *§. ſed quia. Inſt. de fideicom. hered.* At in loco Ciceronis filius heres fuit omnium bonorum ſolus, nec diuidere ea, vel partiri cum matre iuſſus eſt: ſed matri vſusfructus tantum relictus eſt. non fuit igitur partiaria legataria. Quare filius moriens de omnibus bonis tanquam ſolus dominus diſpoſuit heredemq; ſibi fecit Publium Cæſennium; vxori; vt ait Cicero, grande pondus argenti, matrique partem bonorum maiorem legauit. itaque, inquit, in partem mulieris vocatæ ſunt; hoc eſt, fecit eas ambas participes bonorum; vnde & partitionis nomen bis poſtea vſurpat; non quod eſſent partiariæ legatariæ, nam hoc, vt dixi, tantum in herede & legatario locum habet. Secunda cōcluſio eſt; ſi maritus inſtitutis aliis heredib. ſic caueat. Relinquo vxorem meam bonorum meorum dominam & vſuariam, vel vſufructuariam. De hac quæſtione variè DD. ſentiunt. Alii dicunt relictum hoc planè non vale-

valere: quia contingeat repugnantia. *l. vbi. D. de reg. iur.* Repugnat enim naturæ, & iuri, vt idem ſit dominus & fructuarius, ſiue vt dominus in rebus ſuis ſeruitutem habeat. *l. vti frui. D. ſi vſusfruct. pet.* Eſt enim vſusfructus ius alienis rebus fruendi, non ſuis. *Inſt. in pr. de vſufr.* Alii dicunt ſic intelligi, vt videantur grauati eſſe tanquam fideicommiſſo, nimirum de reſtituenda vxori hereditate. Sed hæc nugatoria ſunt. Alii dicunt valere; ſed ita, vt in eo contineantur duo legata, vnum proprietatis, alterum vſusfructus, ex quibus alterutrum eligere mulier debeat. *l. ſi Titio fundus. D. de vſufru. leg.* Sed & hoc ineptum eſt, neque locum habere poteſt in quæſtione propoſita, vbi ſcilicet heredes alii ſunt inſtituti, aliis vſusfructus relictus, ſed locum habet in legato aliquo particulari duobus ita relicto, puta Titio fundum do lego, eundem fundũ eiusq; vſumfructũ Caio do lego, vel Titio fundũ & ei⁹ fundi vſumfructum, vt eſt in *d. l. ſi Titio.* vt non poſſim ſatis mirari quod in hac quæſtione noſtra dicatur, hanc eſſe communem opinionem; cum, vt dixi, huic quæſtioni nullo modo quadret. Alii denique proprietatem quidem non eſſe vxori relictam dicunt, & in hoc conſentiunt; ſed quid relictum ſit in eo diſſentiunt. Quidam enim dicunt ſolum vſumfructum relictum eſſe, quos Cuiacius ſecutus eſt in *d. tit. C. de ſec. nupt.* Quidam diſtinguunt, vtrum ſit filius heres inſtitutus, an extraneus. nam ſi filius ſit inſtitutus, aiunt vxorem non habere ne vſumfructum quidem, ſed alimenta dunta-

xat, vt habebat viuo marito, quo alimentorum nomine non ſolum cibus, & potus, ſed etiam veſtes & habitatio continentur, aliaque, ſine quibus viui non poteſt. *l. legatis alimentis. D. de alim. leg.* idque fauore filiorum ita ſentiunt: ſin extraneus ſit heres inſtitutus, tunc electionem illam, quam ſup. dixi, vxori tribuunt, vt vel proprietatem, vel vſumfructum eligat. Bartolus hanc diſtinctionem probat inter extraneum filium heredem inſtitutum; niſi quod herede extraneo inſtituto ſine vlla electione, quam dixi vſumfructum tantum matri tribuit, vt verba relicti ſonare ait, & probat per *l. vxori meæ. D. de vſufr. legat. & l. omnium. D. de vſufr*, Contra autem Cynus totam hanc diſtinctionem improbat, atque vtroque caſu mulieri alimenta tantum legata intelligi; quod durum eſt, miror q; id Saliceto probari, ſed ineptiſſimis rationibus. quare in tanta perplexitate tutiſſima mihi videtur Bartoli ſententia, vt mulier vſufructuaria tantum ſit; niſi fortè filius ſit inſtitutus, quo caſu alimenta tantum deberi concedit. Quæ ſententia primum Bulgari fuiſſe dicitur Bononiæ profeſſoris & conſiliarii Imperatorii, eamque opinionem de cõſuetudine curiæ obſeruari dicunt. Neque obſtat, quod verbum, Domina, in hoc relicto vſurpatum fuerit. Nam ex ſequenti verbo fructuaria limitandum eſt; quaſi dictum ſit, domina, id eſt, vſufructuaria, ſiue domina vſusfructus, non rerum. quomodo etiam vſufructuarii vocantur domini. *l. in venditione. D. de reb. aut. iud. poſſ.* atq; ita vt Grammatici loquuntur,

ὡ διὰ δυοῖν, poſitum erit. Certe teſtator cum alios heredes inſtituerit, non videtur voluiſſe, hanc inſtitutionem inanem eſſe &mulierē facere heredem,id eſt,dominam. Tertia concluſio eſt; ſi nullis inſtitutis heredibus quis relinquat vxorem, vel aliam dominam vel adminiſtrationem bonorum ſuorum; addito tamen, ad vtendum & fruendum. nam hîc proprietas plena intelligitur relicta. Neque obſtat illa additio,quia etiam domini maxime reb. ſuis fruuntur. Atque ita eleganter Alcimus Auitus li. de orig mundi: *Solus habe,ſoluſq; prior dominare fruendo.* Atq; ita in iure noſtro vſus, & fructus nomine etiam interdum proprietas ipſa venit, pro materia ſcilicet ſubiecta, vt in. *l.donatione. §.ſpecies. D. de donat. & in l. ſpecies. D. de aur. & arg. leg.* Itaque & Socinus *conſil.* 34. *verſ. in contrarium.* ſcribit; ſi mulieri conceſſa ſit poſſidendi & fruendi poteſtas intelligi ipſam proprietatem eſſe conceſſam,quod & Alex.de Imola probat in *d. §.ſpecies.* in noſtro hoc caſu, & Baldus *in l. libertis.* 1. *in princ. D. de alim. leg.* Quarta concluſio in eleganti & ardua ſpecie, quam tractat doctiſſimus Zaſius in *conſil.* 18. *volum. 2.* in qua ſpecie relictis filiis heredibus mulier iuſſa eſt habere omniū bonorū adminiſtrationē,diſpenſationē,plenā perfectáq; poſſeſſionē, cū omniū fructuū pceptione, donec ad ſecūda vota trāſiret. Cōtendit. n. & pugnat eo cōſilio Zaſius, matrē iſtā nō vſufructuariā eſſe,ſed proprietariā. Sed hoc ideo, quia in teſtamēto additū erat, *Ea lege & conditione filios heredes inſtitui vt tandem hereditas poſt mortem*

matris ad eos veniret. Releuari igitur matrem ab iſto onere cautionis, & rationis faciendæ, cum non ſit fructuaria, ſed verè proprietaria, licet ad tempus, hoc eſt, vſque ad vitam ſuam, ita vt bona illa non poſſint alienari. Sed hoc non obſtat, quin aliquis ſit vere dominus dum viuit. exempli cauſsa heres grauatus de hereditate poſt mortem ſuam alteri reſtituenda, non propterea minus eſt dominus in ſua vita, licet res alienare non poſſit. *l. non minus. D. de rei vindic. l. fin. C. comm. de legat. Alciatus in l. recte dicimus. D. de ver. ſig.* atq; ita etiam in propoſito noſtro Baldus matrem quaſi proprietariam eſſe dicit, dum viuit, in *l. fœmine. C. de ſecund. nupt.*

CAPVT XVI.

Ad l. hac edictali.

QVid iuris ſit in lucris nuptialibus in quibus vir aut mulier ad ſecundas nuptias tranſeundo punitur, ſatis à nobis demonſtratum eſt. Deinceps de bonis propriis cognoſcẽdum eſt, id eſt, qua ratione vir aut mulier in ſuiſmet facultatibus coerceatur ob ſecundas nuptias, extantibus liberis prioris matrimonii. Qua de re eſt hæc nobiliſſima Leonis & Anthemii conſtitutio, à Iuſtiniano in *Nou. de nup. §. optime.* & alibi ſæpe laudata, & à ſapientiſſimo

mo illo Galliæ Cancellario Michaele Hoſpitalio in ius Gallicum relata, regioque edicto ſancita. Huius quidem conſtitutionis tantus eſt fauor, tanta æquitas, vt etiam ſtatuta lucrum dotis marito addicentia, & ſimilia huic legi non derogent: ſed ex ea interpretationem capiant: vt Bartolus hîc adnotauit, eumque omnes ſequuntur. Decius *conſil.* 19. *& alii.* ſane quin lege municipali derogari poſſit dictæ conſtitutioni, cum ſit ius poſitiuum, nec dubitandum videtur; & fauor matrimonii ſuadet, quo citius viduæ reperire maritos poſſint. Non idem de pacto dicendum; neque tanta vis pacti eſt, quanta legis, vt in hac re ipſa Iaſon ſcribit in *Auth. preterea. C. vnde vir & vxor.* Eſt autem eius hæc ſumma, Non poſſe mulierem, aut virum, ad ſecundas nuptias tranſgreſſum plus in nouum coniugem ex ſuis bonis vllo titulo vel inter viuos vel mortis cauſſa transferre, quam dederit aut reliquerit vni alicui ex liberis prioris matrimonii, cui minimum dedit aut reliquit; dum tamen id, quod filio reliquit, non ſit minus portione legitima. Nam ea omnino relinquenda liberis eſt, dũ non ſint ingrati. Nunc ſingula explicemus. At primum ratio huius conſtitutionis eſt illa; quod mulieres inſano amore plerunque captæ noui mariti, pleraſque facultates in eum effundunt liberis prioris matrimonii neglectis & defraudatis. *l. lex quæ. C. de admin. tut.* Idemque & de viris dicendum eſt. quo pertinent illi Homeri verſus Odyſſ. lib. 6. quos latine ſic inter-

pretati ſumus:

Noui, qualis amor muliebri in pectore regnet
Illius vt cupiat ſobolem florere, domumque,
Cui poſt iuncta viro eſt. At natos ſæua priores
Negligit, & cari quondam dulciſq; mariti
Immemor, haud vlla capitur poſt funera cura.

Nec mirum mulieres ſic obliuiſci liberorũ ob nouum viri cubile: cum etiam ſæpe obliuiſcantur ob cubile non viri, id eſt, illegitimum concubinatũ, vt commemorat Aug. Thuanus li. 11. hiſtor. de Bona Sfortia Poloniæ regina q̃ ait cuidã Papacaudę omnia bona in teſtamẽto, præteritis liberis, reliquiſſe. Fauore igitur liberorũ primariò ſcripta eſt hæc conſtitutio. Vnde perperam aiũt patrem nõ poſſe renunciare etiã cũ iuramento huius conſtitutionis beneficio, quia hæc conſtitutio non ſolius patris, ſed etiam filiorum fauore lata ſit, cuius ſententiæ author Bartolus citatur male ab And. Gail *li.* 1. *obſer.* 40. Bartolus enim in principio ad hanc l. ſcribit, non poſſe patrem donantem renunciare huic legis beneficio, quod non eſt inductum in eius fauorem, ſed alterius. Secundo, ſciendũ eſt, quod de matre & patre coercendo diximus, idem hac conſtitutione produci ad auiã, proauiã, &c. vt idẽ ius in eorum bonis ſit nepotib. & neptibus pronepotibuſq; & proneptibus, ſi parentes eorũ defuncti ſunt. exẽpli cauſſa auus mortua vxore auia mea aliã vxorẽ duxit, huic vxori quæ mihi eſt nouerca magna non poteſt vllo titulo plus dare vel relinquere, quam mihi vel

vel alii fratri meo, cui minimam portionē dederit aut reliquerit. idemque eſt ſi auia alteri nupſit, qui mihi eſt vitricus magnus. Illud etiam hic notandum eſt, quod in pluribus gradibus cautum iam dixi, id eſt, contra parentes, auos, proauos, &c. idem etiam in pluribus vnius matrimonii caueri; ſi pater meus, puta non ſolum ſecundas, ſed tertias, & quartas nuptias contraxerit. denique addit hæc conſtitutio, generaliter id obſeruādum eſſe, ſiue liberi in poteſtate ſint, ſiue emancipati, emancipatæue ſint, vel ex paterna linea veniunt. *h. l. §. obſeruationem.* nam in hac re non habetur vlla ratio patriæ poteſtatis, alioquin ne ipſæ quidem matres ſecundo nubentes hoc iure tenerentur, cum conſtet fœminas non habere filios in poteſtate. *l. mulierem. C. de adopt. § fœminæ. Inſt. eod.* habetur ergò ratio ſolius naturæ, & cuiuſdam, vt antea dixi, vindictæ, quam leges irrogant, intemperantiæ eorum qui extantibus ex priori matrimonio liberis ad ſecundas nuptias tranſeunt. Tertio pertinet etiam ad locum de perſonis, quod in hac conſtitutione ſolum pater, mater, auus, auia, &c. tranſiens ad ſecundas nuptias coerceatur, ſi nimiam liberalitatem in ſecundum coniugem conferat. quid igitur ſi alius conferat? pone, pater pro filia ſua vidua, quæ alteri nupſit, dotem ſecundo marito dedit, iſque partem dotis lucratus eſt. vxore mortua quæritur, an primi matrimonii filii, vel aliquis eorum, qui minimum à matre ſua conſecutus eſt, poſſit à vitrico ſuo qui plus quā ipſe, habet ab vxore, repetere & auocare iuxta

hanc conſtitutionem? Videtur enim dicendum huic legi locum non eſſe; quia nihil de hoc caſu cauet, & ſecundus maritus, non à ſola vxore, ſed à patre eius dotem conſecutus eſt. Verum diſtinguendum eſt hoc modo, vt ſi pater ante filiam ſuam, pro qua dotem dedit, mortuus fuerit, tũ omnino huic conſtitutioni locus ſit. ratio eſt, quia hoc caſu dos tota conſolidata eſt in perſonam ipſius filiæ, quæ antea erat ei cõmunis cũ patre. *l. 2. §. 1. D. ſolut. matr.* Atque ita ab ipſa filia, id eſt, ab vxore ſua maritus nouus accepiſſe dotem intelligitur; de quo cauet hæc conſtitutio. Quod ſi filia mortua pater eius ſuperſtes ſit; iterum refert, vtrũ dos ad patrem redire debuerit, & hoc caſu non poteſt eſſe locus huic Legi; cum ſolus pater dotẽ dediſſe intelligatur; non autem vxor, quę ſecũdo nupſit: an vero liberis dos reſtitui debuerit, vel ex iure, vel ex ſtatuto, ſiue cõſuetudine. quo caſu erit huic conſtitutioni locus, vt rectè Salicetus & alii ſcribunt, & notatur plenius in *l. dos à patre. C. ſolut. matr.* Quarto, nominantur in hac conſtitutione quidam tituli, Teſtamentum ſcriptum, & non ſcriptum, id eſt, nũcupatiuum, item codicilli; ſignificaturque nec heredis iure, nec legati, vel fideicommiſſi titulo, relinqui vitrico plus poſſe. nominatur & donatio mortis cauſſa, item ante nuptias donatio, deniq; ſimplex donatio. De quib. generib. aliquid amplius exponendũ eſt. Et ꝙ ad duo priora attinet, opponitur huic cõſtitutioni *l. ſi liberis. C. de donat. ant nup.* in qua ſcriptũ eſt, nec patrem nec matrem ad ſecundas nuptias tranſeuntem

untem cogi reſeruare liberis primi matrimonii aliquid ex donatione propter nuptias, vel ex dote ad ipſos ſoluto matrimonio reuerſa. vnde apparet, poſſe parentes libere de rebus iis diſponere, eoque res totas in ſecundum maritum vel in ſecundam vxorem conferre quouis titulo. Quod è diametro aduerſatur huic conſtitutioni Leonis. Sed rectè ad eam legē Adcurſius hæc cōciliat, vt *d.l.ſi liberis.* intelligatur eo caſu, quādo mater vel pater pręter donationem vel dotem habeat alia bona, ex quibus poſſit filio, vel filiis primi matrimonii tantum dare, vel relinquere, quantum nouo coniugi dederit, vel reliquerit in illa ſcilicet dote vel donatione propter nuptias. Donatio quoque ſimplex & inter viuos facta in hac L. recenſetur, vt per eam non poſſit in ſecundum coniugem plus conferri. Sed videtur hoc totū de hac donatione fruſtra hîc cautum eſſe; quia conſtat, ipſo iure tales donationes interdictas eſſe inter coniuges. *l. 1. & tot. tit. D. de donat. int. vir. & vx.* Ad hanc obiectionem ipſi Imperatores in hac l. reſpondere voluerunt, cum aiunt, eas donationes eſſe quidē iure ciuili interdictas & non valere; ſed tamen poſſe eas ex oratione D. Antonini confirmari, ſi donator prior deceſſerit, quā coniux donataria; & donationem antea factam non reuocauerit. *l. cū hic ſtatus. D. eod.* Igitur opus fuit hac conſtitutione Leonis, ne talis quoque donatio fieri poſſet in præiudicium liberorum primi matrimonii. Ex his quæ diximus, intelligimus liberalitatem duntaxat in nouū nuptum vel nouā

nuptā hac conſtitutione coerceri: omnes enim tituli iam commemorati referuntur ad vnum donationis genus, id eſt; hereditas, legatū, fidei-commiſſum, donatio propter nuptias, donatio mortis cauſſa, donatio ſimplex. At verò non prohibetur pater, vel mater in ſecundum coniugem res ſuas conferre alio titulo, vt ita dicā, oneroſo, id eſt, qui donationē nō habet, veluti cōtractu, emptione venditione, permutatione, locatione, mutuo, & ſimilibus. In quo tamē cauendū eſt, ne tales cōtractus ſint fraudulenti, & imaginarii, ne donationis cauſſa facti ſint; puta ſi res magni valoris vno numo vēdatur: talis enim venditio potius donatio eſt, ideoq; inter coniuges interdicta eſt, vt aliæ donationes, quamuis nulli extent liberi. *l. ſi quis. 38. D. de contrah. emt. l. vir vxori. D. ad S C. Velleian.* Atque hoc nimirum eſt, quod Imperator Leo *in h. l. §. ſin verò:* intellexit, cum generaliter ſancit, *omnem circumſcriptionē procul amouemus, quocunq; modo fuerit excogitata.* Quintò, cauet hæc conſtitutio, ne plus conferatur in nouū coniugē, quam in aliquem filiorum primi matrimonii, cui minima portio data vel relicta fuerit ex bonis parētis. hoc loco ergò q̄ritur, quodnā tempus ſpectari debeat in quantitate bonorū parentis æſtimanda, vt intelligere poſſimus, vtrū plus in nouum coniugē collatū ſit, quā in vnū ex liberis primi matrimonii. Et Iuſtinian⁹ expreſſe definit in *d. Nou. de nupt. §. quia verò hactenus.* obſeruari tempus mortis huius parentis. Aliter enim ſæpe error incideret,

tet, maximè cum facultates hominum nũc augeantur, nunc minuantur, vel fortuito caſu, vel aliter, ſicut & in ponenda ratione L. Falcidiæ ſpectatur tempus mortis teſtatoris. §. *quãtitas. Inſt. de l. Falcid. l. in quantitate. D. eod. tit.* Euentum igitur in hoc propoſito noſtro ſpectari Iuſtinianus iubet, id eſt, tẽpus, vt dixi, mortis. Sed huic definitioni & legi obiicitur alia eiuſdem Iuſtiniani conſtitutio, quæ eſt in *l. ſi conſtante. in fin. C. de donat. ant. nupt.* Vbi non tempus mortis, ſed donationis factæ ſpectari hac in re dicitur. Quæ obiectio mirè torſit Interpretes noſtros, quorũ etiam aliqui dixerunt *d. l. ſi cõſtante.* correctam eſſe per *d. Nou.* vtpote poſteriorẽ, quæ ſolutio nihili eſt, & refellitur diſertè ex ipſa *Nou. in §. de augmentis*; vbi Iuſtinianus expreſſe confirmat *d. ſi conſtante.* Alii aliter ſoluunt, vt videre eſt apud Accurſium, Cynum, Salicetum, Azonem. Sed dicendum eſt, dictæ Nou. non obſtare aliam illam *l. ſi cõſtante* quod manifeſtum fiet, ſi quid in ea l. agatur, expoſuerimus. Loquitur ergo *d. l. ſi conſtante.* de dotis & donationis propter nuptias deminutione, quã lex fieri permittit, ſi pater vel mater nõ habeat filios ex primo matrimonio. ꝙ ſi habeat, tũ dotẽ vel donationẽ propter nuptias ſemel factam, poſtea deminui vetat, ne aliqua fraus huic L. Leonis vel ꝑiudiciũ inde fiat filiis primi matrimonii. Mulier habet vnũ vel plures liberos ex primo matrimonio deinde ad ſecũdas nuptias trãſgreſſa, cõſtituit ſecundo ſuo marito mille aureos pro dote. debet igitur etiã vnicuiq; filio prioris matrimonii tantundẽ da-

re aut relinquere, id eſt, ſingulis mille aureos; quia non poteſt minus iis dare, quam dedit nouo marito. quod ſi minus iis det vel relinquat, tum liberi id, quod plus ſecundo marito ipſorum vitrico datum eſt, ab eo reuocare poſſunt, iuxta hanc *l. hac edictali.* Hoc intelligens mater, amore ſecũdi mariti capta, vult defraudare liberos primi matrimonii excogitata tali fraude contra ipſos, contraque hanc conſtitutionem Leonis. Fingit, ſe minuere dotẽ illam mille aureorum, quam marito dedit, & ex mille aureis redigit puta ad L. Vnde fit, vt filii non poſſint ſinguli petere plus, quam L. Huiuſmodi igitur fraudibus, & machinationibus occurrere Imper. Iuſtinianus voluit in *d. l. ſi conſtante. §. vlt. & in d. Nou. de nupt. §. de augmentis.* Atque ita generaliter ſancit, ne dotis vel donationis propter nuptias deminutio fieri poſſit extantibus liberis ex primo matrimonio. neque hæc fraus à filiis probari debet; quia lex, id eſt, Iuſtiniani conſtitutio ſemper præſumit eã intercedere; quare nec probatio quidem in contrarium admittitur; vt rectè Adcurſius annotat ad *d. §. de augmentis.* Sextò, cauet, non minus legitima ſeu Falcidia liberis relinqui. legitima enim portio filiis minui non poteſt, niſi probẽtur ingrati. hinc illa quæſtio oritur, ſi ab inteſtato mulier deceſſerit, & vir ſecũdus totam dotem ex pacto ſit lucratus, nihilq; prçter dotem mulier habuerit, an filii prioris matrimonii poſſint agere contra vitricum ex hac l. Leonis? Et verum eſt, poſſe vt vnusquiſque eorum æqualẽ partem cum vitrico ferat.

tat. quamuis enim hæc L. loquatur de liberis quibus minus, quam vitrico relictum eſt, tamẽ appellatione minoris etiam continetur, quod nihil eſt, vt gloſſ. ait *l. illud. § his. D. de trib. act. l minus. D de verb. ſig* Sicut & appellatione pluris continetur etiam totum. *l. 2. C. de hered. inſt. l. cæterorum. D. de verb. ſig*. Sed amplius quæritur, an liberi, quibus nihil à matre relictum eſt vitrico totum obtinẽte, poſſint primũ petere legitimam portionem, id eſt, Falcidiã, quæ iure naturæ eis debetur; eaque deducta petere, etiam vt reliquum vnâ diuidant cum vitrico, iuxta hanc L. an verò legitima portio cõfundi debeat, ita vt ex tota ſubſtantia fiat diuiſio, neq; legitimam præcipuam filii habeãt? Et Adcurſius quidem ad hanc L. ſatis innuit, confundendã eſſe; & apertius in *Nou. quib. mod. nat. eff. §. & quoniã variè.* Contra autem Bartolus ſentit, liberos primũ poſſe legitimã petere, eamq; auocare per querelam inofficioſæ dotis, vel donationis à matre factæ iuxta tit. *C. de inoff. dot. & tit. de inoff. don.* quo facto ſi quid plus ſit penes vitricum, id ab eo condictione ex hac L. pe[illegible]i; nec vnum remedium per alterum tolli, cũ legitimam accipiant vt ſibi debitam; illud autẽ ſuperfluũ vitrico auferant ex hac cõſtitutione Leonis. iudicium enim rei perſecutorium non tolli per iudicium pœnale, & vice verſa. *l. 1. l. ancillæ. C. de furt. & ibi DD.* & & hæc Bartoli ſententia, vt filiis legitima præcipue reſeruetur communiter ab omnibus adprobatur, teſte etiam Iacobo Menochio *conſil. 76. num. 13.* Videri tamen poſſit Adcurſii (ſi ita ſentit,) ve-

tior opinio; quæ & Iacobi Rauennatis & Iac. Butrii fuiſſe dicitur; vt vna tantum actio reuocatoria filiis competat. ad auocandum vitrico quod plus habet, & diuidendum inter ipſos, & vitricum. Quod hæc Lex vitricum vel nouercam non in plus onerat, quam vt tantum habeat, quantum vnus ex liberis primi matrimonii, cui minima portio relicta ſit, quæ non debet eſſe minor legitima ſiue Falcidia. Nec debent pœnæ legum interpretatione exaſperari. *l. interpretatione. D. de pœn.* eoque maximè facit, quod duarum quartarum detractio ex eadem hereditate abſurda eſt, & iure ciuili plane improbata, *Nou. de reſt. & ea quæ par. in princ.* & ibi Bartolus notat *& l. quanquam. C. ad L. Falcid. l. Papinianus. §. meminiſſe. D. de inoff. teſt.* licet iure Canonico admittatur. *c. Raynucius. de Teſtam.* Sunt & aliæ quęſtiones ad eandem rem & inprimis de legitimę confuſione, pertinentes, quas Salicetus & alii tractant, & ego breuitatis cauſſa nunc omitto. Septimò, cauet conſtitutio hæc, ne in ipſum nouā nuptā vel nouū nuptum plus cōferatur. quid igitur, ſi in aliam perſonam eis coniūctam conferatur; veluti ſi mater mea iterum nubens noui mariti filio ex priori vxore ſuſcepto donet plus, quam mihi, vel fratri meo, an hæc L. locum habeat? Atque ita mater donare prohibeatur: non ſolum nouo marito, ſed etiam priuigno? Et verum eſt, huic conſtitutioni locum eſſe *h. l. in §. ſin vero.* in illis verbis: *per interpoſitam perſonam.* argumento *l ſi quis Manichæus. 7. C. TH. de hæret.* & clarius per §.

optime.

optimè. Nou. de nupt. alioquin fieret manifeſtá fraus huic L. Leonis, cum per interpoſitam priuigni perſonam donaretur nouo marito, cui per filium ſuum adquiritur. *l. 3. §. ſecundum. D. de donat. inter vir. & vx.* & generaliter quod mihi adquiri recta non poteſt, id nec per interpoſitam perſonam poteſt. *l. ſi bonis. D. de adq. her. l. & qua. D. de diſtr. pign. l. auferτur. §. quod à præſide. D. de iur. fiſc.* quare nec pater filio adſcribere aliquid poteſt in teſtamento alieno, cum nec ſibi poſſit propter SC. Libonianum. *l. impuberem. § ſi ei D. ad L. Corn. de falſis.* Alia quæſtio eſt, de filiis communibus ex ſecundo matrimonio ſuſceptis an mater eis plus donare vel relinquere poſſit, quam prioris matrimonii liberis? Et certum eſt, poſſe. *§. pen. d: Nou. de nupt.* Sed quæritur, cur priuigno donare vel relinquere ita non poteſt, vt ſup. dixi? Nam hodie non ſolum bona materna, ſed omnia bona aduentitia patri non adquiruntur. *l. 1. & paſſim. C. de bon. mat. & tit. de bon. quæ lib:* Eſt igitur eadem in priuigno ratio, quæ in cõmunibus liberis, id eſt, ex nouo marito ſuſceptis à matre mea. Ergo & idem ius eſſe debet. *l. illud. D: ad L. Aquil.* Reſpõdeo, quod & Cuiacius recte ad hanc L. notauit, In filio cõmuni affectũ naturalem excludere omnẽ præſumtionem fraudis. non præſumitur. inquã, mater in fraudem legum donaſſe filio cõmuni, quem ex nouo marito ſuſcepit. at præſumtio fraudis ſemper verſatur ſi donet priuigno; cum enim non ſit ipſius filius, præſumitur potius marito ſecundo voluiſſe donare, atque ita in fraudem

huius conſtitutionis. Alia quæſtio eſt; ſi vitricus meus in accipienda dote paciſcatur cum matre mea, vxore ſua, vt ea præmoriente dos apud omnes liberos remaneat, atque ita ſit ſtipulatus pro filiis naſcituris, materque mea decedat liberis ex priori matrimonio extantibus. an hæc conſtitutio locum habeat, quæſitum eſt? Maximęque in ea DD. concertationes ſunt, qua de re dixi prioribus lib. II. de donat. int. vir & vx. c. XXVIII. Octauo & poſtremo, conſideranda eſt ſanctio huius L. Leonis, *in §. ſi vero plus.* Eſt autem talis, ſi plus vitrico vel nouercæ datum relictumue fuerit, quam vni ex liberis prioris matrimonii, cui minima pars obuenit, iubet hæc conſtitutio, illud ſuperfluum, id eſt, quod plus datum relictumue eſt, haberi pro non dato, pro non relicto, pro non ſcripto: atque id diuidi inter liberos prioris matrimonii. Qua in ſanctione primum intelligendum eſt, vt liberi prioris matrimonii ſuperfluum conſequi poſſint, vti eos poſſe & debere condictione ex hac l. Leonis iuxta definitionem. *l. vn. D. de condict. ex leg.* Deinde quæritur, an diuiſio huius lucri fieri debeat æqualiter inter liberos, quamuis pater vel mater inæqualibus ex partibus eos inſtituerit vel eis donauerit? Et quamuis legibus admodum commendetur æqualitas inter liberos; tamen parentibus licet filios ſuos inæqualiter heredes inſtituere, vel hereditatẽ ſuam & ſubſtãtiam pro arbitrio inter eos diuidere. *l filii. & l. vlt. C. faml. erciſ. d. Nou. de nupt. §. vlt.* vbi Iuſtinianus dicit, ſe æqualitatem parentibus ſuadere ſed non iubere.

re. Suaſio autem legis non affert neceſſitatem, quia legis virtus eſt iubere, vetare, punire, non autem ſuadere. *l. legis. D. de legib.* Et Seneca Platonis leges irridet, quod magis ſuadeant, quam imperent. Lucrum autem illud inter liberos primi matrimonii æqualiter diuidi debet; ſed quæritur an etiam inter liberos ſecundi matrimonii, id eſt, an hi liberi concurrant cum liberis prioris matrimonii? Et Imperator quidem Leo liberos tantum prioris matrimonii admittit ad hoc lucrum, Iuſtinianus vero in *l. quoniam præteritæ. C. eod.* contra iubet, etiã filios ſecundi matrimonii ad iſtã diuiſionem admitti, ſed poſtea ipſemet ſuam conſtitutionem recantauit in *d. Nou.* 22. atq; ita ad ius vetus, id eſt, ad cõſtitutionem Leonis rediit. Et merito, quia hæc pœna inflicta eſt parentibus in fauorem tantum liberorum primi matrimonii, vt ſupra initio docui.

CAPVT XVII.

De ingratis.

Beneficium *L. hac edictali.* quã proximè expoſui, nõ datur liberis ingratis. vetat enim conſtitutio, ne parens, qui ad ſecundas nuptias tranſiuit in nouam nuptam vel nouũ nuptum plus vllo titulo conferat, quã in aliquem ex liberis prioris matrimonii, cui minimum dedit.

Minimum autem ita intelligit dum non ſit tamen legitima minus, quæ liberis debetur ipſo iure naturæ. poteſt quidem parens vni ex filiis minus relinquere, quam cæteris, ſed non poteſt ei minus relinquere legitima portione. hanc enim minuere aut grauare non poteſt vllo modo. *l. quoniam l. omnimodo. C. de inoff. teſtam.* niſi tamen filii fuerint ingrati. nā hi poſſunt etiam in totum exheredari, vt nihil de bonis parentis conſequātur. & hoc eſt quod Imperator Leo in *d. l. hac edict.* ait; *niſi ex his cauſſis, quæ de inofficioſo querelam excludunt.* Sed nihil aperte cauit Leo de beneficio ſuo, quod liberis dedit, vt non plus liceat parenti in vitricum vel nouercam conferre. Id igitur Iuſtinianus mentem Leonis interpretans conſtituit, vt ingrati liberi etiam ab hoc beneficio conſtitutionis Leoninæ excludantur. *l. vlt. C. eod. tit.* Neque enim confundenda hæc duo beneficia ſunt, legitimæ portionis beneficium & dictæ conſtitutionis. quorum vtrumque liberis adimit ſua erga parentem ingratitudo. Ingratitudinis autem cauſſæ iuſtæ quæ ſint hodie, id eſt, nouo iure exponit idem Iuſtinianus in *Nou. vt cum de appellatione.* 115. §. *aliud quoque capitulum.* Nec ſufficit, quem ingratum eſſe, vel exheredatum ex aliqua iuſta cauſſa; ſed oportet id ipſum demonſtrari euidētiſſimis probationib ab iis qui heredes exſtiterunt. *d. l. vlt. in fin. & d. Nou.* 115. Quod primus induxit Iuſtinianus, cum antea potius filio incumberet probatio, ſe immeritò exheredatū eſſe *l. liberi, C. de inoff. teſt.* Idemque apparere oportet vt re-

reuocatio donationis prioris mariti liberis ingratitudinis prætextu factæ valeat. *d. Nou. de nupt. §. mater.* Illud ſciendum eſt, vt adimatur filio ingrato beneficium huius conſtitutionis Leonis, non eſſe neceſſe filium propterea exheredari, nam etiam ſine exheredatione poteſt pater, vel mater aliquid ei minimum relinquere; nec is queri poterit, aut beneficium huius conſtitutionis implorare. Perperam enim videtur Cuiacius in *d. Nou. 22.* exheredationem requirere, vt filius ingratus hoc beneficio priuetur. Quod nec L. Leonis, nec Iuſtiniani eam interpretantis conſtitutiones requirunt. perperam & illud, exheredatione extingui omne ius filii, ſiue ius ſuitatis, *in d. Nou. 22. & Nou. 1.* ſcribit; quod refutaui pluribus in *lib. 1. de donat. int. vir. & vx. cap. 11.* Exheredatio igitur non eſt neceſſaria. at neceſſaria ingrati obiectio, id eſt, debet pater, vel mater filio obiecisse ingratitudinem, alioquin heres non poteſt obiicere ei *l. omnimodo. & ibi gloſſ. C. de inoff. teſt.* vt in ſimilibus aliis quoq; articulis obſeruatur. veluti, donatoris heres nō poteſt donatario ingratitudinē obiicere, quā donator non obiecit, & propter quam potuiſſet donationē reuocare. *l. 1. l. ſolis. C. de reuoc. donat.* item nec heres patroni eam obiicere poteſt liberto ingrato. *l. qui manumittitur. C. de operis lib. l. liberti. C. de libert. & lib. eor.* nec dominus ſenioris obiicere vaſallo. *c. 1. §. inſuper. & ibi gl. & Baldus de prohib. feud. alien.* denique nulla ingrati actio tranſmittitur ad heredes, niſi antea à defuncto mota, vel conteſtata fuerit, vt & de

actione iniuriarum, cui hęc actio ingrati ſimilima eſt, dicere ſolemus. Illud in matre donatrice animaduertendũ eſt, quæ ad ſecundas nuptias tranſiit, vel quæ libidine ſe polluit, quod talis mater reuocare donationes nõ poteſt ex cauſſa ingratitudinis ſiue ante ſiue poſt ſecundas nuptias factæ ſint, vt Imp. Conſtantinus cauit in *d.l.his ſolis*, quam tamen conſtitutionem mitigauit, & emendauit Iuſtinianus in *d. Nou. de nupt.§.mater tamen.* ſanxitque, vt mater, quæ iterum nupſit ex tribus ſaltem cauſis ingratitudinis reuocare donationes à filio poſſit; ſi filius videlicet vitæ eius inſidiatus ſit, ſi man⁹ impias ei attulerit, ſi totius ſubſtantiæ molitus eſt iacturam. *d. Nou. & Auth. quod mater. C. de reu. don.* An idem etiam in patre obtineat, quæritur, id eſt, an pater reuocare donationes ob crimen ingrati nequeat vt mater? nam dicta conſtitutio Conſtantini de viris nihil exprimit. Et verius eſt in viris ei conſtitutioni locum nõ eſſe; quamuis ad ſecundas nuptias tranſiuerint, & nouercam liberis quibus donauerunt, induxerint. magis enim coercẽtur in hac parte fœminæ, quam mares, vt & in aliis quibuſdã, puta in pœnis præmaturarum nuptiarum. nam fœmina intra annum luctus iterum nubens grauiſſime punitur, nõ item mas. Vnde apparet, maiori odio dignas eſſe viſas ſecundas nuptias fœminarũ quam virorũ, vt recte obſeruat Franc. Conanus li.5. Commen.c.10. quãuis enim etiã viri ſæpe ad reuocandas à filiis donationes nouercalibus delinimentis, inſtigationibusque corrumpantur. *l. 4. D. de inoff. teſt.* non talem

ita,

ita,vt fœminæ, coercentur ob intemperantiã ſiue ſecundas nuptias. Sed materni huius odii ea ratio eſt, quod quæ non viuit continenter aut ſecundo nubit, tam multa peccat in filios vt nullam non dignã acceptura videatur ab his iniuriã, vt idẽ ait, vel vt Adcurſius ſcribit, quia mulier facile ſecundi viri vel vi vel precibus reduci poteſt ad reuocandam donationem. quæ ratio non debuit Conano improbari, cũ experiẽtia ipſa doceat, facili⁹ flecti & impelli mulieres à viris, quã viros à mulieribus. cum mulieres ament etiam ardentius, quam viri. qua ratione fuit etiam motus Michael Hoſpitalius cum *d. l. hac edictali*. regis Franciſci ſecundi nomine in Galliis ſanciret, vt in bonis, in quibus d. L. mulctat tam mares, quam fœminas ad ſecundas nuptias venientes, ipſe diſcrimen fecerit: & ea pœna fœminas coercuerit non mares: vt eleganter Cuiacius; fœminas non mares ſparſit aqua, id eſt, earum ardorem repreſſit, qui maior multo eſt in fœminis, quam in maribus vnde Virgil. *Fœmineo prædæ & ſpoliorum ardebat amore*. Fœmineo, hoc eſt, magno & vehemẽti. Punitur præterea ingratitudo liberorũ in lucris nuptialibus parentũ ſuorũ, id eſt, in iis, quæ pater ſuperſtes à matre defuncta, vel hæc ab illo accepit, de quib. à nobis ſatis ſupra demonſtratum eſt. Nam cum filiis plerumq; debeat eorum proprietas reſeruari, hoc ius aliaq; commoda amittunt per ingratitudinem, idque ſiue pater vel mater ad ſecundas nuptias conuolauerit ſiue non: explicatũ in

d. Nou de nupt. in §. ſoluto igitur. & §. ſuper iis. & merito. Cur enim præmium vllum iis detur, qui parentes iniuria aliqua affecerunt, vel vt loqui ſolet Nouell. vetus Interpres, exhonorauerunt. d. *Nou. 22. & Nou. 1. §. exheredatos. & Nou. de immenſ. donat. in fin.* imò ſæpe nec poteſt pater, vel mater, etiamſi maxime velit, filio ingrato aliquid relinquere, vt *in l. fœmina. 3. C. de ſec. nup.* mulieri ad ſecũdas nuptias tranſeũti datur electio omnia lucra nuptialia in vnũ ex liberis primi matrimonii conferre; ſed adiicitur, dummodo ex his ſit, quos tali ſucceſſione digniſſimos iudicamus, id eſt, dum non ſit ingratus. Ingratus autem definitur in *d. Nou. de nupt §. ſi his.* qui vel erga vtrumque parentem ingratus fuerit, vel ſaltem erga eum, qui poſterius mortuus ſit ſiue pater ſit, ſiue mater. Sufficit enim aduerſus hunc ingratum fuiſſe, & probari. Poſtremò, non ſolum liberi ób ingratitudinem puniuntur, ſed etiam mater; ſed etiã fratres, de quorum ſucceſſione in bona filii vel fratris defuncti, ſatis etiam à me ſup. explicatũ eſt. Sed ingratitudinis certæ cauſſę reperiũtur. *Auth. ex teſtamento. C. de ſec. nupt.* quæ autem ſint illæ cauſſæ in matribus itemque fratribus iuſtæ, cognoſci debent ex *d. Nou. de appellatione. 115. c. aliud quoq; capitulum. d. Nou. de nup. §. ignoſci. & Nou. de non eligendo ſecundo nub. §. cum igitur.* Ex quibus duabus Nouell. deſumpta eſt *d. Auth. ex teſtamento.*

C A-

CAPVT XVIII.

De ea quæ intra tempus luctus nubit.

SEcundæ nuptię quibus modis coerceantur, & quæ liberorum iura ſint, ſatis demonſtratum eſt. Quamuis enim nuptias ſecundas leges permittunt, coercent tamen certis modis & rationibus, idq; multo magis ſi aliud etiā delictum ad eas acceſſerit. quale inprimis eſt, ſi mulier non ſeruato tempore luctus iterū nupſerit Quę immaturitas nuptiarum & feſtinatio dicitur, queq; in fœminis ſolū punitur, non in maribus. Intemperantia eſt, ſed legitima, iterum nubere, eaque etiam in maribus coercetur, vt ſupra docuimus. Immaturitas eſt intra annum luctus nubere. De qua hæc quinq; ordine explicabo. I. quodnam ſit iſtud tempus. II. quænam eius conſtituendi rationes. III. quæ pœnæ mulieri intra hoc tempus nubenti irrogentur. IV. quæ ſint explicationes & excuſationes harū pœnarum. V. & poſtremo, an quid de his pœnis iure Canonico vel conſuetudine mutatum ſit? Annus igitur luctui mulierū pręſtitutus fuit, ſed annus decem menſibus conſtans, id eſt, annus lunaris, quo olim vſi Romani autore Romulo rege, vt pręter alios teſtatur Ouidius, lib. 1. Faſtorum. *Quod ſatis eſt vtero dū prodeat infans, Hoc anno ſtatuit temporis eſſe ſatis, Per totidem menſes a funere coniugis vxor, Suſtinet in vidua triſtia ſigna domo.* Suſtinet

autem ex neceſſitate, quia ita legibus ſancitum eſt, vt tam diu lugeant. Quod intelligendum eſt de ſignis viduitatis, puta, veſtibus, &c. non autem de lachrymis, & lamentationibus, quas leges potius imminuere voluerunt, & inprimis l. x. XII. tabul. qua prohibitus eſt etiam leſſus in funere. Et de his Seneca loquitur, cum alibi, tum ep. 60. cum ait, *Annum fœminis ad lugendum conſtituere maiores non vt tamdiu lugerent, ſed ne diutius.* Cæterum Iuſtinianus pro decem menſibus conſtituit annum integrum, id eſt, XII. mẽſes, *l. 1. & 2. C. de ſec. nupt.* Sed hoc tempus, ſiue annus eſt continuus, ideoque etiam ignoranti mortem mariti currit ab ipſo die mortis. quare ſi anno elapſo mulier alteri nubat, eodemq; die cognoſcat maritum priorem eſſe defunctum, recte & ſine pœna vlla nubit; eodemq; die ſumit lugubria & deponit. vt ait *l. genero. D de his qui not. infam.* Nunc rationes videamus ob quas annus lugubris conſtitutus. Eæ plures afferri poſſunt; ſed pcipuæ duæ ſunt, & ſummæ ad quas reliquę referri poſſunt. Vna eſt, met⁹ turbationis ſanguinis, altera eſt honeſtas. Priorem Vlpianus ſic exponit, *Etſi talis ſit maritus, quem more maiorum lugeri non oportet non poſſe mulierem intra legitimum tempus nuptũ collocari; prætor enim ad id tempus ſe retulit, quo vir elugeretur, qui ſolet elugeri propter turbationem ſanguinis. l. liberorum. §. 1. D. de his qui not. infam.* vbi differentia notanda eſt inter lugere & elugere, quãuis ea diſpliceat doctiſſmo viro. Lugere enim eſt honorem iſtum marito præſtare, & lugubribus vti, qui omnibus

mari-

maritis præſtandus non eſt, non perduellibus, nõ ſuſpendioſis, nõ transfugis, & ſimilib. aliis *.l. minime maiores. D. de rel. & ſumt. fun.* cum ſimil. Elugere autem, ſpectat ad tempus anni, quo abſtinere nuptiis debet mulier, licet non lugeat; & debet ideò, quia turbatio ſanguinis metuitur, id eſt, vt Baſilici libri & Harmenopulus loquuntur, cõfuſio ſeminis ac ſanguinis. Nam ſi ex priore marito concepit, & alteri ſtatim nubat, ſanguis vtriuſque perturbatur, ſæpeque incertum eſt, cui partus poſtea editus attribuendus ſit. imò & cum certum eſt ex priori viro grauidã eſſe, tamen ob id turbatio ſanguinis accidere poteſt, propter ſuperfœdationem vt Ioh. Mercerius docet lib. 2. opin. c. 20. Amplius etiam, fœtus ex priori marito conceptus corrumpi poſſet; quia trinis menſibus iactari eũ non oportet, cum ſit veluti flos in arborib9, vt Galenus in IV. Aphoriſm. lib. 1. docet. Hæc igitur ad turbationem ſanguinis pertinent. Sed quid de partu, ſi forte edatur, dicendum eſt? de quo Alciatus multis in locis diſputat, concluditque eum neutri aſcribendum eſſe; ideoque ad neutrius hereditatem admittendum, cũ incertum ſit, cuius proles ſit, lib. IX. parerg. c. XII. & III. de præſumt. XXVII. & ad *l. Gallus. D. de lib. & poſth.* Altera cauſſa huius legitimi temporis eſt, honeſtas publica; quod valde indecorum viſum ſit mulieribus ſtatim à morte mariti iterum nubere. etiam ſuſpicionis turpis vitandæ cauſſa mulier abſtinere debet. *Nou. de reſtit. §. vlt.* ne ſcilicet videatur iam viuo priori marito aliquid rei habuiſſe cum

hoc, cui ſe iungere ita feſtinat, vel etiã cum eo conſpiraſſe in necem prioris mariti. Omnis enim adultera, vt Cato dicebat, etiam venefica eſt. & ſolent nuptarum mulierum corruptores vitæ maritorum inſidiari, vt ſcriptum eſt in *Canon. ſiquis viuente. 21. quæſt. 1.* nec abſque cauſſa Imperatores reſcripſerunt, commiſſum olim adulterium velamento ſequentis matrimonii non extingui. *l. commiſſum. C. ad L. Iul. de adult.* quo pertinet *tit. in Decret. de eo qui in matrimonium duxit, quam per adulterium polluit.* Ad eandem rationem referuntur aliæ ſimiles, veluti vt reuerentia iſta memoriæ prioris mariti ſeruetur. nam vt Pompeius ad vxorem Corneliam ait apud Lucanum, *vltima debet, Eſſe fides, lugere virum.* Item, quod mariti manes mœrore affici exiſtimantur, vt Iuſtin. *in Nou. de nupt. & Nou. de reſtit.* ſæpè ait; idemque alii Imperatores inculcant. Imò & ad religionem quandam id tractum eſt ab antiquis. Sic enim Imperator Gratianus in *l. 1. C. de ſec. nupt. Si luctus religionem priori viro nuptiarum feſtinatione non præſtiterit.* & Apuleius lib. VIII. Metamorph. *Quæ res*, inquit, *cum meum pudorem, tum etiam meæ ſalutis commodum reſpicit; ne forte immaturitate nuptiarum indignatione iuſta manes acerbos ad exitium ſalutis tuæ ſuſcitemus.* Quamuis igitur prior illa ratio turbationis ſanguinis in aliqua ſecundo nubente ceſſaret, puta ſi certũ eſſet de vtero; tamen hæc altera ratio ſupereſt, quæ nuptias impediet intra legitimum tempus contrahi. vbi enim duæ rationes prohibẽ-

tis

tis legis ſunt, ſufficit alteram extare. §. *affinitatis. Inſt. de nupt. l. quod dictum. D. de pact.* Tertio, de pœnis nubentium intra annum luctus cognoſcamus. Et primum quidem, An matrimonium tale valeat, an verò ipſo iure nullum ſit vel reſcindi debeat? Et conſtat valere, vt adparet ex his legibus, quæ certas pœnas talibus nuptiis iniungunt, atque ita Adcurſius; *matrimonii*, inquit, *nimia feſtinatio punitur, ſed matrimonium non caſſatur, in Auth. decernit. C. de recept. arb.* Recte tamen C. Cæſar nuptias olim diremit prætorii viri, qui digreſſam mulierem à marito ſtatim poſt biduum duxit, quamuis ſine probri, id eſt, adulterii ſuſpicione, teſte Suetonio. Rectè, inquam; nam & dignitas talis viri, & temporis illæ anguſtiæ, & prioris adhuc viri ratio id poſtulabant. Pœnas igitur nunc illas explicemus. Prima eſt, & omnium grauiſſima, & quæ plurima detrimenta ſecum trahit, infamia. *l. 1. 2. C. de ſec. nupt. l. ſi qua mulier. D. ad SC. Tertull.* Infames enim & honorib. omnibus priuantur, & multis incommodis adficiuntur; quod ſingulari tractatu de Infamia prolixe docuit eruditiſſimus amicus noſter Marquardus Freherus. Infamis aūt, mulier fit ipſo iure ſtatim contractis nuptiis, ita, vt ſentētia iudicis opus non ſit, qua infamis efficiatur, vel declaretur. Neque mater tantum hac pœna afficitur; ſed etiam pater eius, qui eam in poteſtate habet, & maritus qui eam ſcienter duxit; quamuis ſit miles, cum tamen militibus ius ignorare permittatur. *l. decreto. C quib. ex cauſſ.*

non in l.genero. l. liberorum. D.eod. tit. Sed & pater mariti, qui paſſus eſt, cùm poſſet filiũ prohibere, infamia notatur. *l. 1. & d. l.liberorum.* Atque hoc de prima pœna. Secunda pœna eſt; quod mulier non poteſt omnia ſua bona in dotem nouo marito dare, quod alias licet. *l. mulier bona. D. de iure dot. l.nulla. C. eod. tit.* Sed tertiam duntaxat partem ei dare poteſt. *d. l.* 1. in qua re pœna eſt. nam & difficilius maritum reperiet, & non ita honeſtũ. *Nou. de nupt. §. primæ quidem.* Sed neque alio titulo plus huic dare, donare, vel vltima voluntate relinquere poteſt, *dictis ll.* minus verò poteſt, interdum etiam cogitur, ſi ita ferat ratio liberorum exiſtentium ex priori matrimonio iuxta conſtitutionem Leonis in *l. hac edictali.* quam ſuprà expoſui. Dixi, dare, vel donare; quamuis enim dictæ leges non loquantur de vlla inter viuos donatione, ſed de vltima voluntate; tamen idem etiam de donationibus inter viuos ſtatuendum eſt, quia cũ tales donationes confirmentur ex oratione Antonini ſub ea conditione: ſi donator prius moriatur & in eadẽ voluntate vſque ad ſupremum ſpiritum perſeuerauerit, tales donationes vltimis voluntatibus, id eſt, legatis & fideicommiſſis æquiparantur. *l. in donationibus. C. ad l. Falcid.* Tertiam autem illam partẽ habebit maritus illibatam, atq; integrã; quare non ſemper tenebitur heredibus vxori ab inteſtato veniẽtibus, vel aliis, reſtituere totũ id, quod ſupra tertiam partẽ bonorum ei ab vxore relictũ eſt, ſi legatis oneratus ſit, vel fideicommiſſis. nam hæc ſoluere debet de illo ſuper-

ſuperfluo, non autem de ſua tertia parte. quia hæc tertia pars eſt pars ſiue quarta bonorum, quæ intelligitur pura, & abſque vllo onere. *l. non amplius.in princ.D.de legat.*1*.l.quoniam.D. de inoff.teſt.* Quod autem ſup.dixi, poſſe mulierem teſtamento relinquere tertiam partem bonorũ huic marito; ei opponitur, quod mulier hæc teſtamentum facere non poſſe videatur, cùm ſit infamis. *l. ob carmen. D. de teſtib.l.is cui.*§. 2. *D. qui teſt.fac.poſſ.* Reſpondeo, infamia non priuat aliquem teſtamenti factione, vel etiam teſtimonii dictione. *l. ſi tutore. C. de interd.matr.iuncta l.vlt.D.de leg.*1. niſi vbi lex aliqua infamibus talem pœnam irroget, vt eos etiam iubeat inteſtabiles eſſe, id eſt, qui neque teſtamentum facere poſſunt, neque teſtimonium dicere, puta L.Iulia de vi *l.* 3. *D. de teſtib.* quales ſunt & Manichæi. *l.Manichæi. C.de hæret.* Item carminis famoſi damnati, dictis ll.& alii quidam, quorum pœna propria eſt, vt ita dicam, inteſtabilitas, de quibus videnda eſt gloſſ.in *c. decernimus §.credentes.extr.de excom lib.6.* Duarenus lib. 2. Diſput.c. 33. Tertia pœna eſt, quod talis mulier nihil ex vllo teſtamẽto extraneorum capere poteſt vllo titulo, nec hereditatis, nec legati, nec fideicommiſſi, nec alio. *d.l.*1.*& d.Nou.de nupt.* 22. §.*ſed nemo extrinſecus.* §. *primæ quidem.* Idque generaliter verum eſt, & dictis in locis ita traditum eſt; quæcunque tandem ſit illa perſona extranea, quæ quid ei reliquit, vt pluribus explicabo inferius. Malè Salicetus, & alii dictam conſtitutionem reſtringunt ad perſonas, quæ ſunt vl-

tra tertium gradum poſitæ, quaſi mulier iſta poſſit capere ex teſtamento filiorum, nepotum, fratrum, ſororum, filiorum ex his natorũ, qui intra tertium gradum ſunt. Nec obſtat, quod *in fine d. l.* 1. ſcriptum eſt de tertio gradu. Nam id pertinet ad ſucceſſiones adgnatorum, cognatorum, vt poſtea dicam, non ad extraneorum, de quib. *d. l. in princ.* loquitur. Illud hic quæritur, cum talis mulier capere non poſſit, quod ei relictum eſt, quis ſibi vindicabit? Et *d. l.* 1. adiudicat id heredibus, vel coheredibus, vel venientibus ab inteſtato. heredibus teſtamentariis applicatur, ſi mulieri aliquod legatũ relictum ſit, vel mortis cauſſa donatum. coheredibus autem, ſi mulier vna cum aliis heres inſtituta eſt. Venientibus ab inteſtato, ſi ſola mulier heres inſtituta fuit; tunc enim cum teſtatori nemo ſit heres, res recidit ad cauſſam inteſtati. Dicet aliquis, Imò fiſcum his perſonis præferri, quia regula iuris ſit; ea quæ indignis relinquuntur, fiſco vindicari *tot. tit. D. & C. de his quib. vt indig.* Sed hanc obiectionem Impetores *in d. l.* 1. remouent, ſpecialiter conſtituẽtes in hoc caſu noſtro, ne fiſc⁹ ſuccedat indignę mulieri, addita ratione pulcherrima & notabili. *Ne in his in quib. morum correctionem induximus, fiſci videantur habere rationẽ*; id eſt, ne ſub ſpecie publicæ diſciplinæ, & morum emendandorum noſtrum compendiũ ſecuti videamur. Quod valde notandum eſſe Sichardus ſcribit aduerſus multos principes, nobileſq; omnes, qui leges, inquit, durè ſtatuunt, non religionis, & iuſtitiæ amore; ſed vt vtantur illis pro laque-

is

s, quibus irretiant ſubditos, vt iis delinquentibus pœnas ſuis vtilitatibus applicent. Eadem ratione rectè colligitur, etiam in priori caſu, vbi mulier ſecundum maritum ex aſſe heredem inſtituit, id quod ſupra tertiam bonorum portionem eſt, non fiſco, ſed heredibus prius ab inteſtato venientibus vindicari, argumento huius *l. 1. & l. hac edictali. C. eod. tit. l. cogi. §. is qui ſolidum. D. ad SC. Tertull.* Sed dicet aliquis, hac ratione fieri, vt mulier partim teſtata, id eſt, in tertia illa parte bonorum, partim inteſtata, id eſt, in ſuperfluo, decedat. Quod regula iuris ciuilis non patitur. *l. ius noſtrũ. D. de reg. iur.* Reſpondeo, id conſtitutum ſpeciali ratione eſſe, in *d. l. 1.* vt etiã in quibusdam aliis caſibus idem euenit, vt *l. 6. D. de vulg. & pup. ſubſt. l. ſi Titius. § vlt. D. de leg. 2.* & dicta regula iuris ciuilis loquitur de eo, qui partim teſtatus eſt, partim inteſtatus deceſſit, id fieri non poteſt. At vt quis ex poſt facto, & ex caſu, partim heredem teſtamentarium habeat, partim ab inteſtato, id fieri poteſt, vt explicat Phil. Decius ad *d. l. ius noſtrum.* Sic igitur mulier iſta ex toto teſtata eſt. Sed poſtea iuſſu legum eo res recidit, vt non in totum heres teſtamentarius ei ſuccedat. Quid ſi ab inteſtato etiam nulli ſint heredes, aut hereditatem non adeant, quid fiet de hereditate extraneorum huic mulieri relicta? tunc demum fiſcus vocabitur. fiſcus enim vel populus, tanquam omnium parens vocatur, vt eſt apud Tacitum. Illud notandum

eſt, mulierem iſtam infamem vetari *in princ. dictiæ l.* 1. capere ex vltimis voluntatibus extraneorum. vnde Adcurſius & alii colligunt, non vetari etiam eam capere ex donationibus inter viuos, quia legum pœnæ molliendæ, non exaſperandæ ſunt. *l. interpretatione. D. de pœn.* nec obſtat, quod ſup. de vxoris donatione inter viuos facta ſecundo marito diximus; eam æque prohiberi, ac donationes mortis cauſſa, & legata, & ſimilia: cum tamen leges de donationibus iſtis vxoris nihil dicant. Nam longa differentia eſt inter donationes ab extraneo factas, & donationes ab vxore marito factas. Donationes enim ab vxore in coniugem collatæ, non poſſunt valere; niſi tanquam legata, vel fideicommiſſa, vt ſup. expoſui. At donationes inter viuos ab extraneis factæ ſtatim valent, & valent iure donationis, non legati vel vltimæ voluntatis. Quarta pœna eſt; quod iſta mulier omnia ſibi à priori marito relicta penitus amittit, vt nec quidem vſumfructum earum rerum retineat. *d. l.* 1. *& l.* 2. id eſt, hereditatem, legata, fideicommiſſa, mortis cauſſa donationes, item donationes propter nuptias quæ nomine ſponſalium appellantur *in d. l.* 2. Deniq; idem intelligendum de donationibus inter viuos factis, quia hæc cum fiunt inter coniuges comparantur legatis & fideicommiſſis, vt ſupra expoſitum. Ergò ſi prior maritus tali vxori quid reliquit vel donauit, id ei ereptum vindicatur ab heredibus mariti ab inteſta-

teſtato venientibus, non omnibus, tamen & in infinitum. Sed decem dũtaxat perſonis edicto prætoris enumeratis, *in* §. 1. *Inſt. de bon. poſſ.* Quod edictum, licet quo ad alia ſublatum ſit à Iuſtiniano, tamen in hoc propoſito de quo agimus, id eſt, in enumeratione iſtarum decem perſonarum, valet. Citatur enim ab Imperatoribus, vt ſciatur, quæ ſint decem illæ perſonæ: Sunt autem hæ; quatuor quidem deſcendentium, id eſt, prioris mariti, filius, filia, nepos, & neptis, tam ex filia quam ex filio prognati. Quatuor etiam aſcendentium, id eſt, pater, mater, auus, auia, tam materni quam paterni Duæ autem collateraliũ, id eſt, frater, & ſoror. Hi igitur non ſuccedunt omnes ſimul, ſed iuxta gradus prærogatiuam, quibus non ſuccedentibus ſuccedent perſonæ ſequentis gradus, & ſic deinceps, *l. vlt. C. de verb. ſig. l. proximus. D. eod.* Quare frater & ſoror vna cum auo & auia defuncti ſuccedunt, quia omnes ſunt in pari gradu, id eſt, in ſecundo, quamuis diuerſus ſit ordo aſcendentium ac collateralium. non enim ordinem ſiue lineam, ſed gradum ſpectamus. Atque hoc quidem expeditum eſt Si maritus iſte ab inteſtato deceſſit. Quid igitur, ſi teſtamentum fecit & heredes inſtituit, ſolum extraneos, nullum autem ex illis cognatis, quos diximus, vel aliquem ex his cognatis, ſed remotiorem gradu inſtituit? ſi verba *d. l.* 1. ſpectemus, omnino ea videntur velle, vt idem ille ordo edicti prætorii ſeruetur, proximoque gradui, qui ab inteſta-

to ſuccedent, vindicatio rerum tali vxori relictarum concedatur. ſed aliis contra videtur, heredem ſcilicet teſtamēto ſcriptum aliis præferri, quia heres cenſetur vna perſona cum defuncto eſſe, cui facta eſt ab vxore iniuria per maturas nuptias. Et cauſſa teſtati præcedit cauſſam inteſtati, quamdiu ei heres ex teſtamento eſſe poteſt, tamdiu heredes ab inteſtato non admittuntur. Quæ ratio verò differentiæ eſt, quod in relictis à priori marito, fiſcus poſt decem perſonas, quas dixi, vocatur. In relictis autem ab extraneo, plane remouetur, etiamſi aliquis ab inteſtato heres ſit vſque ad decimum gradum. Adcurſius reſpondet, quia maior indignatio primi viri eſt, ſi eius vxor ad ſecunda vota tranſeat, quam alicuius extranei. ſenſus eſt, mulier nullam iniuriam infert extraneo; ſed magnam infert priori viro, ſi iterum nubat, & quidem non ſeruata ei religione luctus; quare & mortuo marito, ſi intra annum luctus peccauerit, poteſt adulterii accuſari, vt notatur ex *Nou. de reſtit. 39. § fin.* Non mirum igitur eſt, ſi talis mulier à relictis ſibi à priori viro repellitur, vt ſceleſta & indigna. Indignorum autem & ſceleratorum eſt ſucceſſor proprie fiſcus. Quinta, & vltima pœna eſt, quod mulier iſta non poteſt ſuccedere propinquis & cognatis vltra tertium gradum *d. l. 1. in fin.* quem mirabilem gradum ſuccedendi vocat Adcurſius in *Nou. de nupt. §. & primæ quidem.* Nam alias ab inteſtato ſucceditur vſque ad decimum vel ſeptimum gradum. § *vlt. Nou. vt nulli iudic.* § *fin. Inſt. de ſucceſſ. agnat.*

Quod

Quod ſi vltra tertium gradũ defuncto coniũcta ſit, excluditur ab eius hereditate, ad quam alii defuncti propinqui, vel cognati, licet remotioris gradus admittũtur. Loquitur autem diſerte *d. l.* 1 de hereditatibus ab inteſtato. ſiue ex legitimæ, id eſt, iure ciuili ſint, ſiue honorariæ, id eſt, iure prætorio per bonorum poſſeſſiones deferãtur. Quid igitur ſi teſtamẽto inſtitutæ heredes ſint, vel aliquid teſtamẽto relictũ talibus mulierib⁹; an capere id poterũt? minime id vero putat Adcurſius, & multo minus, quã ab inteſtato idque argumento *d. l.* 1. *in prin.* Sed contrarium verius eſt; nam de ſucceſſione tantũ ab inteſtato loquitur, vt dixi, & *d. l.* 1. *in fin.* & nominatim repetit *d. Nou. de nup.* §. *& primæ quidem.* Nec debemus exaſperare legum pœnas. Ratio autem differentiæ eſt inter principium *d. l.* 1. & finem, quod principium loquatur de extraneorũ hereditatibus, q̃ nullo iure pertinent ad mulierẽ, niſi voluntate eorũ in eã conferantur. At cognatorũ & adgnatorũ hereditates, de quibus *d. l.* 1. *in fine* loquitur, iure ſanguinis ad eam pertinent, ideoque in his clementius punienda fuit. Quarto loco excuſationes & exceptiones cognoſcendæ ſunt. Ac primũ infamia remitti mulieri poteſt à Principe, ſed non ita facile tamen, nec ſimiliter ſi exſtent liberi prioris matrimonii. tum enim non aliter remittit Princeps infamiam, quam ſi mater eis ſemiſsem bonorum ſuorum, quæ habet tempore ſecundarũ nuptiarum, donet pleno iure & purè, & ſine vlla cõditione, quæ bona illi filii inter ſe æqualiter diuidẽt, & ſi q̃s

eorum moriatur relictis filiis, ad eos ſuam partem tranſmittāt. ſin nullis filiis relictis, cæteri eius fratres eam inter ſe partientur; mater autem ad eum ſemiſſem tūc ſolum admittitur, ſi omnes liberi eius mortui ſint absque filiis, & mortui ſint inteſtati. nam ſi teſtamentum fecerint, quod poſſunt, heredes quoque teſtamentarii matrem excludent. *l. ſi qua mulier. C. ad SC. Tertull. d. Nou. de nupt. §. & primæ quidem. in fin.* Nō ſolum aūt infamia ſic remittitur indulgentia Principis, ſed etiam aliæ omnes pœnæ, quas ſupra expoſui. *d. Nou. & d. l. ſi qua mulier.* Hanc autem indulgentiā Principis ſuadent vtilitas, & fauor liberorum. Vtilitas in eo eſt, quod de ſemiſſe bonorū dixi, quæ ad matrem non aliter redeunt, quam ſi liberi omnes & ſine filiis & ſine teſtamēto deceſſerint. quaſi enim duræ fortunæ ſolatia ad eam reuertūtur, vt ait *d. l. ſi qua mulier.* quæ eſt Gratiani docti Imperatoris & Auſonii poetę diſcipuli, ſic Virgilius: *Solatia luctus exigua ingentis.* Fauor in eo eſt, quod ex infamia matris etiam liberi aliquid labis contrahunt. Non ſolū autē Princeps remittere pœnas huic mulieri poteſt, in quas iam incidit; ſed etiam ab initio facere, ne in eas incidat: puta ſi veniam ei roganti conceſſerit vt intra tempus luctus nuberet. *l. ſolet. D. de his qui not. infam. l. vl. D. de ſenat.* Solus Princeps hodie hanc poteſtatem habet, olim etiam & Senatus Roman. vt docet Cuiacius ex Plutarchi Antonio lib. 6. obſer. 32. quod etiam colligitur ex *l. de decreto. C. de his quibus infam. non irreg.* In qua L. ſcriptum eſt, decre-

to Senatus luctu fœminis imminuto intelligi duntaxat remiſſum triſtiorem habitum, & inſignia lugubria, puta, vt aurum, & purpuram & cætera ornamenta ſumere poſſint, non autem, vt etiam intra legitimum tempus nubere poſſint, vel ſi nubat, impune ſit. idemque & in Principe dicendum, ſi luctum imminuat, non propterea concedere intra tempus luctus legitimum nubere: niſi & hoc ſpecialiter & nominatim concedatur; ſimiliter vt conceſſa alicui à principe libera teſtandi facultate, intelligitur hoc tantum ei conceſſum, vt teſtari poſſit, non autem vt ſine ſolemnitatibus, quas leges requirunt de teſtamentis, teſtamentum facere poſſunt. *l ſi quando. C. de inoff. teſt.* Solet autem luctus ſæpe minui publice à Principe, vel Senatu propter aliquas lætitię cauſſas, veluti ob victoriam, vel ob gratulationẽ, vel in honorẽ Principis, ob quas cauſſas & feriæ indici ſolent. *l. ſi caluitur. §. 1. D. de verb. ſig. l. ſed et ſi per pratorẽ. §. ſi feriæ. D. quib. ex cauſſ. maior.* aliaſq; cauſſas, vel publicas vel & priuatas, quas Cuiacius commemorat ad *d. l. 1. C. de ſec. nupt.* Interdum etiam non ſolum luctus ſic remittitur, ſed etiam facultas nubendi intra annum luctus omnibus datur. quod à Caligula factum eſſe eſſe teſtatur Dio lib. 58. ſed addito optimo tamen temperamento, niſi quæ prægnantes eſſent. Has enim iure excipi voluit. Secunda excuſatio eſt ignorantia non in ipſa muliere, ſed in aliis perſonis, veluti in patre, is enim infamia notatur, ſi filiam in matrimonium collocauerit intra tempus luctus ſciens generum

mortuum eſſe.*l.*1.*in princ.D.de his qui not.infa.* Vnde efficitur, eum non teneri, ſi ignorauit, ne ignorātia puniatur, inquit Vlpianus in *l.genero.D.eod.tit.* Sed hic obiicitur; imo ſi ignorauerit multo magis puniendus eſt, & grauioribus pœnis; ſi enim priorem viuere ſciat, etiam adulterii, & lenocinii accuſari poteſt, *l.miles.D.ad L.Iul.de adul.* Certè quidem edicto prætoris tenetur ex eo capite, quo infamia notatur itidem pater, qui binas nuptias filiæ vel ſponſalia bina eodem tempore conſtituit, *d.l.*1. Reſpondeo, ſi pater ſciuit certò generum mortuū non eſſe, omninò notatur. ſed ſi ignorauit, ſed dubitauit, an is mortuus eſſet, excuſandus videtur, maxime ſi putauit errore ꝓbabili deceptus eum iam pridem mortuum eſſe; atque ita luctus tempus, quod continuum eſſe ſupra dixi, præteriiſſe. Mulieri vero prætextus ignorantiæ prodeſſe non poteſt, ſiue ea ignorantia ſit iuris, quia eſt ignorantia iuris & pudoris naturalis, in qua nec mulieribus ſuccurritur. *l. regula.D de iur.& fact. ignor.* adeo quidem, vt nec minor 25. annis mulier ab his pœnis excuſetur, vel in integrum reſtituatur, quia in delictis reſtitutio minoribus non datur. *l.auxiliū. D.de min.l.*1. *C. ſi aduerſ. delict.* Siue ea ſit ignorantia facti; quæ tamen non facile hic accidere poteſt, cum mulier iterum nubere non poſſit, niſi ſciat certo, priorem maritum defunctum eſſe; ſed debet expectare quatuor annos ex conſtitutione Conſtantini, *l. vxor. C. de repud.* hodie vero ex conſtitutione Iuſtiniani *Nou. vt liceat matr. vel au. c.* 3. §. 1.

vnde

vnde ſumta eſt *Auth hodie. C. eod. tit.* etiam poſt quartum annum expectare maritum debet, qui in militia, vel peregrè mortuus dicitur, nec ante nubere alii poteſt, quam is ſub quo maritus militauit, teſtatus ſit iureiurando adhibito & apud acta iudicii, eum mortuum eſſe. à quo tempore, id eſt, teſtatione & iuramento debet adhuc annum expectare ex *d. Nou. vt lic. matr.* Atque ita in hoc caſu ſingulari tempus luctus non numeratur à morte mariti; vt alias ſolere, ſupra docui. Deinde, ignorantia excuſat quoque nouum maritum. is enim non aliter infamis fit, quam ſi ſciens talem vxorem duxit. *d. l. 1. & d. l. decreto.* Ignorantia autem intelligenda eſt facti, vt ait *l. liberorũ. § vlt. D. de his qui notã. infam.* Nam iuris ignorantia nocet, nec excuſat. non ſolum alios, ſed nec ipſos milites in hoc propoſito noſtro, *d. l decreto.* quamuis regulariter militibus, vt & fœminis & minoribus 25. annis, ignorantia iuris nocere non ſoleat. *d. l. regula § filiusfam. cum ſimilib.* Nam hoc ius, vt ſæpe dixi, habet in ſe naturales rationes; quæ autem natura turpia ſunt, vel illicita, eorũ ignoratio neminem excuſat. *l. ſi Titius. D. de teſt. milit. d. l. miles. in princ.* Imò neque tutor, vel filius excuſatur, qui pupillam in matrimonium duxit contra interdictum iuris ciuilis, neque excuſatur ob imperitiam vel ruſticitatẽ. *l. 1. C. de interd. matrim.* Tertia excuſatio eſt, iuſſus & poteſtas; ſi pater filium, quem in poteſtate habet, cum tali muliere intra annum luctus eius coniunxerit, *d. l. 1.* quamuis enim filius non poſſit inuitus cogi à patre vt vxorem

ducat. *l. non cogitur. D. de nupt.* item quamuis filius in delictis parere patri non debeat, vt nec ſeruus domino. *l. ad ea. D. de reg. iur. cum ſimil.* tamen iuſſus patris & authoritas hac in re excuſare filium debet à pœna infamiæ; nec filio imputandum eſt, quod patri paruerit, cum hoc delictum non ſit ex genere atrocium facinorum, de quibus loquitur diſerte regula Iuris; ita vt iuſſus patris merito eũ excuſet. Imo nec ſi poſtea liberatus ſit poteſtate patria, cogetur tales nuptias dirimere, aut infamiam vllam incurret, ſi non dirimat. *l. qui iuſſu. D. de his qui not. infam.* Alia ratio eſt inceſtarum nuptiarum, & aliarum, quæ iure interdictæ ſunt. *l. 4. D. de inceſt. nupt.* Secus etiam eſt in nuptiis inter tutorem, vel tutoris filium & pupillam. nam filius iuſſu patris ducens pupillã patris, omninò notatur. *l. non eſt matrimonium. D. de rit. nupt.* quia vt dixi, tales nuptiæ plane interdictæ ſunt, ob præſumptam à lege fraudẽ. at ſecundæ nuptiæ ſunt permiſſæ, iure diuino & ciuili, licet tẽpus luctus obſeruandum ſit. Quarta & vltima excuſatio eſt; ſi talis vir ſit, qui lugeri non debet, puta damnatus perduellionis, & ſimiles. Frontinus Stratagem. IV. *In legione quæ regium oppidum iniuſſu ducis diruerat, animaduerſum eſt, ita vt quatuor millia tradita cuſtodiæ necarentur. Præterea SC. cautum eſt, Ne quem ex iis ſepelire, vel lugere fas eſſet.* talis enim mulier ſtatim nubere alii poteſt, niſi prægnans ſit, inquit Cuiacius, lib. 6. obſ. 32. allegata *l. liberorum. D. de his qui not. infam.* quod falſum vide-

videtur, nam licet prægnans non ſit, tamen abſtinere à nuptiis debet intra annum, id eſt, elugere cogitur, licet non lugeat, ita loquitur *d. l. liberorum.* neque adiicit, niſi prægnans ſit. nam & plerumque incertum eſt, an prægnans ſit, & periculum ſupraſœdationis metui poteſt, vt ſup. initio docui. Incertitudo autem vteri, & prolis naſciturae prohibet inprimis ita nuptias contrahi *l. 52. C. de epiſc. & cler. l. conſenſu. §. ſi vero. C. de repud.* & videndus idem Cuiacius in tract. de diuerſ. temp. præſcr. duobus tribuſue locis. & lib. 22. obſer. Ex quibus apparet, non ſatis ſibi conſtitiſſe in hac ſententia & diſtinctione; quæ tamen non ipſius fuit, ſed Iohannis veteris gloſſatoris aduerſus Martinum, vt refert gloſ. *in d. l. liberorum.* Sane, ſi plane certum eſſet, non eſſe prægnantem; vel ſi peperiſſet, non dubito, quin ſtatim poſſit talis mulier nubere ſeruato tamen aliquo tempore ob reuerentiam prioris mariti, maxime autem hanc ob cauſſam peti & impetrari venia à Principe poſſe. In illo autem caſu contrario, cum conſtat eam ex priori viro prægnantem eſſe, non ita facile ei debet concedi nubere, tametſi, quædam exempla ſed antiqua tamē, & rara & in ſummis ac principibus viris reperiantur, qui prægnantes duxerunt; Pontificibus vel ſenatu ipſo autore. veluti Pompeius Æmyliam, teſte Plutarcho, Antonius Octauiam, Dione, Caligula Ceſoniam Suetonio, Auguſtus Liuiam, Suetonio, & Tacito teſtibus. Sed hæc exempla non ſunt in conſequentiam, vel ius ordinarium trahen-

da;præſertim cum qui ſic duxerunt,probro interdum datum fuerit; vt Auguſto de quo etiam illud iactatum, τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία. notata ſuſpicione adulterii quaſi Liuia alteri nupta,ex Auguſto concepiſſet. quam etiā ſuſpicionem notat Imp. Iuſtinianus generaliter in *Nou.de reſtit.& ea quæ XI.menſ.* Poſtremus locus eſt,de iure Canonico vt videamus. Quod vt rectius intelligamus, ſciendum eſt primum iure Canonico fuiſſe adprobatas has pœnas,etiam infamiæ, vt adparet ex *c. 2.in fin. 30.quæſt.77.* quo in cap. totum ferè edictum prætoris de his, qui notāur infamia,recitatur. poſtea verò infamiæ pœna diſertè Pontificum decretis ſublata eſt *c.pen.& vlt.extr.de ſec nupt.* Hinc DD.vulgò colligunt,omnes pœnas,quas ſup. expoſuimus, eſſe iure Canonico ſublatas, quorum argumenta hîc breuiter referam & refellam. Primum igitur eſt in *d. c. pen. & vlt.* Sed reſpondēdum eſt, malè Pontificem interpretatū eſſe illa verba Pauli, *dū in domino nubat.Epiſt.ad Cor.*1.voluit.n. Paulus naſcenrē in Eccleſia hæreſin refellere eorū, qui ſecūdas nuptias improbabant,non aūt tollere leges ciuiles,præſertim tā honeſtas q̄ ad tēpus eas cōtrahi prohibēt.imò diſertè illis verbis eas leges cōfirmat;vt pleriq; patrum vetuſtiſſimorū intellexerūt,Chryſoſtom⁹,Tertullian⁹,& alii. Secundū argumentū eſt ex eodē Paulo; *mulierē mortuo marito ſolutā eſſe à lege viri.* Verū eſt lege non lege tamen honeſtatis,& pudoris,aut lege ſanguinis. nec quæuis libertas,eſt libertas vera, ſed licentia potius. Vera.n. libertas,eſt legibus ſerui-

ſeruire. *ideo legū ſerui ſumus*, inquit Cicero, *vt liberi eſſe poſſimus*. Tertiū eſt, ꝙ aiunt cōſtitutionē hāc de annuo luctu eſſe iuris poſitiui. Ergo tolli poſſe cōtraria lege, ꝗ autē ſit iuris poſitiui, probant ex eo, ꝙ Princeps aduerſus eā diſpenſare poteſt. Reſpondeo, imò conſtitutionē eſſe rationibus naturalibus conſtitutā, vt ſup. docui. Nec nocet, ꝙ de diſpenſatione dicitur, nam id Princeps interdum facit iuſta aliqua & certa ratione; p̄ſertim cū fere cōſtat pręgnantē non eſſe; vt ſup. dixi, atq; ita indulgētia Principis non tā contra hoc ius ciuile & naturale eſt, ſed potius à regula hui⁹ iuris eximitur ob certas rationes quib. mouetur. Concludendū eſt igitur, non ſolū pœnas illas quæ ad ſucceſſionē pertinent, & rem familiarem, ſed etiam pœnā infamiæ manere hodie, niſi in terris Eccleſiæ, vt rectiſſimè Cynus & alii veteres Interpretes tradunt. Atq; hæc de nuptiis intra tempus luctus contractis. Quid dicendum de contractis poſt illud tēpus, an illæ pœnæ manent, quæ ita ſecundo nubentib. irrogantur in caſu extantiū ex priori liberorū matrimonio, de quib. *in l. fœmina. & paſſim. C. de ſec. nupt.* Et de his pœnis omnes cōſentiunt, minime, etiā iure Canonico, abrogatas eſſe. Ratio differētiæ illa affertur inter has & ſuperiores nuptias; ꝙ in his nuptiis pœnæ ſint conſtitutæ in fauorē liberorum. In prioribus autem illis in pœnā duntaxat ſecundo nubentis conſtitutæ ſint; pœnas reſtringi, fauores ampliari debere. *c. hodie. extr. de reg. Iur.* Sed hæc ratio nugatoria eſt. & mirum eſt, velle eas pœnas eius mulieris ſublatas eſſe quæ plus delinquit, id eſt, quæ in

tra tempus luctus contra legum interdicta nubit. deinde pœnæ ipſæ interdum fauorabiles maximè, ſi ad publicam ſalutē, & diſciplinam tuendā pertinent, vt hæc conſtitutio de annuo luctu ad corrigendos malos mores introducta eſt. *l.1.C.de ſec.nupt.* Poſtremo ſciendum, quib. pœnis diximus, mulierem intra annum luctus nubentem puniri, iiſdem pœnis nominatim ſubiici eas quoq; mulieres, quæ intra vndecimum menſem à morte mariti pariunt, de quib. ſup. dictum eſt; itē eas, quæ ſuſcepta liberorum tutela iterū nubunt antequā vel tutores alios liberis petierint & rationes reddiderint *Nou. de reſt. & ea quæ parit: & Nou. de nuptiis. §. ſin autem tutelam.* de qua paulo pluribus doceamus.

CAPVT XIX.

De matre tutrice, iterum nubente.

MAtrem viduam poſſe liberorum ſuorum tutelam gerere, liberisq; poſt pubertatē teneri rationes tutelæ reddere, ſi ad ſecundas nuptias tranſiuerit, cōſtitutū eſt *Nou. de nupt. 22. §. ſin autem tutelam.* Quo etiam caſu ſecundarum nuptiarū poſſunt liberi reſtitutionem in integrū aduerſus matrem impetrare, cū alias non detur aduerſus parentes reſtitutio. *l. vlt C. qui & aduerſ. quos in int. reſtit.* Sed ab ea lege nominatim excipit hunc caſum Iuſtinianus in *Nou.*

Nou.vt matr.tutel.ratio. 135. Quod ſi mater filiorum (etiã naturaliũ) tutelam deſerat, quam ſuſcipit cum iureiurando, ſe ad ſecundas nuptias non tranſituram; & ante redditas rationes petitosque liberis tutores, nihilominus ſecundas nuptias contraxerit; iisdem pœnis, vt ſup. dixi, ſubiicitur, quibus mulier, quæ intra annũ luctus nubit, niſi veniam & ipſa à principe impetrauerit. *d. Nou.* 22. *& Nou. de reſtit. & ea quæ vnd. menſ. par.* Iure autem nouiſſimo, id eſt, *ex Nou. vt ſine prohib. matr. &c.* 94. vnde ſumpta eſt *d. Auth. eisdem. C. h. t.* poſterior pars nõ iurat, ſed contractis nuptiis à tutela ſtatim repellitur. Pater autem tutor ſui filii, puta à ſe emãcipati, impuberis; an pariter remoueatur à tutela, ſi ad ſecundas nuptias trãſeat, quęſitũ fuit? Et verius eſt, nõ remoueri, cũ hoc nuſpiã cautum ſit; & non eadem ſit ratio remouendi patris, q̃ matris, vt rectè docet Pinellus ad *l. vlt. n.* 115. *& ſeq. C. de bon. matern.* Idemq; dicẽdum puto, ſi filiofamilias ob eam cauſſam aliꝰ tutor datus ſit, quod pater bona eius diſſipet; neque enim legitimo vſufructu ſpoliari debet, quãuis adminiſtratio interdicatur. vſusfructus, inquã, ei ſaluus manet; non alimenta tantũ præſtanda de vſufructu & reditib. rerũ aduentitiarũ ſunt, vt perperam viri quidam docti colligunt ex *l. Imperator. D. ad SC. Trebell.* Nam in ea lege diſertè exprimitur ita fideicommiſſum relictum fuiſſe à teſtatore, vt ne quid pater in ea pecunia, quamdiu filius eius viueret, iuris haberet. quod miror illos, & Schurpfium non animaduertiſſe *conſil.* XX. *Cent.* II. vbi ſcribit in ſpecie

d.l.Imperator.patrem plus iuris habuiſſe in dicta pecunia vel bonis,quam hodie, inquit, in bonis aduentitiis liberorũ habent. quia habebat dominium,antequam filium emanciparet, & tamen propter diſſipationem etiam reipſa (ſine dolo ſcilicet)priuatur adminiſtratione,& vſufructu,alimentis ſolis ei in caſum indigētiæ pſtādis.Quę mirifice cũ *d.l.Imper.*&ratiōe pugnant. de quo pluribus dixi in libro de Bonis maternis liberorum,cap.XIII. Nunc ad matrē vel auiam tutricem redeam⁹. Mater ſi filio ſuo impuberi tutorem non petierit, iſq; etiam impubes ſit mortu⁹,ei nō ſuccedit;*l.3.l 6.C.ad SC. Tertull.l ſciant.C.de legit.hered.* Sed ſi idē pubes factus moriatur,ei mater ſuccedit & excuſatur, quod tutorem ei antea nō petierit,*d.l.3*.vt etiā aliis quibusdam caſibus excuſatur, qui referũtur in *l.2.D.eod.tit.* & Adcurſius *in d.l.3*. In *d. l.omnem.6*.amplius dicitur,matrē ſcilicet, quæ legitimam liberorum ſuorum tutelā ſuſcepit, ſi poſtea ad ſecundas nuptias tranſeat, non petitis prius vel ordinatis ſua vice tutoribus, hereditate liberorũ priuari,ſiue ea ab inteſtato ei deferat ex SC.Tertulliano,ſiue iure ſubſtitutionis,& ex teſtamento paterno,in quo mater pupillariter fuit filio ſuo ſubſtituta. Quod aũt de legitima matris tutela dicitur, nō id intelligendũ eſt,quaſi lege XII. tabul. ſit inducta, vt aliàs legitimæ tutelæ dicuntur,nā Lege XII.tabul.mater filio eſt cognata, nō agnata vel legitima;vno tantũ caſu olim etiam erat agnata, ſi videlicet in manũ mariti conueniſſet,quo iure & ſua heres marito fiebat, teſte Cicer. in Topic.

pic. & Vlpiano in titul. ſed alia lege, vel Tertul. SC. quo mater in ordinē legitimorum venit. Idq; apertius ſanxit Iuſtinianus in *Nou. de hered ab inteſt.* §. *ex his autē.* nam legitima tutela, penes eum eſſe debet, ad quē proximè ſpectat hereditas ſiue ſucceſſio, *Inſt. de legit. patron. tut.* Hodie autem ſucceſſio ad matrem etiam, & ad auiā legitima pertinet. Ergò & legitima tutela, ſed ita tamen ſi voluerit, nō aliter, cū alias legitima tutela deferatur, inuitis *d* §. *ex his autē.* Ex qua Nou. mater etiam in tutela pręfertur legitimis, & datiuis tutoribus, nō etiam teſtamentariis. Additur autem in *d. l.* 6. debere matrem quoq; rationes tutelæ prius reddere, q̃ nubat. Imò, inquies, nubere iterū non poteſt, quia antequam tutelam liberorum ſuſcipiat, debet iurare ſe non nupturā, & renunciare SC. Velleiano. Hodie remittitur quidē hoc iuſiurādum ex *Nou.* 94. & *Auth. ſacramentum. C. quand. mul. tutel. offic. fung.* Sed tamen promittere, & teſtari publicè id debet. Reſpondeo, non propterea nubere eam prohiberi. ſed iterum nubenti pœna cōſtituta eſt, nimirū quod & ipſius, & noui mariti bona omnia hypothecæ ſint obligata pro tutela; & mater ſucceſſione liberorū, tam legitima, quā teſtamētaria priuetur, *d. ll.* & *l. ſi mater. C. in quib. cauſſ. pign tacitè. l.* 2. *C. quand. mulier.* quod primum cōſtitutionē Seueri inductum eſt. *l.* 2. *D qui petant tutor.* Sed quid ſi mater non ſit legitima tutrix; ſed teſtamento patris pupillo data, an huius d. L conſtitutio locum habeat? alii enim negant; alii affirmant. Sed primo conſiderandum

eſt,male hanc quæſtionem ad hanc l. poni videri. nam mater tutrix teſtamento dari non potuit.*l.iure noſtro. D de teſt.tut.* Sed inſpecto iure nouo dicemus,matrem teſtamento datã, deſinere tutricem eſſe; ſi ad ſecundas nuptias tranſierit,vt deſineret etiam, ſi legitima eſſet, vt rectè Iohãnes,& Oldradus ſenſere,cum eadem ſit ratio in teſtamentaria tutela matris, nimirum, ne pupillo fraus fiat à matre, quæ nouo marito vel liberis eius magis fauere cenſetur,quã liberis prioris matrimonii. *l.lex quæ. C.de admin.tut.* Sed an priuabitur etiam teſtamentaria tutrix mater ſucceſſione filii, vt priuari legitimam diximus, iuxta *d. l. omnem.& l. 2.§.1. D.qui pet. tutor.* Et omnino dicendum eſt, priuari eam. hoc enim conſequitur ex priori illo,quod tutrix eſſe deſinat, *l.ſciant. C. de legit. hered.* Nec obſtat, quod pœnæ non ſint extendendæ,*l.cum quidam.D.de liber.& poſth.* Nam bene Salicetus reſpondet; quod in hac *d.l.*dicitur de matre legitima tutrice, vt priuetur,id non dici ad differentiam teſtamentariæ, quaſi teſtamentaria tutrix, puniri non debeat, nam hoc iure teſtamento dari tutrix mater non potuit. Et leges pœnales imò extendendæ ſunt ad caſus nouos, vt hic noua ſpecies tutelę,id eſt,teſtamentaria matri conceſſa eſt iure nouo, in quibus caſibus eadem plane ratio ſit, vt notatur in *l. ſi quis ſeruo. C. de furt.* præſertim cum hæc lex, & ſimiles aliæ magis in fauorem pupillorum ſcriptę eſſe,quam in odium matris, aut vitrici videantur. Poſtremò, quod in *d.l. omnem.& in d. l.ſciant.* ſcriptũ eſt,

matrem

matrem priuari etiam ſucceſſione teſtamentaria, puta quæ ſubſtitutione pupillari iure ei delata eſt, contrarium ei videtur quod ſcriptum eſt *in l. final.* §. *hæc autem, D. qui petant tutor.* nimirum à ſucceſſione tantum inteſtatorum filiorum matrem repelli, non ab aliis commodis teſtamento mariti delatis. Sed reſpõdeo, priuari matrem omni commodo, quod ex bonis filii ad eam peruenire potuit, quocunque iure, *d. l. 6.* Tale eſt autem quod ex ſubſtitutione pupillari capitur, in ea enim ſucceditur filio, non patri. *l. coheredi.* §. *filiæ. D. de vulgar. & pupill. ſubſtit.* at non etiam priuatur eo, quod ex bonis ipſius mariti, eiusque iudicio conſecuta eſt; quamuis maritus fideicommiſſum à filio ipſo reliquerit matri; veluti, ſi ſine liberis deceſſerit, vel ſi inteſtatus mortuus erit. Ita loquitur diſertè *d l. final.* §. *hæc autem.* Et hæc ſolutio veriſſima eſt; vt mirer Azonem, & Adcurſium alias conquiſiuiſſe. Neque huic ſolutioni obſtat *l. propter veneni.* § 1. *D. ad SC. Silan.* Nam dolus malus in ea L. punitur, in non vlciſcenda nece defuncti admiſſus; quod eſt grauiſſimum. Notandum etiam in *d. l. omnem. & d. l. ſciant.* eſt in verbo; ab inteſtato; illud verbum de pupillo vſurpari, cum tamen pupillus inteſtatus proprie dici nequeat, qua L. ad hanc rem pulchre vtitur Phil. Decius in arduo caſu conſil. *466.* Is enim dicitur proprie inteſtatus deceſſiſſe qui teſtamentum facere potuit. Cæterum ſi filius pubes factus deceſſit, ceſſat hæc pœ-

na *l.matres.C.ad.SC.Ter.* ratio eſt,q̃a ſi impubes mortuus ſit,ſuſpicio magna eſt, negligentiâ vel fraude eorum id accidiſſe, ad quos hereditas legitima pertinet,vel heredum teſtamento paterno pupillo datorum per ſubſtitutionem ſcilicet pupillarem,quę teſtamentum filii dicitur. *d.l.2.& l.6.d.t.* Sic etiam Perſius Satyr.11. *Pupillumq́; vtinam, quem proximus heres Impello, expungam.* Quare cautionem aduerſus haſce inſidias expoſuit Iuſtinianus in §. *ſin autem. & ibi Ioh.Faber Inſt.de pupil.ſubſtit.* Cornutus vetus Interpres ad illum Perſii locum ſic notat: *Non vtique cuius* (pupilli) *tutor ſit,ſed tamen adhuc inter pupillares annos conſtitutum, & nōdum ſuæ tutelæ: cuius ſecundus heres ſubſtitutus.* Sed quid volunt ſibi illa verba; *Non cuius tutor ſit?* legendum omnino eſt; *Non cuius tutor legitimus ſit*;agnatus ſcilicet, qui ab inteſtato ei ſuccedat, quique legitimus tutor ipſi eſt, nullo à patre teſtamento facto. Sed ſubſtitutus heres pupillariter teſtamēto patris. Et illud, *Nō vtiq;*, expono,id eſt,non ſolū,quaſi dicat,non ſolum agnatus & legitimus heres, idemq; tutor ab inteſtato;ſed etiam qui teſtamento paterno ei ſubſtitutus eſt, impellere & expungere pupillum optat. Itaque & illa verba, *cuius ſecundus*; ita reſtitui debent. Sed & cui ſecundus.

Res certa eſt:de ſcriptura vel ſententia Cornuti non laboro.

CAPVT XX.

De indicta viduitate.

QVantopere Romani matrimoniis fauerint, & quã cõtrà in cœlibes, orboſq; graues pœnas ſanxerint, notum eſt. Sed eminent Leges Iuliæ & Papiæ, partim de maritandis ordinibus, partim incitandis cœlibum pœnis latæ, Auguſto authore. Eas leges ſecuta eſt Lex Iulia Miſcella quæ dicitur. de qua appellatione extant doctiſſimorũ virorũ concertationes, Iacobi Cuiacii, & Roberti Aurelianenſis, qui ex nomine authoris ita dictam putat. argumẽto *Nou. XXII. de nupt.* Hæc lex, quod ad virgines attinet cœlibeſque nihil immutauit ex iure veteri: ſed de viduis ita ſanxit, vt ſi maritus vxori, vel alius quiſpiam legauit ſub conditione, ſi non nupſerit: ea conditio non reiiciatur, neç remittatur, niſi mulier iuret ſe liberorum procreandorum cauſſa iterum nubere, præſtetq; cautionem Murianam ſe legatum heredib. reſtituturam vna cum fructibus medii tẽporis, ſi nupſerit, ſed iuſiurandum illud prçſtare debet, ſi intra annum à morte mariti legatum petat; Cautionem vero Mutianam, ſi poſt annum petat legatum & nondum nupſerit. nam ſi nupſit, nihil cõſequetur poſt annum, *l. Mutianæ. l, heres. §. 1. D. de cond. & demonſtr. l. cum filius. §. Lucian. de leg. 2.* & quæ de vxore diximus, eadẽ

in viro locum habent, *l. ſed ſi. 62. §. vlt. D. de condit. & demonſtr.* Hocius L. Iuliæ Miſc. mãſit vſque ad Iuſtin. tempora, qui primus eam L. ſuſtulit, *l. 2. C. h. t.* remiſitque cautionem, & iuſiurandum, de quo locuti ſumus, inprimis ne periuriis via aperiatur. reuocauit ergo veterem L. Iuliam. Periurii hac in re extat inſigne exemplum apud Zonaram lib. III. Annal. vbi de Imper. Eudocia, quæ marito Conſtantino Ducæ iureiurando confirmauerat, ſe iterum non nupturam: ſyngraphamq; ea de re conſcriptam & ſuo chirographo ſubſcriptam Patriarchæ Cõſtantinopolitano tradiderat. à quo eam poſtea fraude & pollicitationibus recepit, Patriarcha colludente, & rationem etiam ex legibus prætexente: καὶ τὸν βασιλέα τεθνεῶτα ἐκατηγόρει, ὡς μὴ τοῦ κοινῇ συμφέροντος θέμενον πρόνοιαν, ἀλλ' ἐκ ζηλοτυπίας ἐκθέσμους ὅρκους ἐπητηκότα, καὶ τὰ παράνομα ἔγγραφα. Sed & eam legem poſtea Iuſtinianus abrogauit, iterumq; Miſcellã ferè reuocauit. *Nou. de nupt.* 22. §. *quæ vero.* Ex qua Nou. deſumta eſt. *Auth. cui relictum. C. h. t.* Igitur, vt quidnã hodie obtineat, quidq; ex veteri iure abrogatum vel mutatum ſit, quidq; non ſit, vt clarè intelligatur, diſtinctè dicam, primo de Virgine & cœlibe; deinde de vidua & viro. Et quod ad Virginem attinet, omni iure & veteri & nouo ea cõditio: *ſi non nupſerit,* ei remiſſa eſt; ſicut & viro: ſi vxorem non duxerit. Sed hæc ſententia ſuas habet limitationes quaſdã. Prima eſt: Si ipſimet virgini legatum relictum ſit, non autem ſi alii, puta, L. Titio centum do lego, ſi Sempronia non nupſerit. Hæc conditio Titio aſcripta, ei nõ remit-

mittitur: neque eſt illicita, quia per eam non prohibetur Sempronia nubere; neq; enim legati perdendi metu abſtinebit à nuptiis, cum non ei quidquam ſit legatum, ſed Titio. idemque ius etiam hac in parte, in vxore & vidua, vt eſt in *l.1.h.t.* Titius igitur legatum amittet, Si Sempronia nupſerit, vtpote defectus conditione; quod tamen ita rurſus intelligendũ eſt, ſi hic Titius ſit extraneus. nam contrarium eſt, ſi ſit pater vel filius, veluti: Titio cẽtum lego, ſi Sempronia eius filia non nupſerit. nam hæc conditio hîc reiicitur, & remittitur, non ſecus ac ſi ipſi filiæ legatum relictum eſſet ſub ea cõditione. Et ratio eſt, quia oblique Sempronia vetatur nubere. nam pater ipſius metu amittẽdi legati ſibi relicti dabit operam, ne ea nubat, quam in poteſtate ſua habet. Idemq; ius eſt, ſi filiofam. ita relinquatur: Si pater eius vxorem non duxerit. nam pater quia per filium ei adquiritur legatum, ne id amittat, non ducet vxorem. placet igitur his quoq; caſibus conditionẽ illam pro non ſcripta haberi. *l. heres meus. §. vlt. D. de cond. & dem.* eademq; ratio valet, ſi ſub ea conditione legatum relictum ſit Titio quidem extraneo, ſed is rogatus ſit hoc legatum reſtituere mulieri virginiue, in cuius perſonam ea conditio concepta eſt. hoc enim perinde eſt, ac ſi ipſi mulieri hoc legatum datum eſſet, conditioque viduitatis iniuncta. *l. auia. §. fin. D. eod.* Et in ſumma, vbi fit fraus Legi Iuliæ, quæ hodieq; in hac parte valet, conditio pro non ſcripta habetur, vt bene Adcurſius ad *d. l. 1. h. t.* ſcribit. Secunda limitatio eſt; ſi legatum virgi-

ni relinquatur ſub cõditione, Ne nubat in perpetuum, nam ſi ne nubat ad tempus, idq; tempus non ſit admodum longum, quod arbitrio iudicis æſtimabitur, tunc cõditio illa valet nec remittitur, *l. ſi vir vxori & l. cum tali. D. de cond. & dem.* Eodem pertinet ſi non vetetur omnino nubere ſed certis tantum perſonis, vel alicui ex tota illa familia, valet cõditio, *l. cũ ita. 63. & l. ſeq. D. eod.* quibus in ll. vt & in *l. 71. §. 1. & in l. cum tale. eod. tit.* ſimiles multæ ſpecies tractantur, in quibus conditio illa nunc reiicitur, nunc non reiicitur, prout fraus legi fit, vel non; quam L. vtilem Reipublicæ procreandæ ſcilicet ſobolis cauſſa latam adiuuãdam interpretatione Terentius Clemens ait *in d. l. hoc modo § fin.* Ergò idem dicendum eſt, ſi talis cõditio aſcribatur, ſi monaſterium ingreſſa fuerit. nam perinde hoc eſt, ac ſi nubere vetita eſſet. Et ita rectiſſime Bartolus, licet temere Baldus & Paul. Caſtrenſis diſſentiant, futili ratione, quia, inquiunt, vita contẽplatiua ſit maioris perfectionis, quam matrimonium contrahere. Tertia limitatio eſt, vt conditio non reiiciatur, ſed valeat, ſi virgini vel etiã mulieri legatus ſit ſeruus; vel etiam vſusfructus eius ſub ea conditione, ſi nõ nupſerit, & ſi nupſerit, ſeruus liber eſſe iuſſus eſt. nam ſi nupſerit, perdet legatum, & ſeruus fiet liber. ratio eſt, quia legato potior eſt libertas, *l. Titio vſusfr. D. de cond. & demõſtr.* qua ratione idem ius extendunt Bartolus & alii DD. ad omnes cauſſas pias; vt nimirum harũ fauore ea conditio minime reiiciatur, ſed ſi cõtra eam factum ſit, vt locus cauſſæ piæ fiat. Ha-

ætenus de virgine & primis nuptiis dictum eſt, in quibus ea conditio plerumq; reiicitur, ac remittitur. Nunc cognoſcendum eſt de vxore ſiue vidua & ſecūdis nuptiis. Igitur *Nou. de nupt.* conditio illa in ſecundis nuptiis non reiicitur nec in vxore nec in viro, nec ſolum ſi vxori vir, & vice verſa, ſed etiam ſi extraneus teſtator eā conditionem iniunxerit. Legatum ergò petere non poſſunt, niſi præſtiterint cautionem Mutianam, quæ regulariter ab omnibus exigitur, quibus aliquid relictum eſt ſub conditione, ne aliquid faciant, vt in noſtro propoſito; Ne vxorem ducat, ne nubat, *l. Mutiana. D. de condit. & dem.* Nec vero ſola cautio Mutiana, quāuis nō ſit nuda, ſed ſatiſdatio *dicta No.* exigitur, ſed etiam iuſiurandum legatarii vel hypotheca ei adiici iubetur. quodſi talis ſit perſona, cui nihil tuto committatur vel reperire fideiuſſores nō poſſit, tunc ipſum legatum ei præſtari debet, ſed eius legati vſuræ trientes, arg. *l. hac edictali. §. illud. ſup. de ſecun. nup.* & explicatur *d. Nou §. quæ vero. de nupt. XXII.* Diſtinctio etiam Legis Miſcellæ à Iuſtin. obſeruatur, de tempore nimirum. nam ſi intra annum petat legatum vel hereditatem, non aliter id conſequetur, quam ſi conditioni paruerit; puta, ſi Monaſterium ingreſſus ingreſſaue ſit, vel deceſſerit. Quod ſi ex Monaſterio exiret & nuptias contraheret, legato priuari deberet, vt recte Paul. Caſtrenſis & alii tradunt, *l. hac conditio filia. D. de condit. & demonſtr.* intra annum autem mulier ſi nubat, etiam aliæ pœnæ ſunt ei cōſtitutæ ob immaturas nuptias, atque etiamſi nulli liberi ex priori

matrimonio exiſtant; interq; eas pœnas etiam eſt hęc vt legatum amittat. eſt. n. luctui viduarum præſcriptus annus 12. menſium, idque primo à Gratiano Imp. *l. 2. C. de ſec. nupt.* cum antea eſſet tantũ 10. menſium, vt bene Cuiacius li. 1. aduerſus Robertum, multa etiam hic Baldus de anno iſto tradit, & inprimis quãdo currere incipiat. Quod ſi poſt annum legatum petatur, tunc eam quam ſupra dixi cautionẽ Mutianam præſtare debet, niſi tamen eam legatario teſtator remiſerit. Sed cum nõ ſolum legatum, ſed etiam fructus reſtitui debeant, ſi ſecundæ nuptiæ contractæ fuerint, quæritur an omnes fructus, id eſt, percepti, & percipiendi, & qui percipi potuerunt? quod certè verius eſt, vt Baldus idem hic notat, & Iaſon probat in *l. 1.* per illum textum *C. de his quibus vt ind.* Poſtremò ex *l. vlt. huius t.* duplex inſignis deciſio notanda eſt. Vna: quod ea quæ dicta ſunt de viduitate iniuncta mulieri locum etiam habeant in viro, vt fere in iure ſolet, quod de vno correlatiuo ſancitum eſt, id ad alterum duci, quam ad rem ſemper allegatur *d. l. vlt.* alterum eſt, quod ſi ita legatum ſit, cum mulier aut vir ad viduitatem aut cœlibatum peruenerit, vel ita: cum vidua vel cœlebs, hæc conditio intelligitur impleta eſſe, ſi ſemel etiam breuiſſimo tempore vel vidua vel cœlebs fuerit, quamuis talis non permaneat, ſed nuptias contrahat, atq; ita ex hac l. n. grauiſſimam controuerſiam Venetiis deciſiſſe ſe Paul. Caſtrẽſis dicit, cum magiſtratus Veneti iuris ciuilis, & huius legis im-

imperiti contrarium pronunciare iam conſtituiſſent, ſed admoniti à Paulo pronunciarunt iuxta hanc l. n. quamuis alias iure ciuili Veneti non vtantur.

Reſtituenda.

Pag. 46. v. 1. pro donat. l. doaria. pag. 101. v. 30. l. C. ſi ſec. nupt.

FINIS.

DISPVTATIO DE ÆSTIMATIONE RERVM IN DOTEM *datarum.*

RES quæ in dotem dantur, aut æſtimatæ viro dantur aut inæſtimatæ, quæ diuiſio ſeu diſtinctio paſſim occurrit in libris noſtris. Res æſtimatæ deſinunt eſſe dotales quia earum loco ſuccedit pretium quo ſunt æſtimatæ. Res autem inæſtimatæ proprie dotales & ſunt & appellantur, vt & fundus dotalis proprie dicitur, qui æſtimatus non eſt, vt in *l. vnic. §. itaq; partus. & §. qui fundo. C. de rei vxor act.* Æſtimatio enim illa nihil eſt aliud, quam emptio venditio. *l. plerumq;. § ſi ante. & ſeqq. D. de iur. dot. l. cũ fundus. 3. D. Locat. cum ſimil.* Quare & dominium earum rerum in Maritum, tanquam in emptorem, transfertur, & periculũ & commodum omne ad eum pertinet, *d. l. vn. §. cum autem. & l. cũ dotem. D. de iur. dot. & l. 1. C. de iur. dot.* actio ex empto vendito datur ex hac æſtimatione, *dictis ll. & l. quoties. D. de iur. dot. l. creditor. §. 1. D. de act. empt. l. ex conuentione.* 10. *C. de pact.* Quãuis autem vera emptio venditio dicitur, in *d. l. plerumq;* tamen quædam ſunt inter æſtimationem, & vulgarẽ venditionem differentiæ; quã

etiam ob cauſſam dicitur eſſe non ſimplex venditio,ſed cum adiuncto,venditio dotis cauſſa,*l. quoties. D.de iur,dot.* Vna igitur differentia eſt, quę notatur in *d.l.quoties.* ſi res dotalis ęſtimata data marito euincatur,puta quia fuit aliena res, non vxoris; maritus agere contra vxorē poteſt de hac euictione,& duplum ab ea conſequi, vt ius cōmune eſt in euictionibus.*l. evicta.& paſſim D.de euictio.l.quod ſi nolit.§ quia.D.Aedilit: Ed.l.ex empt.§.Caſſius.D.de act.empti.* Sed hoc duplum in emptione ſimplici & vulgari, quod emptor conſequutus eſt, ſibi habet ac retinet; maritus autē in æſtimatione iſta non item, ſed ſoluto quandoq; matrimonio cogitur id vxori ſuæ reſtituere,à qua id conſequutus fuerit.Idq; ideo conſtitutū eſt, quia æquū eſt,maritum nihil lucrari cū damno vxoris,ſatiſq; viſum eſt,eū indemnem præſtari, cùm iudiciū dotis ſit totū ex æquo & bono.*d.l.quoties.*vt & vice verſa mulierem æquum eſt,lucrum non facere ex iactura viri.*l.iure.§.finali.D.de iur.dot.l.pen.§.vlt.D. de ſolut.*Alia differentia eſt,quod in ſimplici vēditione, niſi dolo malo contracta ſit, quo caſu nullius momenti eſt ipſo iure.*l.& eleganter.in prin.D.de dol.mal.* vel niſi fraus in re ipſa verſetur,id eſt,niſi vēditor ſupra dimidiū iuſti pretii ſit deceptus,venditio valet,neq; ſit vlla reſciſſio aut eius reſtitutio.*l.2.C.de reſcin.vēd.*At in æſtimatione dotis maritus etiā in multo re minori deceptus,habet hoc remediū,vt eligere poſſit,vtrū res ęſtimatas vxori reſtituat,an iuſtā rei ęſtimationē, non autē eā, in qua deceptus fraudatuſq;.

tuſq;. *l.ſi res.§.1. D.de iur. dot. l.ſi circũſcripta.7. C.eod.tit.* de qua re plurib. infra. Alia differentia notatur, quod ſimplici venditioni contractu vt emptori competit actio ex empto, ſic venditori ex vẽdito, quod certũ eſt: at in æſtimatione dotis datur quidẽ actio ex empto ipſi marito tanquã emptori, vt ea ipſi præſtentur quæ præſtari debent, puta euictio &c. *d.l.cũ dotem.cum ſimil.* Sed non vice verſa mulieri datur actio ex vendito, vt ad *d.l.* Accurſius ſcribit, redditq; hanc rationem; quia nõ ſit ſimplex venditio; neq. abſurdũ ſit ex altera tantũ parte, id eſt, marito dari actionẽ ex empto; ex altera, id eſt, vxori actionẽ ex ſtipulatu pro dote, arg. *l.poteſt.D.mand.* Sed id falſum videtur obſtatq; *l.ex cõuentione. C.de pact.* in qua nominatim actio ex vendito datur, ex pacto quodã dotis ęſtimationi appoſito; quãuis ibi ex vendito intelligendum dicatur pro ex empto, vt ſæpe hęc vocabula in libris noſtris cõmutantur, vel ex cõtractu vẽditionis; vt ibi Donellus interpretatur. Alia differentia eſt, quod ſimplex venditio nunq̃ ita cõtrahitur, quin vẽditio maneat, & propriã venditionis obligationẽ pariat; ſi, inq̃, ſit vera venditio contracta. Nã ſi in aliquo negotio verbis emendi & vendendi vtamur, cũ id negotiũ naturę emptionis vẽditionis repugnet, nõ erit emptio vẽditio; ſed alius cõtractus. natura enim ſpectanda eſt, nõ verba: *l.ſi inſulã. D. de præſcr. verb. l.ex cõducto.§.Papinianus. D.Loc.* At rerum dotaliũ ęſtimatio ita eſt venditio, vt tamẽ venditio eſſe nõ poſſit; ꝙ addidit cũ res dotales ideo æſtimatę dantur, nõ vt

venditio contrahatur, ſed vt ſciatur, qualis ſumma dotis fuerit data ſiue quales res datę fuerint, & vtrũ deteriores poſtea à marito factæ ſint; tunc enim res ita æſtimatę non deſinunt eſſe dotales. *l. cum poſt. § res. D. de iur. dot.* Hic illud ſciendum eſt, res dotales æſtimatas proprie dici eas tantum, quæ in iure noſtro ſpecies & corpora appellantur, id eſt, res mobiles vel immobiles. Quod ſi res ſint, quæ numero, pondere, menſurave conſtant, & quæ in genere magis ſolutionem recipere dicuntur, quam in ſpecie. *l. 2. § mutui. D. de reb. cred.* tales res ipſa natura ſua ſatis æſtimatæ ſunt, ideoq; cum in dotem dantur, etiam ſine alia vlla æſtimatione, earum rerum dominium ac periculum in maritũ tranſit, ſolutoq; matrimonio aliæ eiuſdem generis & qualitatis reſtitui debent ab ipſo viro, vel herede eius. *l. res in dotem. D. de iur. dot.* vt accidit etiam in contractu mutui. *l. 3. D. de reb. cred.* talem dotem quoque intelligit Cicero in Orat. pro Cæcinna in illis verbis, *cum vteretur dote vxoris numerata*, id eſt, quæ in numis poſita erat; ideoque, *Vteretur*, ait, pro ſuo ſcilicet arbitrio & tanquam ſua, vt Caius in *d. l. res in dotem. Quia in hoc dantur*, inquit, *vt eas maritus ad arbitrium ſuum diſtrahat.* Prima quæſtio nobis erit de rebus dotalibus æſtimatis datis, eo pacto adiecto, vt eædem res quandoque ſoluto matrimonio reſtituantur, quo caſu æſtimatio illa non facit emptionem venditionem, vt alias regulariter ſolet, *d. l. plerumq. D. de iur. dot.* talis æſtimationis ſiue pacti ea vis eſt, vt res ita æſtimatæ

matæ maneant dotales, ſed duo inprimis de eo quæruntur: vnũ eſt de reſtitutione ipſa earum rerum; alterum de periculo, de commodis, de fructibus earundem rerum. Quod ad primum adtinet, eæ res omnino debent reſtitui, imo ſi maritus eas res alteri vendiderit, mulier poterit eas ab emptore vindicare. *l. quod ſi fundus. D. de fund. dot.* vtpote cum earum domina manſerit. *l. cũ inter virum. C. de iur. dot.* Sed additur quædam limitatio ſiue exceptio in *l.* 50. *D. ſolut. matrim.* niſi eæ res venditę fuerint muliere volente, vel ratum poſtea habente. Hoc enim caſu nõ cogetur maritus pręciſe eas mulieri reſtituere. ſed poteſtatem habebit, vtrum eas res mulieri reddat an earum pretium. *l. vlt. D. de pact. dotal.* pretium autem non illud, quo rçs initio æſtimatæ ſunt, intelligimus; ſed illud, quo à marito venditæ ſunt: quare ſi fundus centum æſtimatus ſit, venditus autem à marito ducentis ſit; hæc ducenta mulieri reddenda ſunt. Vt rectiſſime ſcriptum eſt in *d. l. vlt.* Licet doctiſſimi viri contra ſentiant, eoque verba *d. l.* immutare conentur. Sed perperam. Nam aperte diſtinguitur vtrum ſit fundus venditus volente muliere, an non *d. l. vlt. d. l. æſtimatis.* Nam in hoc poſteriori caſu ratio habetur quanti fundus æſtimatus eſt, vt tantum mulier ſoluto matrimonio conſequatur. In priori autem illo, quanti venditus eſt, quia in venditionem ipſam fundi mulier conſenſit. Ergo ſi maritus malit, pretium ab emptore acceptum mulieri reddere, quam fundum, id ei concedendum eſt. Ex

quo ſequitur, pactum illud, quo conuenit inter virum & vxorem de reſtituendo fundo eodem pretio, quo tum erat cum æſtimaretur, plane euaneſcere, quando fundus volẽte muliere poſtea venditus eſt. quod cum ita ſit, quid volunt ſibi illa verba in *d.l.vlt Neq; ei*, id eſt, marito *pactum conuentum remitti oportere*, contrarium enim iam probauimus, id eſt, pactum illud euaneſcere, & remitti & quidem in totum, tum quia maritus electionem habet, vtrum, fundum an pretium reſtituat, quam electionem mulier antea ex illo pacto habebat; tum etiam quia non pretium, quo æſtimatus in illo pacto fuit; ſed quo venditus eſt, reſtitui debet. prorſus igitur remittitur illud pactum, non, vt Adcurſius nugatur, in aliquo. Qua de cauſſa exiſtimo factum, vt doctiſſimi viri pro voce illa, *Neque*, audacter repoſuerint, *Namque*; atq; ita ex negatiua, ſcripturam affirmatiuã fecerint. Quod non probo. Sed res ita ſe habet; conſiderandum eſt, qua de re principaliter in *d.l.vlt.* agatur. duo enim ibi pacta proponuntur, primum, cum fundus æſtimatus datus eſt, quo cõuenit vt is fundus ſoluto matrimonio reſtitueretur eodem pretio. Alterum, cum fundus idem poſtea à marito venditus eſt volente & conſentiente muliere. Hîc quæritur, an hoc poſterius pactum perinde ſit accipiendum, ac ſi mulier à pacto illo priori receſſiſſet. Nam ſi receſſit, tunc fundus ille non erit dotalis, ſed erit proprius mariti. quando enim fundus dotalis æſtimatur ſine pacto, vel adiectione illa, vt idem reſtituatur, tunc

tunc emptio venditio contrahitur, per quam certum eſt dominium rei transferri in emptorem. cum ergo maritus ſit emptor,& dominus, ſequitur; eum fundum vendendo rem ſuam geſſiſſe ſuo commodo ſuoque periculo; mulieri autem deberi duntaxat illam æſtimationem, qua æſtimatus eſt, cum in dotem daretur. Ergo illa centum duntaxat; non autem ducenta, quibus poſtea à marito venditus eſt. Sed verius eſt, mulierem dum conſentit, venditioni à marito poſtea factæ, non videri receſſiſſe à pacto illo priori; atque ita maritus vendidit fundum vere dotalem, non autem ſuum. Ergo debet mulieri reſtituere vel ipſum fundum, vel pretium, quo venditus eſt. Ideò autem hoc verius eſt; quia & renunciatio omnis odioſa eſt & ſtrictiſſimi iuris; & quia in dubio ſemper dotibus fauere debemus. *l. in ambiguis. D. de Reg. iur.* Recte igitur in *d. l. vlt.* ſcriptum eſt, non remitti marito pactum illud conuentum; quo effectum fuit, vt fundus quamuis æſtimatus, tamen remaneat dotalis: idemq; reſtitui matrimonio ſoluto deberet. Dicet aliquis; ad quid igitur prodeſt, poſtea conſenſiſſe venditioni fundi? Reſpondeo, adhæc prodeſſe venditori marito, quod mulier non poſſit ab emptore vindicare venditum fundum, vel eum præciſe petere à marito ſibi reſtitui; ſed marito electio detur, vtrum fundũ reſtituere velit, an pretium, quod accepit. ꝙ ſi voluntas mulieris non interceſſiſſet, fundus omnino petenti mulieri reſtituendus eſſet *d. l. vltim. & l. æſtimatis. in fine.* Rurſum dicet aliquis; fruſtra hunc laborem

nomine continentur, vt ait Imp.in *d.l.vnica.§.cumque.C.de rei vx.act.* Contra enim ea, quę in fructu non ſunt, velut ancillarum partus, non cedunt lucro mariti; ſed augent dotem, id eſt, inter res dotales connumerantur, quę ſoluto matrimonio vxori reſtitui debent, *d.l. dotis. l. ancillarum. D. de petit.hered.l.in pecudum. D. de vſur.* Item omnia, quę ſerui dotales adquirunt, pręterea quę ex rebus mariti vel operis ſuis adquirunt. *d.§.cumq;.* In ſumma, quicquid in rebus dotalibus accedit, vel decedit, quod fructus nomine non veniat, id totum ad compendium vel damnum mulieris pertinet, *d.l.plerumq;.§.1. l.quamuis in bonis, D.eod.l.pater filia. D.de euict.* In rebus autem æſtimatis iterum diſtinguendum eſt inter æſtimationem, quę venditionem facit, & eam quæ non facit. venditio ſemper contrahitur, niſi cum aliter expreſſum eſt, ne contrahatur, vel quod perinde eſt, cum pactum interuenit, vt res dotales eædem ſoluto matrimonio reſtituantur. *l. cum fundus. D. Locat. cum ſimilib.* & notat Adcurſius *in l. ſi inter virum. D. de iur. dot.* Ideoq; periculum & commodum omne pertinet ad maritum tanquam dominum per emptionem factum, *d.l.plerumq;.l.maritus. D. de pact.dotal.l. quoties. & l.cum dotem. C.de iur.dot.d.l. vnica.§. cumq;.l intereſt. C.de vſufr.* Sed hic incidit grauis quæſtio, an ſola æſtimatio per ſe ſufficiat ad transferendum periculum in maritum? videtur enim præterea requiri traditio, id eſt, vt res æſtimatæ etiam marito traditę ſint, vt in rebus

venditis aliis dici ſolet; quia ante traditionem non transfertur rerum dominium, vnicuique autem perit res ſua. Ergo venditori. §. *vendita. Inſt. de rer. diuiſ. l. traditionibus, C. de pact.* Igitur mulieris periculum erit rerum æſtimatarum ante traditionem. *l. ſi æſtimatam.* 14. *& l. quod ſi. D. de iur. dot.* & generaliter venditoris, nõ emptoris, vt Africanus ſcribit in *l. ſi fundus.* 3. *D. Locat.* Sed huic ſententiæ obſtant plurimi loci iuris, vt *l. quod ſæpe. D. de contrah. empt. l.* 7. *D. de peric. & comm. rei vendit.* inprimis autem §. *autẽ Inſt. de empt. & vend. & l cum emptor.* §. 1. *de reſcind. vend.* Quibus locis clare ſcriptum eſt, periculũ rei venditæ ſpectare ad emptorem, etiã ante traditionem. Nec alius locus obſtat huic ſententiæ, vt ait Anton. Faber. *lib.* 2. *coniectur.* c. 4. præter vnicum Africani reſponſum in *d. l. ſi fundus.* Quod & verum eſt. Nam ad *d. l. ſi rem æſtimatam. & l. quod ſi ſeq.* facilis eſt reſponſio. Ideo enim periculum ibi ſpectat ad mulierem, & venditorem; quia mulier in traditione moram fecerat. Mora autem ſemper auctori ſuo nocet. *l.* 3. §. *final. D. de act. empt. & vend. c. mora ſua. extr. de Reg. iur. lib.* 6. *cum ſimil.* Quod ſi moram non fecerit, periculum ad emptorem ſpectabit, & maritum. Ad *l. ſi fundus.* valde ſe torquent interpretes. Sed puto commodiſſimam reſponſionem colligi poſſe ex *d. l. ſi rem æſtimatam.* in illis verbis; *cum in rerum natura eſſe deſierit.* vt conſideretur, an res plane perierit, vel deterior facta ſit; eatenus enim etiam periit, quo caſu locus eſt ſuperiori regulæ: an vero res

quidem

quidem adhuc extet, ita vt præſtari poſſit, ſi redimatur; quæ eſt Africani ſpecies. publicatus enim fundus extabat, militibus ab Imperatore adſignatus. quod periculum præſtare venditorem, æquum eſt; non item latronem, vt puto. quãuis hæc alias in iure, vbi de vi maiori agitur, comparari ſoleant, bellum, inquam, & latrocinium; vt in contractu locati. quod & in partiario colono obtinet, nec ſolum eo, qui partib. colit ſine æſtimatione, ſed etiam qui æſtimatum fundum, vel æſtimata pecora iumentave accepit ad paſcendum. contractum ad ſocidam vocant barbari noſtri. de quo expoſui, ad *l. ſi paſcenda. Cod. de pact.* & elegans ad hanc rem eſt Pauſaniæ locus libro IV. Τούτῳ τῷ ἀνδρὶ ἐγένοντο βοῦς. καὶ (οὐ γὰρ ἐκέκτητο ἰδίαν γῆν, ὡς νομὰς ταῖς βουσὶν ἱκανὰς εἶναι) Σπαρτιάτῃ σφᾶς δίδωσιν Εὐαίφνῳ βόσκεσθαί τε ἐν ἐκείνου, καὶ μοῖραν εἶναι καὶ Εὐαίφνῳ τοῦ καρποῦ τῶν βοῶν. Subiicit poſtea de fraude partiarii huius, qui boues à latronibus abactas finxit. quem locum eo libentius adſcripſi, quod eruditiſſimus Amaſæus perperam vertit quædam, cum ſcribit, *boues locauit in ipſius agro paſcendas ea mercede, vt eſſet fœturæ particeps.* vertere debebat, *ea lege,* non eſt enim merces vbi contractus locati non eſt. qualis hic non eſt, de quo agimus. *l. ſi merces. §. vis maior. D. Locat.* At illud rectiſſime, *vt eſſet fœturæ particeps.* quod male emendauit doctiſſimus Sylburgius, vertens, *vt eſſet particeps fructus, qui ex bobus perciperetur.* non enim omnis fructus peco-

te etiam ſolo ſilentio mariti ex conſtit. Diui Seueri. *l. cum hic ſtatus. D. de donat. int. vir. & vx.* deniq; locupletior non eſt facta iſto vſu mulier. ideoq; iuris interdicto locus non eſt. *l. ſi ſponſus. §. cum igitur. D. eod.* Atque hæc de rebus æſtimatis, ſi venditio contracta ſit, tunc enim dominium earum rerum fit mariti, omniaque commoda & incommoda ad eum pertinent. Ergo vxor non eſt domina; quia duo in ſolidum eſſe eiuſdem rei non poſſunt, *l. ſi vt certo. in fin. D. commodat.* Vno caſu, id eſt, ſi maritus ſoluendo non fuerit, poteſt eas res mulier vindicare, vtili in rem actione; idque non ſolum ſoluto matrimonio, ſed etiam conſtante; ſi videlicet maritus ad inopiã vergat: tunc enim mulier etiam dotem ſuam repetere poteſt, *l. ſi conſtante. cum ſimilib. D. ſolut. matrim.* Daturque ei non ſolum actio in perſonam, ſed etiam vindicatio & quidem directa, cum dotis vere ſit domina, *l. vbi adhuc. C. de iur. dot.* Sed rerum æſtimatarum, quia non eſt earum domina, ſed maritus; datur ei hoc caſu non directa, ſed vtilis, ſicut & rerum ex dotali pecunia emptarum, *d. l. vbi adhuc.* & ibi Salycetus *l. in rebus. C. eod. l. cũ vir. D. eod. l. cũ dotẽ. § fin. D. ſolut. matr. l. vxor marito. D. de donat. int. vir. & vx.* Quamuis res æſtimatę, ſicut etiam res ex dotali pecunia emptę non ſint dotales *l. ſi ex pecunia. C. de iur. dot.* Igitur in ſubſidium, & vtilis vindicatio mulieri datur, cum directa non detur, niſi domino. *l. in rem actio. D. de rei vind.* Videamus nunc de rebus æſtimatis quidem datis, ſed per quam æſti-

mationem venditio non ſit vlla contracta. Id duobus in ſumma accidit modis. Primus eſt, ſi res æſtimatæ ante nuptias datæ ſint, & nuptiæ poſtea ſequutæ non fuerint. Nam talis æſtimatio ante nuptias facta eſt quidem venditio, ſed tantum venditio ſub conditione, nimirum ſi nuptiæ ſequantur; quia extra nuptias intelligi dos nullo modo poteſt, *d.l.plerumq.* §.4.*l.in rebus.*§.1.*D.eod.tit.* Id enim tacite agitur, vt nuptię ſequantur, cum contrahendi & ęſtimationis faciendæ nulla alia fuerit cauſſa, ideoq; nuptiis non ſequutis ipſę res non earũ pretia reſtitui debent, irrita facta venditione. Ex quo & illud ſequitur, ſi res ita ante nuptias ęſtimatę perierint, periculum hoc ad mulierem omnimodo pertinere; quia interitus rerum ſic venditarum, pendente nuptiarum conditione contingens, venditionem extinxit; vt eſt in *d.l.plerumq.d.*§.4.*& ſeq.* Quæ verba vel ſimilia ex veteribus libris reſtituenda etiã in *l.*8.*neceſſario.D.de peric. & comm.rei vendit.* vt Adcurſius illic monet in verbo, *ſicut*, & Cuiac. probat. Pauli *lib.*33.*ad Edictũ.* in qua *l.neceſſario.*§.*quod ſi pendente*, idem, quod de venditione, ſcriptũ eſt, & de ſtipulationibus & de legatis, ea ſcil. nulla eſſe, ſi cõditio nõ extiterit. Idemq; & de nouationib. dicendũ eſt *l.quoties.D.de nou.* Dixi autẽ, interitu rei extingui conditionalem venditionem, ideoq; periculũ ad venditorẽ vel ad mulierem pertinere: quod verum eſt, ſiue nuptię nõ ſequantur ſiue ſequantur. Fruſtra enim conditio exiſtit re iam perempta, perindeq; habetur, ac ſi ab initio cõtracta

tracta

tracta vēditio fuiſſet ſine re, quod fieri nō poteſt. *l.domum. cū ſimilib.D.de cōtrah.empt.* quod ſi res æſtimata, aut vendita non perierit, ſed deterior duntaxat facta ſit, antequam cōditio extiterit, non idem quod in interitu & morte dicemus. hoc enim damnum, ſiue hæc deterioratio ad maritū atq. emptorem pertinet, ſi conditio poſtea extiterit. *d.l.neceſſario.§.plane.* Ex quo ſequitur, vt & cōmodū & fructus interim percepti ad eū quoq; pertineant. *l.fructus. C.de act. empt.* quod ſi res interim plane periiſſet, fructus interim percepti ad venditorem vel mulierem pertinerent, cum ad eum pertineat & interitus, *d.l.neceſſario.* Vini tantum venditio excipienda eſt facta cum ea adiectione, vt deguſtetur; vt plerumq; ſemper fieri ſolet. hæc enim adiectio facit venditionem cōditionalē. *l.4. D.de peric. & cōm.rei vend.* Sed ſi vinū mucorē, aut acorē interea contraxerit, ante deguſtationē ſcil. hæc deterioratio vel damnū pertinet ad venditorē. *l.ſi in emptionis §.alia cauſſa. D.de contrah. empt.* & ratio eſt, quia talis deterioratio in vino comparatur vero interitui. videtur enim vinum periiſſe, quod acidum vel mucidum factum eſt. Illud quoq; hoc loco, vbi de tempore æſtimationis rerum dotalium factæ agimus, obſeruandum eſt, eam æſtimationem non aliter videri venditionem facere, quam ſi facta ſit tempore traditionis, vel quo dos conſtituitur. Nam ſi dote iam conſtituta, & ex interuallo fiat, præſertim cōſtante matrimonio, venditio contrahi non intelligitur; tum quia veriſimile non eſt cōtrahentes receſſiſſe, quaſi nouatione quadā,

à priore contractus lege,id eſt,dotis; tum quia per hunc modum fraus fieri facile poſſet & interdicto veteri, & legibus Iuliis. quorum illo donatio inter virum & vxorem interdicta eſt; his autem alienatio fundi dotalis: per hanc enim æſtimationem ſic ex interuallo factam, ſi emptio contrahi dicatur, facile ad alienationē venietur,cum res æſtimatæ ſint plane in dominio & arbitrio mariti.atque ita Baldus,Iaſon,& alii docent ad *l.ſi ex conuentionē. C. de pact.* Secundus modus eſt, quo venditio per æſtimationem rerum dotalium non contrahitur, ſi res æſtimatę datę ſunt, ſed eo adiecto, vt eædem res ſoluto quandoq; matrimonio reſtituantur eo pretio, quo æſtimatæ ſunt; adparet enim tū id agi,non vt venditio vlla contrahatur, ſed vt ſumma tantum declaretur, vt ait *l. cum poſt diuortium.§.cum res.D. de iur. dot.* vel vt cognoſcatur, verū poſtea aliqua res ſiue ſpecies dotalis deminuta vel deperdita fuerit,vt ait *l. ſi inter virum.C eod.tit.* hæc autem adiectio variis modis fieri & adponi ſolet, de quibus antequam dicam,quędam obiectio remouenda eſt.Dicet enim aliquis,fruſtra tales conuentiones in dote adiici quia etiam ſine iis ius eſſet idem,vt ſcilicet æſtimatio transferat dominium, vel periculum in maritum,neq; emptionem faciat.ratio eſt, quia æſtimatio in nullo contractu, vel negotio emptionem inducit, niſi contractus talis ſit natura,ex quo transferri dominium vel periculum ſoleat. contra, ſi non ſolet. exempli gratia, ſi tibi rem aliquam puta equum commoda-

modauero, vel locauero eius çſtimatione ſimul facta; hçc æſtimatio neq; dominium, neq; periculum equi in te transfert, quia locati vel commodati natura hæc non admittit, aut requirit, *l. ſi vt certo. § nunc videndum. & ibi Bart. notat. D. commodat. l. 1. § ſi quis ſub conditione. D. quod legatorũ nomin.* Æſtimatio enim illa eo ſpectat, vt ſi equus forte perierit tua culpa; ſciatur, quçnam ſumma pro equo præſtari debeat. excipiendum eſt, niſi nominatim & ſpecialiter promiſeris, te aut rem, aut æſtimationem eius prçſtaturum; tunc enim periculum in te transferri placuit; quia id actum intelligitur, *arg. d. § nunc videndum. l. ſi gratuitam. § 1. D. de præſcr. verb.* atq; ita acipienda eſt *l. cum fundus. D. Locat. l. 1. § vlt. D. de æſtimator. act.* vt ibi Paulus de Caſtro docet, & Panormitanus in *c. vltim. extr. de commodat.* Salycetus in *l. 1. C. eod. tit.* Sed hæc obiectio non pertinet ad contractum dotis. quamuis enim mulier dotis domina eſſe dicatur, tamen dos eſt in bonis mariti. *l quamuis. D. de iur. dot. l. in rebus. C. eod. tit. l. 7. § vlt. D. eod.* id eſt, maritus iure ciuili & fictitio fit dominus dotis, quamuis reuera & natura mulier ſit domina, quod demum adparet ſoluto matrimonio, cum mulieri rei vindicatio tamquam dominæ pro dote ſua detur *d. l. in rebus.* Igitur æſtimatio dotis facit emtionem & transfert plane periculum ac dominium in maritum, qui rebus non æſtimatis de dolo tantum & culpa teneretur. *l. in rebus. D. eod. tit. d. l. plerumq;.* Transfert inquam periculum, venditioq; per çſtima-

tionẽ contrahitur, niſi aliter conuenerit, vel expreſſe vel tacite: quod adcidit cũ ita conuenit, vt res dotales eædem reſtituerentur, vt ſupra dictum, *d.l. inter virum. l. æſtimatis. D. ſolut. matrim. l. 1. C. eod. tit. cum ſimilib.* Quibus ita explicatis, ſciendum nunc eſt, variis modis conuenire ſic poſſe, quibus fit ne emptio venditio rerum dotalium eſtimatione contrahatur. Nam vel res ita æſtimatæ dantur cum adiectione, vt eædem quandoq; reſtituantur, vt in *l. cum dotem. C. de iur. dot.* vel, vt reddantur iiſdem pretiis quibus æſtimatæ ſunt, vt in *l. ſi inter virum. C. eod. tit.* vel hoc modo, vt eædem reſtituantur, ſi extant, habita ratione augmenti & diminutionis, vel ſi non extant, vt æſtimatio earum præſtetur. *l. in rebus æſtimatis. D. ſolut. matrim.* vel denique conuenit alternatiue, vt vel res ipſæ, vel rerum æſtimatio præſtaretur, atque hæc electio vel in mariti vel in vxoris arbitrium ponitur. *l. plerumque. §. ſi res in dotem. D. de iur. dot.* Primo caſu idem ius eſt, quod in ſecundo; ſi tamen æſtimatio facta ſit certo pretio. Nam ſi incerto pretio facta eſt, vel in contractu matrimonii dictum eſt aut in dotali inſtrumento ſcriptum, res æſtimatas quidem datas eſſe, nec quantitas certa exprimitur, tunc ſine dubio nulla emptio venditio contrahitur, ideoque res dotales remanent; & reſtitui eædem debent, quamuis nullum plane pactum de iis reſtituendis interuenerit. Satis enim iure communi tutus eſt maritus: quo iure ita conſtitutum eſt, vt emptio venditio nulla ſit ſine certo pretio.

to pretio. §. *pretium. Inſtit. de empt. vend. l. empti fides. C. de contrah. empt.* Niſi forte pretium collatum ſit in alterius arbitrium, id eſt, quanti Titius æſtimarit, vel arbitratus fuerit; tunc enim emptio valeret, ſi Titius pretium arbitretur. *l. vlt. Cod. eod. tit.* In æſtimatione autem dotis hoc amplius receptum eſt, quod etiam Titio non arbitrante, & definiente pretium, tamen emptio venditio contrahatur, & recurratur ad arbitrium boni viri, vt quanti ille rem æſtimauerit, tanti vendita ſit: ſicut valet dotis promiſſio, non expreſſa certa eius quantitate, vel alia re, in qua dos dari debeat. *l. cum poſt diuortium. §. gener. a ſocero. D. ſolut. matrim.* Sed hæc quæſtio, quia difficilior eſt, paulo pluribus explicari debet. Nam, ſi ſequimur regulam iuris, dicendum contra videtur, talem promiſſionem incertam non valere, vt generaliter traditum eſt de omni promiſſione, cum ſciri non poſſit quid ſit promiſſum. *d. §. gener. & l. triticum. 94. & l. ita ſtipulatus. D. de verb. obl.* Sicut etiam nec legatum huiuſmodi valet. *ſi domus. in princ. D. de leg. lib. 1.* Quæ regula iuris ita temperata eſt, niſi tamen incerta promiſſio, vel legatum poſſint certa reddi ex ratione vel circumſtãtia aliqua, tunc enim valebunt, vt eſt in *l. quidã in teſtamento. D. de leg. lib. 2. l. Stichus. D. de leg. lib. 3. l. ſi cui. D. de ann. leg.* Talis autem ratio rei certæ reddendæ frequens eſt illa, cum promiſſioni vel legato adiici tur arbitrium boni viri, vel ſimpliciter arbitriũ alicuius perſonæ: hoc enim adiecto promiſſio

rei incertæ erit vtilis. certum eſt enim, quid vir bonus ſit arbitraturus, id nimirum quod ęquũ eſt. *l. 1. de leg. lib. 2. l. in perſonã. §. generaliter. D. de Reg. iur.* atque ita in ſpecie huius quæſtionis noſtrę traditum eſt in *l. 3. C. de dot. promiſſ.* Cęterum ſi detracto arbitrio, id eſt, nulla mentione arbitrii vllius facta, dos incerta promiſſa fuerit, hîc quęritur an vtilis ſit promiſſio? & in *l. 1. C. de dot promiſſ.* clare ſcriptum eſt, inutilem eſſe, neq; actionem marito competere, ſed contra in *d. §. gener.* ſcriptum eſt, vtilem eſſe, & ſimul ibi remouetur illa obiectio de rebus incertis, vel promiſſis, vel legatis. ait enim Papinianus non eſſe incertam promiſſionem, quando dos incerta promittitur, & verbis generalibus. Ratio eſt, quia dotis modus conſtituendus eſt ex facultatibus & dignitate mariti & mulieris, vt in *d. §. gener. & §. ſeqq. & in l. ſiue generalis. D. eod. & in l. 9. §. dotis. D. de minor.* proditum eſt. Quid ergo reſpondendum eſt ad *d. l. 1. C. de dotis promiſſ.* Et vulgaris Dd. reſponſio illa eſt, *d. l. 1.* loqui de dote nudo pacto promiſſa, at *§. gener.* de dote per ſtipulationem promiſſa. Sed hæc ſententia plane falſa eſt, primum, quia in *d. l. 1.* promiſſa dos eſſe dicitur; promittendi autem verbum in iure noſtro ad ſtipulationem refertur in dubio. *l. ſciendum. D. de verb. obl. §. ſi ſcriptum. Inſt. de inutil. ſtipul.* deinde in dote cõſtituenda æque valet nudum pactum ac ſtipulatio. *l. 6. C. de dot. promiſſ.* Quod Dd. cum intelligerent, dixerunt, ideo non valere in *d. l. 1.* promiſſionem dotis incertæ, quia duo ſpecialia

ſiue ſingularia concurrere ſimul non poſſunt, vel duę, vt loquuntur, fictiones in eadem re. propter quam ſententiam ab omnibus quotidie allegatur *d.l.*1. Vnum enim ſpeciale eſſe dicunt, quod nudo pacto dos ſit promiſſa; alterũ, quod dos incerta promiſſa ſit. atq; inde concludunt, talem promiſſionem non valere, vt in *d.l.* 1. ſcriptum eſt. Sed hoc totum de ſpecialibus iſtis ineptum eſt, vt recte docuit Franciſ. Duarenus *lib.*1.*Diſput. anniuerſ.* Alii vero interpretes diuerſas attulere ſolutiones, vt videre eſt apud Ioh. Robertum *lib.*4.*Sent. recept. c.*24. Sed veriſſima mihi videtur Adcurſii ſolutio, quam primo loco ad *d.§.gener.* ponit; tertio autem loco ad *d.l.*1. à quo nec Harmenopulus Græcus, nec Duarenus & alii Latini recedunt. Differentia enim conſtituenda eſt inter promiſſionem patris, & mulieris, & promiſſionem alterius. nam à patre facta promiſſio dotis incerta, ea ratione vtilis eſt, quia pater ex officio tenetur dotare filiam ſuam *l. qui liberos. D. de rit. nupt. l. vlt. C. de dot. promiſſ.* quare mirum non eſt, ſi cum dotare teneatur, etiam dotare eam voluiſſe lex interpretetur. nec incertitudine vitiari promiſſionem eius; cum poſſit ac debeat ex modo facultatum ſuarum, & dignitate familiarum dos certa conſtitui. ita diſerte loquitur *d.§.gener.* at contra, ſi mulier promittat incertam dotem, quia ſe dotare non tenetur, & poteſt indotata etiam nubere, idcirco non poteſt ita exiſtimari, quaſi dotem voluerit conſtituere pro modo facultatum & dignitatum, cũ

potius veriſimile ſit, eam ſibi conſulere maluiſſe, nullam aut exiguam dotem dando marito ſuo; & quod in vxore diximus, id multo magis in extraneo promiſſore dotis dicendũ eſt; quã in ſententia comperio etiam fuiſſe Zaſium in *l. 1.D.ſolut.matrim.* communi illa opinione, de qua dixi ſupra, refutata. Nunc vt ad rem redeam. Ita tenendum eſt, æſtimationem dotis incerto pretio factam, ſed collatam tamen in arbitrium alterius, facere emptionem & venditionem licet ille non arbitretur, quod ſi nec arbitrium adiectum ſit, tunc emptionem nullo modo contrahit, ſed manere res plane dotales, idque Bartol.& Paulus Caſtrenſis, rectiſſime ſenſerunt, quem & alii ſequuntur, teſte Couarruu.*lib.*2.*cap.* 28. faciuntq; pro eo optime *l.quidam.*§. 2. *D.de leg.*1. *& l.vir vxori. D. de dot.prœleg.* licet eas leges calumniari & obſcurare conati ſint Aretinus, & Alexander ad *l.Titii textores.*§.*vlt.D.de leg.*1. Nam in *d.l.quidam.*§.2. manifeſtum eſt, ideo nec rem legatam nec æſtimationem eius deberi, quia illa æſtimatio, ad quam legatarius alteri cuidam rem præſtare iuſſus eſt, incerta plane fuit, extincta ſcilicet re, ſiue ſeruo mortuo, ad cuius vſque pretium rem præſtari teſtator voluit. In *l. autem vir vxori*, contra, pecunia certa fuit legata, non autem æſtimatio incerta, vel pretium. ait enim diſerte ea lex, *pecuniam pro dote legauit*; ideoque legatum pecuniæ deberi, ibi reſponſum eſt, licet res dotales, pro quibus pecunia legata fuit, extinctæ fuerint. Videamus

nunc,

nunc, quis ſit effectus huius rei, cum res dotales eędem reddi debeant, ad quid æſtimatio earum proſit. Dicendum eſt, eo valere primum, vt ipſæ res ſiue ſpecies, non autem earum pretia ſoluto matrimonio reſtituantur, nec res ipſę ſolum, ſed etiam acceſſiones & augmenta, exceptis tamen fructibus, qui ſemper penes maritum remanent propter onera matrimonii *d. l. vnic. §. cumq;. C. de rei vx. act.* Deinde ęſtimationem iſtam eo valere, vt eodem pretio res dotales reſtituantur, quo erant æſtimatæ cũ dos daretur. *l. ſi inter. C. de iur. dot. cũ ſimilib.* Ex quo illud ſequitur, vt ſi res aliqua dotis deperdita, vel deminuta fuerit, dettimentũ viri ſit, & æſtimatio illa reſtitui debeat, vel res ipſa cũ æſtimatione deteriorationis, vt eſt in eadẽ lege; vbi recte Adcurſius, deperditam exponit, quę deſiit eſſe in rerum natura, deminutã, quę ab alio vſucapta eſt. *l. ſi fundus. D. de fund. dotal. l. deperditũ. D. de petit. hered.* Sed idẽ de omni alia deminutione, & deterioratione dicendum eſt. *l. plerumq;. D. eod. tit.* Atq. hæc ita ſunt ſi dolo, vel aliqua culpa mariti res perierit, vel deterior facta fuerit. Nã ſi caſu fortuito, abſq; vlla viri culpa id adciderit, vir nõ tenebitur. Culpam autẽ intelligimus hic etiam leuiſſimã, vt docet Paulus de Caſtro in *d. l. æſtimatis. & in l. in his, pen. §. ſi mancipia. D. ſol. matr.* quod valde notandum eſt, quia maritus alias in rebus dotalibus inæſtimatis datis de dolo & culpa quidem tenetur, ſed non leuiſſima, *d. l. in rebus. l. etiam. D. ſolut. matrim. l. in rebus. D. de iur. dot.* ad hoc igitur etiam valet

illa æſtimatio, licet emptionem venditionem nō fecerit. Hoc loco obiicitur difficilis antinomia ex *d.l.pen.§.mancipia.* & quidem dupliciter. Primum, quod in *d.§.*ſcriptum eſt, maritum de periculo teneri, & quod propterea partus ancillarum, qui ſunt & ipſi dotales ad maritum pertineant, idemque plane ſcriptum eſt in *l. mancipia.D.de iur.dot.* Sed contra in *l.1.C.ſolut.matrim.* ſcriptum eſt, debere partus ancillarum mulieri reſtitui. Sed quod ad periculum adtinet, ita idem Paulus & alii reſpondent, intelligendum eſſe de periculo quod aliqua mariti culpa licet leuiſſima adciderit. Adcurſius autem plurimas ſolutiones adfert in *d.l.1.* quæ licet omnes veræ Cyno & Salyceto videantur, tamen illa eſt optima, quod in *d. §. mancipia.* id actum inter coniuges fuit, cum res æſtimarent, vt periculum quoque ad virum pertineret; omne igitur periculum quod adciderit. at contra in *d.l.1.* id actum fuit, vt periculum ad mulierem pertineret; quod ſatis ſignificant illa verba *d.l.1.ſi extarent vt reſtituerentur.* Contra igitur, ſi non extarent; ſicut & in *l.æſtimatis.D.ſolut.matri.* in qua lege tertius ille modus continetur, cum ſcilicet conuenit, vt res ipſæ mulieri reſtituerentur, habita tamen ratione augmēti, & diminutionis ratione, viri boni arbitratu. Quæ vero non extarent, vt earum æſtimatio ab initio facta præſtaretur. vbi quod ad res extantes adtinet, quæſitum erat, an eæ reſtitui deberent, quas maritus vendidiſſet? Et reſponſum eſt, debere, ſi maritus eas non vendi-

diſſet volente muliere, vel poſtea ratum habente: & ratio eſt, quia licet venditæ ſint, tamen peremptæ non ſunt; cum apud alium extent, à quo eas redimere maritus debet & mulieri reſtituere. Quod autem de augmento & diminutione illic ſcriptum eſt, ita intelligendum eſt, vt compenſatio quædam damni & augmenti fiat, ſi quędam res deteriores, quædam auctiores, vel meliores factę ſint. hîc quęritur quid iuris ſit, ſi mutatio in rebus facta ſit? & diſtinguendum eſt, inter bonitatem intrinſecam ſiue ſubſtantiam rei, & bonitatē extrinſecam ſiue valorem rei. nam pretia rerum ſolent eſſe varia pro temporibus, & locis. *l. pretia. §. vlt. D. ad l. Falcid.* Igitur ſi res in dotem data maneat in ſua ſubſtantia, veluti æque bene cultus ager, & fructuoſus, dicendum eſt, ipſum debere reſtitui, & ſi pretium eius diminutum ſit, maritum non teneri ad pretium, cum ei nihil imputari poſſit, quod extrinſeca illa bonitas deminuta fuerit; ſatiſque ſit, ſi eadem bonitate intrinſeca eam reddat. *l. cum res. D. de reb. cred. & arg. c cum olim. & c. canonici. extr. de cenſib.* Sichardus ad *l. quoties. in fin. C. de iur. dot.* vbi gloſſam Adcurſii in *d. l. ſi inter virum*, tanquam falſam & iniquam exagitat; quod dixerit, manente eadem rei ſubſtantia, ſi res tamen carior aut vilior facta ſit, pretium conſiderari debere, licet gloſſam illam Cynus & Salycetus aliter interpretentur. Sed ea omiſſa, ſi res in dotem data deterior in ſubſtantia ſua facta fuerit abſque vlla culpa mariti, dicendum tamen eſt poſſe

ab eo reſtitui, qualis nunc eſt non habita vlla ratione pretii; ſin aliqua culpa mariti id adciderit, puta ſi vineas extirpauit, ſi arbores frugiferas ſuccidit, tunc pretium æſtimandum eſt; ſed cuius temporis? & putem eius temporis, quo ager ab initio æſtimatus fuerit; non autem pretium præſens, id eſt, quanti hodie ager vendi poſſet, & valeret, ita enim & in *d. l. ſi inter virum.* & áliis ſimilibus ſcriptum eſt, ita res æſtimari, vt cognoſcatur vtrum poſtea res deterior à marito facta fuerit, vel non. Alioquin iſta æſtimatio ſuperuacua eſſet, ſi non eo pretio, quo æſtimata eſt, ſed alio res deberet reſtitui, id èſt, illo quanti res eſt, cum reſtitui debet. Quartus modus eſt, ſi æſtimatio facta ſit alternatiue hoc modo, vt vel res in dotem datæ reſtituantur, vel pretium earum. Idque fit aut imperſonaliter, aut expreſſa perſona viri, vel vxoris, in cuius arbitrio ſit eligere vtrum velit: ſi imperſonaliter, tunc electio eſt mariti. *l. plerumque. §. finali, & multis ll.* quas Adcurſius, & alii citant, quod contra eſt in vltimis voluntatibus & legatis, vbi electio non eſt heredis debitoris, ſed legatarii. *l. dubio. D. de legat.* 2. Quod ſi adiectum ſit de electione mariti vel mulieris, id ſeruabitur, & electio erit eius, cui conceſſa eſt. *d. l. plerumque. l. quod in fundum. D. de fund. dotal.* Illa differentia eſt inter virum & vxorem; quod ſi in electione mariti poſitum ſit, tunc fundus dotalis poterit ab eo vendi & alienari, vtpote cum per æſtimationem iſtam factus ſit plane

domi-

dominus. Contra eſt, ſi in electione vxoris, *d. l. quod ſi*, & *l.* 1. *Cod. eod. titul.* Hic nobis explicanda eſt difficilis *l. intereſt. Cod. de vſufruct.* Cuius eſt hæc quæſtio, an maritus iure potuerit rem dotalem oppignorare? de quo ita Imperator ibi reſpondet, multum intereſſe, quidnam in dotem datum proponatur, vtrumne vſusfructus rei, puta fundi; an vero proprietas data ſit, adiecto pacto, vt eadem poſſeſſio ſoluto matrimonio mulieri reſtituatur. Priori caſu maritus fructuarius non potuit proprietatem pignori dare vllo modo, id eſt, nec quatenus maritus, quia fundus ei in dotem datus non eſt, & ſi datus eſſet, tamen pignori eum dare non poſſet vetante L. Iulia. *Inſtit in princ. quibus alien. non lic. l. vnic.* §. & *cum. C. de rei vx. act.* nec quatenus fructuarius; nam poteſt quidem fructuarius ſuum vſumfructum oppignorare, & vendere, at proprietatem non poteſt *l. ſi is qui.* §. *vſusfruct. D. de pign. Inſt. in princ. de vſufruct.* De poſteriori caſu maior dubitatio eſt propter verba *d. l. intereſt*, quæ talia ſunt, ***Qui autem proprietatem æſtimatam in dotem accepit; non ideo minus obligare eam potuit, quoniam ſoluto matrimonio reſtituenda tibi æſtimatio eius fuerit:*** Quibus ex verbis intelligitur quidem deciſio quæſtionis principalis, nimirum qui proprietatem in dotem accepit æſtimatam, potuiſſe eam pignori dare, quia Lex Iulia non pertinet ad fundũ æſtimatũ, cum æſtimatione deſierit dotalis eſſe *d. l. vnic. cũ ſimi lib.* Sed obſcuritas eſt in illis poſtremis verbis,

proprietatis æſtimationem reſtituendā fuiſſe. contrarium enim ex initio legis adparet, id eſt, non æſtimationem, ſed proprietatis ipſam poſſeſſionem ex pacto reſtituendam eſſe. Qua de cauſſa alii finem legis ex principio emendandum putant, vt pro *æſtimatio*, legatur, *poſſeſſio*, vt Anton. Faber *lib.3. coniect. c.20.* Alii contra principium ex fine, vt pro duobus illis verbis, *eadem poſſeſſio*, reponatur vnicum, *æſtimatio*, vt Cuiac. tractatu 2. ad Africanum in *l. maritum. D. de fund. dot.* Sed retenta ſcriptura vulgata obſeruandum eſt, quod Imp. in fine legis proprietatem vocat ęſtimatam, id autem fecit propter illud pactum quo cōuenerat, id eſt, vt eadē poſſeſſio reſtitueretur. Quo caſu legi Iulię locum non eſſe antea dixi; & ipſe fundus reſtituendus non eſt, ſed eius æſtimatio, quæ ſola eſt in obligatione tanquam pretium fundi, vnde & maritus dicitur etiam pretii debitor. *l. quoties. C. de iur. dot.* potuit igitur maritus proprietatem æſtimatam pignori dare, vt rem ſuam. Sed hic alia difficultas eſt: nam verum quidem eſt, fundum ęſtimatum fieri mariti emptionis iure, excepto tamen illo caſu, quoties mulieris arbitrio relictum eſt, vtrum æſtimationem vel fundum ſibi reſtitui velit; hoc enim caſu perinde eſt, ac ſi fundus inęſtimatus datus eſſet, ideoque nec alienari nec oppignorari à viro poteſt *d. l. plerumque. in fine. d. l.1. C. de fund. dotal.* Tale autem pactum in ſpecie *d. l. intereſt*, interueniſſe videtur, vt adparet ex ipſis verbis pactionis initio legis poſitę. Vnde ſequitur, male & contra regu-

regulam iuris Imp. reſpondiſſe, potuiſſe proprietatem à marito oppignorari. male etiam illud, æſtimationem reſtituendam fuiſſe, cum in electione mulieris ſit vtrum velit *d. l. plerumque. in fin.* idemque comprobatur ex *l. æſtimatis. D. ſolut. matrim. & l. vlt. D. de pact. dotal.* Quid ergo dicendum? & puto, non incommode reſponderi poſſe, idcirco æſtimationem reſtituendam fuiſſe in *d. l.* dici: quia volente muliere fundus ille æſtimatus à marito pignori datus eſt; quo caſu debet eſſe in arbitrio mariti, vtrum rem, an æſtimationem ſiue pretium mulieri reddat, *d. l. æſtimatis*; nec obſtat interdictum legis Iuliæ, quæ fundum dotalem oppignorari muliere etiam conſentiente vetuit, idemque & ab aliis ab omnibus & à Iuſtiniano ipſo confirmatum eſt in *d. §. & cum lex.* nam hic caſus cum ſcilicet fundus æſtimatus in dotem datus eſt, quamuis adiecto pacto de eo reſtituendo, à legis Iuliæ interdicto excipiendus eſt; quoniam ea lex, plane nihil de fundo æſtimato loquuta eſt, qualiſcunque æſtimatio eſſet ſiue qualiſcunque conuentio æſtimationi adiiceretur. atque hanc etiam eſſe communem Dd. ſententiam ſupra ex Couarruuio monui. Quæ diximus de electione mariti, vt poſſit vel res æſtimatas reſtituere, vel earum pretium, idem dicendum eſt in pluribus rebus non æſtimatis, ſi alternatiue, hanc ſcilicet vel illam maritus pro dote debeat, puta domum vel fundum. Pone vxorem marito ita cauiſſe, Doti tibi erit, quod mihi debes. nam & nomina & iura, & vſusfructus in

dotem dari poteſt, & dos per acceptilationem conſtitui *l. debitor.* §. *licet.l.cũ in fundo.D.de iur. dot* Si igitur maritus vxori debebat alternatim fundũ Cornelianũ, vel Sempronianũ, aut fundũ aliquẽ vel decem, aut fundũ vel Stichũ, vt ſunt exempla Africani in *l. ſi marito. D. de fund. dotal.* in tali obligatione maritus electionem habet, fundũ qualem velit, dotalem eſſe, Cornelianũ an Sempronianum. Sed hæc voluntas eius eſt ambulatoria; poteſt enim ſæpe eam mutare, & nunc illũ fundum velle dotalẽ eſſe, nunc alterũ: Semper, inquã, dum vterq; fundus extat, vel vtraq; res promiſſa: nam ſi altera res ex promiſſis perierit; tũ ea quæ ſupereſt, ſola eſt in obligatione, ſola eſt dotalis. *d. l. ſi marito. l. ſi in emptione.* §. *vlt. D. de contrah. empt.* idemq; ius eſt, ſi altera res ex promiſſis acquiſita fuerit mulieri. *l. cũ res.* § *ſi Stichus. D. de leg.* 1. Exceptis his duobus caſibus, poteſt maritus interim donec mulieri ſoluat, ſemper variare. Quare ſi fundũ Cornelianũ alienauerit, recte alienauit, & Sempronianus incipiet eſſe dotalis. & rurſus ſi Cornelianũ redimat, poterit Sempronianũ alienare, & Cornelianus incipiet in dote eſſe. Quare vt voluntas mariti & obligatio iſta dotalis ambulatoria eſt, ſic etiã legis Iuliæ poteſtas ambulatoria erit; vt Paulus ait in *l. erit. ſeq. D. eod. tit.* Amplius dicit Paulus, vno fundo alienato, & nondum redempto, poſſe etiã alterum fundũ alienari; ſed hæc poſterior alienatio in pendenti eſt, vtrum valeat, nec ne. Nã ſi alterũ fundum redemerit, valebit, & confirmabitur poſterioris alienatio; ſi non

ſi non redemerit,irrita erit, quia dotalis fundus fuit,qui alienari non poteſt. ex poſtfacto igitur confirmatur quid, vel infirmatur,quod alias ſępe in iure noſtro adcidit *d.l.erit.l.proinde.& ſeq. D.de reb.xred.Nou.de non alienand.§.hoc autem proſpexerimus.* Dixi autē interim, donec alterū ſoluat,variare maritum poſſe; quia ſi iam vnum ſoluit,tota obligatio eſt extincta non ſolum electio.*l.eū qui certarū.§.vlt.D.de verb. obl.l fi. D.de verb.obl.*& ibi Donellus;quatenus ſcil. electio in legatis vel cōtractibus petimatur. Sed quod diximus electionē mariti eſſe, quidnam velit in dote eſſe; ei obſtare videtur, *l.quemadmodū.D.de iur.dot.*Vbi ſcriptū eſt, ſi mulier Titio nuptura dotē ita promiſerit, ꝙ mihi debes, aut fundus Sempronianus tibi doti erit,electionē mulieris eſſe, vtrū velit in dote eſſe, nō mariti.Sed reſpondendū eſt,in priori ſpecie,q̄ tractauimus,maritū fuiſſe debitorē,id eſt,hoc vel illud debuiſſe alternatiue. non mirū igitur ſi eius fuit electio;congruit id enim regulę iuris. *l. plerumq;.§.final. D de iur.dot.* At in poſteriori hac ſpecie maritus vnum fundum debebat, cui mulier adiecit pro dote fundum Sempronianū, atq;ita hoc loco mulier ipſa debitrix eſt,nimirū dotis. Ergo & regulę eidē cōgruit, vt mulieris ſit electio. Veniamus nunc ad quęſtionē de iniqua ęſtimatione rerū doatliū, q̄ maxime neceſſaria, & difficilis eſt;in primis propter *l.6.C.ſol. matr,*quā merito doctiſſimus Cuiacius crucem ingeniorum adpellat. nos autē, vt tota hæc res clarius explicetur; hanc quęſtionē in duas partes diuidemus;Aut enim vir mulieri,vel mulier

in æſtimatione decepta eſt: aut ſciens & volens dotem vilius vel carius æſtimauit, donationis cauſſà. Et primũ de muliere decepta dicamus. Qua in re multum intereſt, vtrum dolo malo circumſcripta ſit, an ſine vllo dolo re ipſa ſit fraudata, damnumq; paſſa fuerit. Prius autem quam diſtinctionis propoſitę partes explicem, intelligendum eſt nihil referre, vtrũ ſit modica fraus ſiue læſio, an vero immodica quam mulier in æſtimatione paſſa eſt, in quo dotis æſtimatio, quæ alias vera venditio eſt. *l. plerumq;.* §. *3. D. de iur. dot.* differt à vulgari venditione, in qua, ſi venditor deceptus ſit, quod minoris rem vendiderit, venditio non reſcinditur niſi vltra dimidiam iuſti pretii deceptus ſit: ſi vltra eam deceptus eſt, datur electio emptori, vt vel rem reſtituat, vel quod iuſto pretio deeſt, ſuppleat. *l. 2. C. de reſcind. vendit.* decepto igitur infra dimidiam venditio valet; niſi dolus aliquis emptoris interuenerit. *l. quiſque. & l. voluntate. C. eod. tit.* Olim autem, id eſt, ante *d. l. 2.* etiamſi maxima & immodica fuiſſet læſio, hoc eſt, longe vltra dimidium iuſti pretii, tamen venditio dum ſine dolo contracta eſſet non reſcindebatur, quia naturaliter licet ſe in pretio circumuenire *l. in cauſſa. 2.* § *idemque Pomponius. D. de minoribus.* hoc eſt, quod pluris eſt, licet minoris emere; vel è contra, quod minoris ſit, pluris vendere. *l. idem ſi pretio.* §. *vltim. D. Locat.* dum, vt dixi, nullus dolus aduerſarii probari poſſit, vt ait *l. & ideo. D. Locat.* Vbi idem, quod in emptione, dicitur, etiam in locatione obtinere, vt & in *d. l. idem ſi pretio.* at mulier licet

multo

multo infra iuſtum pretium ſit decepta, id eſt, etiamſi modice viliori pretio rem æſtimauerit; modicaque & exigua fuerit læſio, tamen reſciſſioni locus eſt. *l. ſi res.* §. 1. *l. iure ſuccursũ.* §. *final.* *D. de iur. dot.* Quamuis enim æſtimatio rerum dotalium vera ſit venditio, vt iam dixi; tamen non ſimplex venditio, ſed dotis cauſſa facta, vt loquitur. *l. quoties. D. de iur. dot.* ideoq; & in aliis quibuſdam rebus hęc venditio ſeparatur ab illa vulgari, vt initio expoſui. perperam igitur illi faciunt, qui æſtimationẽ iniquã ita reſcindi probant, ſi dolus interuenerit, vel ſi læſio appareat vltra dimidiũ iuſti pretii iuxta *d. l.* 2. *C. de reſcin. vend.* perperam, inquã, vt recte docet præter alios Arius Pinellus ad *d. l.* 2. *p.* 1. *n.* 18. *& ſeq.* nam generaliter, & indiſtincte, de quauis quantitate, & læſione dictę leges, id eſt. *l. ſi res* §. 1. *& d. l. iure ſuccurſum,* loquuntur, & *d. l. ſi circũſcripta*: neq; hoc ius, quod multo eſt antiquius remedio, *d. l.* 2. ad illud remediũ trahi debet. Nec refert, quod vtantur vocabulis, *circumuenta,* & *circumſcripta,* vel *decepta.* Nam iis vtuntur etiam, vbi nullus dolus eſt aduerſarii, ſed fraus tãtum & damnum in ipſa re verſatur, in quod imprudentia ſua aliquis incidit ſine vllo dolo aduerſarii. Magna igitur hæc eſt differentia inter vulgarem venditionem & dotis ęſtimationem. Cuius differentiæ ratio, non eſt fauor ſolus dotis ex parte vxoris, cum idem viro decepto tribuatur, quod vxori *dd. ll.* Sed illa, quę indicatur in *d. l. iure ſuccurſum* quia bono & æquo nõ cõueniat, lucrari aliquem ex damno alterius, aut damnum ſentire per alterius lucrum. quæ ratio

licet ad omnes perſonas & contractus, imprimis bonæ fidei, pertineat; tamen potiſſimum in dote & inter coniuges locũ habet. Dotis enim actio ex æquitate tota eſt, ideoq; in bonum & æquum cõcepta eſſe dicitur *l. 8. D. de cap. dimin.* Quare in formula rei vxoriæ ita ſcriptum fuit, *quod æquius melius*, teſte Cic. III. Offic. eiuſq; rei in D. multa extant veſtigia, vt in *d. l. iure. l. pen. in fin. D. ſol. matr. l. ſi cum Cornelius. D. de ſolut.* Elegantiſſime igitur Roſatus in *d. l. ſi circumſcripta.* ſcribit, ea quæ inter coniuges aguntur, non eſſe habenda pro negotiatione; hoc eſt, non ita æſtimanda eſſe, vt cętera negotia, atq; contractus, qui ſolum lucri cauſſa inſtituuntur. *l. actionũ genera. §. 1. D. de obl. & act.* Dotis cõtractus eſt appendix contractus matrimonii, neq; enim eſſe dos poteſt ſine matrimonio. *l 3. D. de iur. dot.* At contractus matrimonii potius eſt perſonarum & corporum, quam pecuniæ & rerum *l. 1. D. de rit. nupt. Inſt. eod.* ſicut & contractus feudorum, ac fœderum magis ad perſonas quam ad res pertinet. *l. conuentionum. D. de pact. l. in copulandis. C. de nupt.* vt perperam quidam matrimonium negent eſſe contractũ, quia non lucri cauſſa, vel rei familiaris contrahatur. Tantus autem eſt fauor dotis etiã hac in re, de qua agimus; vt tantum valeat etiam in maiore xxv annis, quantum valet cauſſa ætatis in minore, *d. l. ſi res. §. 1.* qui minores, ſi læſi captiue ſint facilitate, & lubrico ætatis, in integrũ reſtituuntur, etiã in paruis rebus atq; damnis. *l. 3. §. ſcio. D. de mino.* His ita expoſitis, ſi dolus mariti nullus interuenit, primo diſtingui debet, an ſolum in

modo æſtimationis mulier circumuenta ſit, an etiam in eo, quod talem rem, vel talem ſeruum in dotẽ dedit? Nam hoc poſteriori caſu mulier agere poteſt, vt ſeruus vel alia res ſibi omnino reſtituatur, *d.l.ſi res.§.1.C.de iur.dot.* quod ſi rę non extet, tunc iuſta æſtimatio præſtetur, non quanti res æſtimata fuit, ut bene Adcurſ. docet in *d.l.ſi circumſcripta.in fin.* Hic obiter notandũ eſt imperite quoſdam, vt Robertum Aurelienſem vti hoc exemplo ex *d.l.ſi res.§.1.* vt probent contractus bonę fidei quibus dolus cauſam dedit non eſſe ipſo iure nullos, contrà *l.eleganter. D.de dol.* & alias ſimiles. quẽ refutat Cuiacius *li.3.Animad.not.c.1.& 2.* Priori autẽ illo caſu, in arbitrio mariti eſt, vtrũ rem inique, id eſt, vilius ęſtimatã, mulieri reddat, an iuſtam ęſtimationẽ præſtet? *d.§.1.* Idemq; eſt, ſi donationis cauſſa pretium rerũ dotaliũ minutũ fuerit. *l. quod autem.§ ſi maritus.D de donat.int.vir. & vx.* Hoc igitur remedium ſimillimũ eſt remedio illi nobiliſſimo *d.l.2.C.de reſcin.vend.* videturq; ei legi cauſſam dediſſe, vt nimirum, quod in æſtimatione rerum dotaliũ iniqua ſemper obtinuit, idem & ad cæteras venditiones vulgares porrigeretur: licet non per omnia, vt ſupra docui. Atque hæc ita ſunt, ſi res æſtimata extet: quod ſi ea perierit, puta ſi ſeruus deceſſit, tũc æſtimatio ipſa rei pręſtanda eſt; nõ tamen iuſta æſtimatio, id eſt, quãti valebat ſeruus vel res quę periit, ſed ea ęſtimatio q̃ initio facta eſt inter coniuges, licet iniqua fuerit, vtpote viliori pretio facta. Atque hoc eſt, ꝙ ait *d.l.ſi circũſcripta.§.fin. pretiũ, ꝙ dotali inſtrumẽto inditũ eſt, cõſiderabitur.* quaſi

dicat non iuſtum pretium,ſed tale, vt ab initio conſtitutum fuit,licet iniquũ. Sed cur ita? quia boni conſulere mulier debet,quod res fuit ęſtimata. Nã ſi res omnino æſtimata non fuiſſet,ea res penitus mulieri periiſſet,atq; ita mulier nihil conſecuta fuiſſet,vt eſt in *d.l.ſi res.*§.1. Nam res inæſtimatę datæ,quia ſunt dotales.*l. vnic.*§. *cumq;.C.de re.vx.act.* ideo ſi pereunt,mulieri ipſi tanquam dominæ pereunt,niſi culpa mariti perierint.*l.in reb. D.ſol.matr.* Boni igitur conſulat mulier,quę aliquid cõſequitur,æſtimatione rerũ facta, quæ nihil conſequuta fuiſſet rebus ſimpliciter,hoc eſt,reb. inæſtimatis in dotẽ datis. Atq; hæc cauſſa eſt,cur per æſtimationẽ rerũ mariti cõditio dicatur fieri deterior;quia per eam periculum rerum ad ipſum tranſit, vtpote dominũ ea æſtimatione factũ, *l.plerumq;. D.de iur.dot.l.cum dotem C.eod tit.d.l.vnic.*§. *cumq;.* Talis igitur æſtimatio præſtanda eſt,qualis initio facta eſt;quamuis ſit multo minor dimidio iuſti pretii,nihil enim diſtinguit *d.l.ſi res.*§.1.& ita quoq; Accurſius recte docet in *d.l.ſi circumſcripta*,& Salycetus qui nos remittit ad ea quæ ſcripſit in *d.l.2.C.de reſcin.vẽd.* Atq; hęc locum habent non ſolum in muliere maiore,ſed etiam in minore xxv. annis circumuenta in modo æſtimationis. hoc tantum minori plus tribuitur. quod ſi eo tẽpore,quo æſtimatio facta eſt,emptorem alium habuit iuſti pretii,id eſt,qui rem iuſto pretio emere paratus erat;maritus hoc caſu tenetur omnino ad iuſtam æſtimationem vxori pręſtandam.*d.l ſi res.*§.1.Nec diſtinguitur, vtrũ res extet,an perempta ſit;nec electio marito da-

to datur, vtrum rem præſtet, an æſtimationem juſtam, quæ alias ei re extante tribuitur, vt ſupra diximus. Suaſit hoc ratio minoris ætatis. vt etiam alia multa iure ciuili ſpecialiter tribuuntur, *l. 1. & paſſ. D. de minor.* Hac vna re excepta, par eſt conditio mulieris maioris circumuenrę & minoris. Hæc ita ſe habent, ſi nullus dolus mariti interuenerit, atq; huc pertinet *§. 2. ſiue ſin. d. l. ſi circumſcripta. C. ſolut. matrim.* vt recte Adcurſius, & alii veteres in *d. §.* & Cuiac. *lib. 17. obſ. c. 1* interpretati ſunt. Quod ſi dolus mariti adfuit, vt loquitur Scæuola vel Vlpian. in *d. l. ſi res. §. 1 in fin.* Si doloſis artib mariti mulier circumuenta fuerit, inque ea ęſtimatione circumſcripta vt loquuntur Imp. in *d. l. ſi circumſcripta. in princ.* hoc caſu iuſta æſtimatio præſtanda erit, vt eſt in fin *d. §. 1. l. ſi res.* Igitur ſine diſtinctione atq; etiam ita intelligendũ eſt primum reſponſum in *d. l. ſi circumſcripta, 6. in princ.* Cum Impp. dicunt, *vulgo patere*; item, *ſcire præſidem prouinciæ quatenus iudicare debeat*; atq; ita nihil exprimunt ſed ad ius vetus & notum remittunt. Duo tamen in ea reſponſione vel parte reſcripti continentur ſumme notanda, quæ deſunt in *d. §. 1. l. ſi res.* Vnum eſt, quod Impp. aiunt dolum hunc mariti debere euidentibus probationibus oſtendi, quod congruit regulæ iuris *l. dolum. C de dol. mal. cum ſimilib.* hic notatis, Alterum eſt, quod ſi res æſtimatas poſſideant heredes deceptę mulieris, tunc datur eis exceptio aduerſus maritum eas res petenti, tanquam ſuas, vtpote qui æſtimatione factus erat dominus, nec mirum eſt exceptionem iis dati,

quibus & actio datur, quod plus eſt; in quo ridiculus eſt Adcurſius ad *d.l. 6.* cũ regulã iſtã ita inuertit, Cui datur exceptio, ei etiam actionem dari. Diximus de muliere circumuenta in modo æſtimationis. Quid in viro dicemus? poteſt enim & vir in ea re decipi, quod carius ei res dotales æſtimatæ fuerint, vbi duplex incommodũ ſubit, vnum periculi in ſe earum rerum ſuſcepti. *l. plerumq́.* §. 4. *D de iur. dot.* alterũ iniqui pretii, cuius pretii per æſtimationem illam fit debitor quaſi emptor rerũ. *l. quoties. C. eod. tit.* Igitur hęc iniquitas etiã emendatur ex parte viri, cũ eadẽ ratio in eo ſit, quę in muliere, ne alter ex alterius iactura lucrũ faciat, *d. l. iure ſuccurſum. in fin. D. de iur. dot.* atq; ita in *d. l. ſi circumſcripta.* §. 1. reſcriptum eſt, *ſin autẽ etiam maritus in æſtimatione grauatũ ſe alleget: veritate examinata, nõ amplius, quam pretium iuſtum reſtituere compęlletur*; ex quo adparet, pręciſe eum cogi ad pretium reſtituendum, ſiue res æſtimata nõ extet, ſiue extet, quod tamen ita intelligendũ eſt, vt ſi mulier res ipſas ſibi reſtitui malit, eæ reddendæ ſint, vt exiſtimo: nam & marito talis electio dari ſolet. Quod marito in æſtimatione circumuento leges ſuccurrunt, qui loco emptoris, in eo adparet alia differentia, inter æſtimationem & vulgarem emptionem venditionem. Nam remedium illud *l. 2. C. de reſcind. vend.* datur tantum venditori, qui rem vendidit, vel proiecit potius infra dimidiã iuſti pretii; at idem emptori qui carius, id eſt, duplo pluris rem emit quam valet, non tribuitur, vt recte Cuiacius contra opinionem communem, ſiue vt ipſe vocat, com-

munem

munem errorem defendit *lib. 16. obſer. c. 18. & lib. 17. c. 1. in fin. & lib. 3. decretal. ad c. cum dilecti. extr. de empt. & vend.* vbi hanc ſententiam ſuam comprobatam eſſe ait pleriſq; Senatuſconſultis. intelligit, vt opinor, areſta parlamenti Pariſienſis. Emptori tamen ſi minor xxv. annis ſit, ſuccurritur ex cauſſa ætatis, *l. patri. §. premium. D. de minor.* Nam *d. l. 2.* & aliæ loquuntur de maiore xxv. annis venditore. Hoc loco quæritur, cum ob iniquam æſtimationem locus ſit reſciſſioni, quonã remedio agatur, vel petatur reſciſſio ſiue emendatio damni & læſionis? Alii dicunt, per reſtitutionem in integrum ex Edicto ſcilicet prætoris, ex quibus cauſſis maiores, vel ex eius edicti generali illa clauſula, *Si qua iuſta cauſſa mihi videbitur.* vt Odofredus, & Baldus exiſtimant. Alii per officium iudicis, quod eſt perpetuum, vt reſtitutiones in integrum quadriennio concludantur, vt Fulgoſius putat. Sed verius eſt agendum eſſe actione ex empto vendito; quia per æſtimationem contrahitur vera emptio venditio, vt ſupra docui. *l. plerumque. D. de iur. dot.* & ita Pinellus etiam ſentit, ad *d. l. 2. p. 1. n. 18.* Hactenus de iniqua rerum dotalium æſtimatione, in qua mulier vel maritus circumuentus eſt. Videamus, quid iuris ſit, ſi volẽs ſciens maritus cariori pretio res æſtimauerit, vel mulier viliori? quod cũ faciunt id donationis cauſſa facere intelliguntur, neq; decepti dici poſſunt, quia nemo volens prudens fraudari ac decipi intelligitur. Igitur ſi matrimonio cõſtante talis æſtimatio facta ſit, nullius momenti eſt, *l. ſi res. D. de iur. dot.* quod ſi ante matrimonium

facta eſt, dicendum videtur, eã valere quia certi iuris ſit donationes inter ſpõſos factas valere *l. inter &.l.pen. C. de don. ant. nupt.* Sed contrariũ verius eſt, talem æſtimationẽ donationis cauſſa factam non valere *d l. ſi res.* Ratio eſt, quia hæc donatio in tempus matrimonii collata videtur, neq; enim dos intelligi poteſt, niſi nuptiis ſequutis, *l.3. D. de iur. dot.* Eius igitur donationis effectus in tempus prohibitum collatus eſt, matrimonii ſcilicet conſtantis; ac proinde non valet. *l. quod ſponſæ. 4. C. de donat. ant. nupt.* idem enim eſt aliquid facere tempore illicito, & alicuius rei effectum in tempus illicitum conferre. *l. in tempus. D. de hered. inſtit.* Et hoc clare procedit, ſi tota æſtimatio dotis facta ſit donationis cauſſa puta viliſſimo pretio, vel vt veteres loquebantur, numo ſeſtertio, vel aſſe Caiano. Quod ſi minoris tantum res æſtimata ſit, quam valeat, idem dicendum videtur, quod in venditione probatum eſt donationis cauſſa facta, vt eatenus valeat, quatenus de vero & iuſto pretio remiſſum donatumq; eſt: eatenus enim donatum eſſe intelligitur; qua de re ita Vlpianus ſcribit in *l. quod autem. § . ſi maritus. D. de donat. int. vir. & vx. Si maritus æſtimationem rerum quas in dotem accepit, dicat ſe donationis cauſſa auxiſſe: remedium monſtrauit Imp. noſter cum diuo patre ſuo, reſcripto, cuius hæc verba ſunt, Cum donationis cauſſa, pretium auctum affirmes, qui ſuper ea re cogniturus erit, ſi pecuniæ modum, id eſt, æſtimationem factam recuſabis; ipſa prædia reſtitui debere, ſumptuum deductis rationibus arbitrabitur. In arbitrio igitur mariti erit, quidnam præſti-*

tum

tum malit. Idemq́ iuris eſt ſi e contrario mulier de minore æſtimatione queratur. d. l. quod autem. Idē iuris eſt inquit Vlpianus; an, vt in mulieris arbitrio ſit, quod de viri querela dixerat, ſi de aucto pretio queratur? minime, ſed vt hoc etiā poſteriori caſu, in eiuſdē mariti arbitrio ſit, quid prę ſtitū malit, vt intelligimus ex alio Vlpiani loco, id eſt, ex *d. l. ſi res æſtimata* §. 1. Quam ſupra ſatis explicauimus. Illud poſtremo quæritur, cum in tota hac diſputatione dixerimus, marito plerūque electionem dari, vt poſſit res ipſas, quæ inique æſtimatæ dicuntur mulieri reſtituere, vtrū ſoluto tantum matrimonio id fieri poſſit & debeat, an vero conſtante matrimonio? & Baldus quidem Nouell. *tractat. de dot. priuil. 35. p. 7.* etiam conſtante matrimonio repeti & præſtari poſſe eas res affirmat; atq; ita hunc caſum vnum eſſe ex iis, quibus dotem cōſtante matrimonio ſoluere & repetere permiſſum eſt. *l. maritus. §. manente. D. de iur. dot. l. quamuis & l. ſequēti. D. ſol. matr.* cum alias regula ſit in contrariū, Quia omnis reſtitutio dotis præmatura, id eſt, conſtante matrimonio facta, habet inſtar donationis; quæ inter coniuges interdicta eſt, *l. vnic. C. ſi dos conſtan. matr. ſolut. fue.* Quam ſententiam, ſi admittimus, illud conſequens erit, vt mulier aliam rem marito prę̄ſtet pro dote, vel ſaltem tantam pecuniam, quanti res illa, quā reddidit, cōmuni cōſenſu antea æſtimata fuit, ne mulier cum damno mariti locupletetur, contra æquitatē. *l. iure ſuccurſum D. de iur. dot.* & ne maritus indotatam mulierem habere cogatur, quod eſt iniquiſſimum. *l. ſi & naturr. §. 1. D. de condict. cauſ. dat.* Illud minime probandū eſt, quod Dd.

aliqui dicunt, ſi dolus mariti interuenerit, non ſolũ in modo æſtimationis, ſed etiam in eo, vt hęc vel illa res in dotẽ à muliere daretur q̃ datura nõ erat, niſi circũuenta fuiſſet; poſſe mulierẽ reſcindere totũ contractum; ita enim ſi nihil aliud pręter dictam rem in dotem ab ea datum fuerit, maritus ſine vlla dote remaneat, quod eſt iniquum & contra *d.l. ſi donaturus. h. tit. §. ſed et ſi mulier.* cum ſimil. nec obſtat *l. & eleganter. D. de dol. mal.* Nam in ea hoc tantum dicitur, venditionem vel alium cõtractum bonę fidei cui dolus malus cauſam dederit, ipſo iure nullũ eſſe; quod & nos in æſtimatione & datione alicuius rei dolo mariti eblandita dicimus; ſed non propterea mulier lucrari debet, & maritum omni dote ſpoliare. Nam omnis in integrum reſtitutio, qualis eſt etiam illa ex edicto de dolo, eatenus tantum reſcindit & reſtituit, quatenus deceptio interuenit. *l. in cauſſa. D. de minor. l. qui proprio. §. item quæritur. D. de procurator.* Albericus de Roſato ad *d.l. ſi res* §. 1.

AD L. 73. MVLIER BONA. *D. de iur. dot.*

MVlier habens bona propria, poteſt ea omnia in dotem marito dare, vt hæc L. ſignificat, cum nulla lege id fieri prohibeat, vt ait *l. 4. C. eod. tit.* Omnia autem bona cum dicuntur, quæritur, an etiam futura bona in dotẽ data videantur; quod quidẽ Baldus ad *d.l. 4.* & pleriq; Dd. affirmant, arg. *l. vlt. C. quæ res pign. oblig. &c.* Vbi ſcriptum eſt, eum qui res vel bona ſua pignori obligauit, intelligi etiam obligauiſſe [illegible] futura,

futura, hoc eſt, non ſolum quæ nunc habet, ſed etiam quæ habiturus eſt. Quam ſententiam recte Hotomanus reprehendit: neq; enim ſimilis eſt ratio dotis ac pignoris; cum pignus conſtituatur duntaxat, vt creditori cautum ſit, non vt quicquam inde lucretur. At dos eſt quædam donatio, fructusq; dotis ad maritum pertinens, *l. vlt. C. de donat. ant. nupt. cum ſimil.* Donatio autem ſpecies eſt alienationis. *l. 1. C. de fund. dot.* quare qui ſuas res donat vel legat hoc modo, *dono vel lego Titio res meas*, intelligitur tantum de præſentibus ſuis rebus ſtatuiſſe, non etiam de futuris. *l. ſi ita. D. de aur. & arg. legat.* Quid vero dicemus de rebus immobilibus; eæ in dotem datæ intelligentur: dari enim poſſe dubiũ non eſt, & bonorum ac rerum nomine immobilia maxime continentur. *l. Titia. D. de iur. dot. l. rei. D. de verb. ſig.* Tantum in muliere minore xxv. annis dubitatur. Ratio dubitandi eſt. quia bona minorum immobilia alienari nõ poſſunt. *l. 4. et tot. tit. C de præd. minor.* Eſt autẽ dos, vt dixi, ſpecies alienationis. Sed tamen verũ eſt, eas quoq; in dotem dari poſſe, imo & donari propter nuptias, ſi decretum prætoris acceſſerit. *l. 1. quæ. in princ. C. de adminiſt. tut. l. fin. C. ſi maior. fact. vend. rat. hab.* Atq; hæc ita ſe habent, cum mulier omnia ſua bona in dotem dedit, vel bona vniuerſa, vt loquitur *d. l. 4. C. de iur. dot.* Sed quid ſi non dederit expreſſe? an erunt bona dotalia? quaſi mulier cum nubit, eò ipſa in dotem ea dediſſe intelligatur. Et Adcurſius quidem id adfirmat, allegans Ariſtotelem in Topicis: ſcribere voluit, vel ſcripſit, Ciceronem,

cuius hæc ſunt verba in Topicis ad Trebatium; *cum mulier viro in manum conuenit, omnia quæ mulieris fuerint, viri fiunt dotis nomine*. Sed hæc gloſſa communiter damnatur, vt ſcribit Iaſon in *Auth. præterea. C. vnde vir. & vx.* non enim iuri noſtro congruit, quod & ipſe Adcurſius indicauit, cum ait: Sed lex hoc non dicit. Verius igitur eſt, non videri bona tacite in dotem data, quæ expreſſe data non ſunt. dos enim vel re cõtrahitur, cum ſcilicet marito pecunia vel res traduntur, vt dotis nomine apud eum ſint, vel contrahitur promiſſione aut pacto. tacite autẽ nunquam. eſt enim dos vere contractus *l. contractus. D. de Reg. iur.* At contractus nullus fit ſine aliqua conuentione, & vt veteres loquuntur ſine tractatu habito *l. nam cũ tractatur. D. pro ſoc.* Mulier ergo licet ampliſſimum habeat patrimonium, tamen niſi dotẽ marito cõſtituat, indotata erit, ſiue matrimoniũ erit ſine dote, vt ait *d. Auth. præterea.* quam contra gloſſam *d. l. mulier.* notat illic Paulus Caſtrenſis. Cæterũ illa regula, qua diximus mulieri licere omnia bona marito in dotem dare, habet notabilem exceptionẽ in muliere ſecundo nubente & liberos habente. ea enim non poteſt ſecundo marito omnia bona in dotem dare. Sed tantã duntaxat partem, quanta pecunia ad vnum ex filiis prioris matrimonii ab ea perueni, cui minimũ reliquerit. *l. hac edictali. C. de ſec. nupt.* Quod ſi liberos nullos ex priore matrimonio habeat, deinde nuptias contrahat, quam dotẽ in priori matrimonio habuit, eandem totam cenſetur in ſecundo repetiiſſe ac dediſſe. Sed hoc tamẽ ita accipien-

accipiendum eſt, ſi cũ eodem marito, à quo diuortium fecerat, iterum matrimonium redintegrauerit: ita enim loquũtur omnes leges quæ in hanc ſententiam allegari ſolent, puta *l. dotem quæ.* 30 *l. Diuus.* 40. *D. de iur dot. l. cum maritus.* § *Titius. D. de pact. dot. l. vlt.* §. *vxor. D. ſolut. matrim.* quod parum animaduertiſſe vulgo interpretes vidẽtur, exiſtimantes, cuicunq; iterũ nupſerit, licet nihil cum eo de dote cõuenerit aut dixerit, videri dotem, quam in priori matrimonio habuit, ei dediſſe. In eodẽ igitur marito redintegrato matrimonio redintegrata dos etiam intelligitur, quæ prius ipſi data fuit; idq; ita eſt, licet poſt diuortium cum eo factũ alteri cuidã nupſerit, deinde ad priorem maritũ reuerſa fuerit, *d.* §. *vxor,* quamuis matrimonium reſtauratũ in hoc caſu, id eſt, cum inter moras alii nupſit, non idem ſed aliud matrimonium eſſe intelligatur iuxta ſententiã Marcelli in *l. plerumq;. D. de rit. nupt.* Poſtremo ſciendum eſt legem in *C. TH. tit. de ineff. dot.* poſteriorem extare, quæ legis Papiæ mentionem facit, caueтq; ne in fraudem eius legis dos conſtituatur; quod ego non ita accipio, vt Cuiacius ad Paulũ *lib.* VII. *Quæſt.* quaſi Lex Papia modũ dotib impoſuerit, vt L. Cincia donationibus. Conſtat enim L. Papiam de hereditatibus & legatis tantum, aliiſq; vltimæ voluntatis ſpeciebus cauiſſe; ſed quod in *d. l.* 2. ſcriptum eſt, eo pertinere arbitror, quia ſpecie & colore dotis fraus legi Papiæ fieri poſſet.

FINIS.

INDEX TAM RERVM QVAM VERBORVM IN TRActatibus his duobus occurrentium locuples.

Et quoniam vterq; numeros paginarum habet eoſdem; ergo numeris indicis vel *a* vel *b* ſubiecimus, prout aliquid ex illo vel hoc aſſumptum fuit. Inſuper ne index hic nimis extenderetur, primã ſæpe vocabula tantum, quaſi digitum ad fontem intendentes, expreſſimus.

ABſentia num quẽ contra præſcriptionem annorum XL. tueantur 214 *a*

Accurſius opinionum plurium à ſe allatarum vltimã ſemper amplecti cenſetur 180

Accuſatio idem quod actio 37 *b*

Acquirere prædiorum ſeruitutem minus eſt, quã acquirere prædia ipſa 80 *a*

Acquiſitio per vſumfructũ momentanea eſt 131 *a*
rerum ſtipulatu filii comparatarum 158 *a*

Acquiſitum è filii cõtractu, totũ eius eſt dominio tenus 144 *a*

Actio ciuilis 39 *b.* *de moribus* 38 *b.* *de peculio* 192 *a*
dementiæ Rhetorũ 62 *a*
doli annua eſt 33 *b*
in patrem filio non licita eſt etiam male per eũ tractato 62 *a.* *in rem ex oppignoratione rei alienæ naſcitur* 64 *a.* *ingrati* 40. 38 119 *b.* *iniuriarum* 111. 112. 180. 120 *b.* *inter patrem filiumque nulla eſt.* 42 *a.* *iudicii de moribus* 36 *b.* *malæ tractationis.* 62 *a.* *præmatura* 94 *a.* *publica* 180 *a* *rei vxoriæ* 62 *a.* *reuocatoria* 93 *a*

Actiones 38 *b.* 65, 91. 144. 163. 164. 173 *a*

Actor agere poteſt quando vult 33 *b.* *in tranſactione nõ accipit totum quod petit* 74 *a*

Actus contrahentiũ ita ſemper accipiendi ſunt, vt aliquid operentur 149 *a*

Addicti licet liberi, in ſeruitute poſſunt eſſe, vt tamẽ ſerui non ſint 12 *a*

Adfectus maternus erga liberos 2 *a.* *nullus paternũ vincere quo reſpectu dicatur* 2 *a*

Adminiſtratio bonorum filii cur patri cõmiſſa 106 *a*
bonorum nuptialium an æque ad matrem quã patrem pertineat ſecũdo nubentem 60 *b.* *parentum*

in

in bonis liberorũ maternis & aduentitiis à poteſtate patria dependet 1 a
patris in filii bonis impunis eſt 52.53 a: *rerum filio donatarũ donatione inter viuos ad patrem eius ſpectat* 143 a. *idem de vſufructu earundem* ibid.
Adoptatus per fœminã ius liberorum adipiſcitur 4 a
Aduentitia iure vetere patri in ſolidũ acquirebantur 109 a
Aduentitium vnde dictum. 20 a
Adultera num paraphernaquæque amittat. 34 b
Adultera 34.43.126 b
Adulterium ibid.
Aduocati 20.1
Æqualitas inter liberos ſeruanda 55 116 b
Æs alienum 104.113 a
vxorium & viduuium quale fuerit 2 b
Æſtimatio rerum per arbitros qualiter facieda 67 b
æſtimatores rerum 68 b
Ætas 123.127.128.185 a
Alienatio quid 11
Alienare, oppignorare & teſtari differunt 185 a
Alienatio bonorum aduentitiorum filii. 70 a. *quibus in caſibus patri conceſſa ſit.* 63.104 a. *per patrem filio conſentiente facta quo caſu valeat* 60 a. *contra leges facta & per patrem & filium reuocari poteſt* 87 a *à tranſactione vel compromiſſo neceſſario non ſequitur* 76 a. *& datio hypothecæ ſæpe diſtincte ponuntur* 63.64 a. *facta per matrem non dominam non valet, & econtra* 87.88 b *quod alterũ matre ad nuptias ſecundas tranſeũte quoq; non tenet* ibid. *proprietatis bonorũ aduentitiorum filio, dum pater eius adhuc viuit, interdicta eſt* 33.34.222 a *quid complectatur* 63 a *rerum aduentitiarũ quibus caſibus patri earum adminiſtratori licita ſit, talis, quæ reſcindi nequeat* 96 a. *rerum dotaliũ, vel donationis ob nuptias etſi nulla ſit, quo ad mulierem: valet tamen quoad obligationem mariti alienantis* 88 a. *vel voluntaria vel neceſſaria eſt* 222 a
Alienatio vſusfructus quatenus in bonis aduẽtitiis filii patri cõceſſus ſit 67 a
Alimenta 61.73 a
Amor fœmineus pro magno 121 b
Annona ciuiles 61.62 b
Annus luctus muliebris 123 124.156 b
ἀὐτεπιλαργεῖν 24 b
Arbitri 66.67 b
Arbitrium 74 a

Argumenta putantium pœnas mulieribus ad nuptias alteras nimis cito properantibus iure ciuili impoſitas, iure Canonico ſublatas eſſe narrata & refutata 142 *b.* &c. *quibus aliqui filium contra præſcriptionem* XL. *annorũ completam ob ignorantiã iuſtam reſtituendum putant, inaniſſima* 213 *a*
Argumentum à cauſa ceſſante non ſemper eſt validum 14 *b* *à iudicibus ad teſtes validũ eſt* 68 *b* *à maiori ad minus in rebus nimium odioſis non valet* 13 *a.* *à ſenſu non ſemper eſt verum* 14 *b. ab emphyteuta vel etiã vaſallo ad patrem adminiſtratorem bonorum filii aduentitiorum ductũ eſt nullum* 76 *a.* *ab vſufructuariis aliis ad vſufructuarium patrem non valet* 53 *a.* *contrariorum eandem ſcientiam eſſe, nõ valet ſemper* 132 *a*
Arrogationes vbi quondam fieri ſolitæ 4 *a*
Auguſtus Cæſar 141 *b*
Aurum in Nouell. XXII. de nuptiis perperam ad res mobiles omnes tractum. 72 *b*
Authoritas vna bona multis malis præferẽda 137 *a*

B

Beneficium cedendi bonis filiisfam. etiam cõceſſum 169. 170 *a* *quibus non detur* 222 *a* *conditionis extraneorum quãdiu filio competat* 92. 93 *a* l. hac edictali. *liberis ingratis non conceditur* 117 118 *b.* *legis Iuliæ vt bonis cedere poſſint filiisfamil. quare non denegandum* 220 *a.* *portionis liberorum legitimæ cum beneficio conſtitutionis Leoninæ confundi non debet* 118 *b.*
Bigamus an epiſco. ordinari poſſit 50 *b*
Bona liberorum 15. 18. 21. 22. 27. 51. 80 *a*. 82 *b*. 84 *a* 94 *b* 91. 162. 163. 18;. 188. 205 *a* *materna* 1. 22. 44 *a.* 61. 115 *b.* *paterna* 15. 43. 69. 115 *a*
Bona Sfortia Polonorũ regina 106 *b*
Brocardica Dd. non ſemper pro regula venit habenda 76 *a*

C

Carens vſufructu plenã rei proprietatẽ non habet: habens interim rẽ totam 28 *a*
Caſtitas pro nuptiis ſecundis põſita 47 *b*
Caſus duo tantũ ſunt, quib. iure ciuili ſucceſſio inter virum & vxorẽ ſucceſſoribus aliis proximioribus extantibus permiſſa eſt. 37 *a.* *in patre vſufructuario*

ctuario inſignes duo, quoad inuentarium faciendum 56 a. quidam ſuccedendi ſingularis per Adcurſium ſingulariter obſeruatus 37 a
Cauſſa vna filii vẽdendi tandé recepta 12 a. liberorum prima eſt in ſucceſſione qualibet 75 b. & deſcendentium ib. & 38 a. teſtati cauſam inteſtati præcedit 134 b
Cauſæ duæ faciunt, vt pater bona filii aduentitia adminiſtrans, ea alienare poſſit ſine reſciſſione. 96 a. exheredationum olim incertæ per Iuſtinianum ad numerum certũ redactæ 17 a. filiórum emancipandorum 167 a poteſtatis pátriæ 1 a. propter quas bona aduentitia per filiũ alienari nequeant 34 a
Cautio in quaſi vſufructu. 46.47 a iuratoria 73 b
Cautio Mutiana 151.155. 156 b. per vſufructuariũ paternum domino fundi præſtanda ſatiſdatio eſt. 41 a. vſufructuaria num patri præſtanda ſit in iis filii rebus quæ vſu conſumuntur 44.45.59 a
Cautiones nullæ præſtãtur, ſi non petantur 70 b
Ceſſio bonorum patris an filio eius noceat 215.218 a
Ciuis quilibet è lege Solonis iniuriam alii illatam in iudicio perſequi potuit. 112 a
Ciuitas 31.40 a
Clerici 20.172 a
Coheres filio datus, filio hereditatem repudiante patri præfertur 138 a
Commenta Doctorum non ſemper pro regulis habenda 76 a
Cõmoditas vſusfructus vulgaris ſola alienabilis eſt. 67 a
Comparata ad vtilitates hominum iure ciuili mutãtur 6 a
Comparatio filiifamilias & ſerui inepta 141 a
Compromiſſa iudiciis ſimilima 75 a
Compromiſſum 74.75 a
Compromittere patri in bonis filii aduẽtitiis permiſſum eſt ibid.
Conceptio propria matris eſt 3 a
Concubina 28.29 b
Conditio cautionum omniũ quæ 70 b. cum vir aut mulier ad cœlibatũ peruenerit, impleta eſt, ſi ſemel tẽpore vel breuiſſimo ad cœlibatum peruenerint. 156 heredis eadem eſt quæ venditoris 93 a
Conditio hereditatis profectitia quæ 125 a. liberorum in quo cõditione ſeruorum deterior fuerit 10 11 a. ſi nupſerit virgini

& veteri & nouo iure remiſſa eſt 152 b
Confectio inuentarii 54.55 a
Confeſſi bonis cedunt 221 a
Coniunctio nulla prater matrimonium probatur 6 a
Coniunx 7.21 b
Conſecratio alienationē præſupponit 7 b
Conſenſus filii 109 a
Conſenſus patris 179 a
Conſenſus pupilli 108 a
Conſilium ſeptennis aut quatuordecennis ætatis fere nullum eſt 108 a. *quin & minoris annis* XXV. *ibid. virorum firmum eſt; mulierum contra* 3 a
Conſtituta 2 a.6.b
Conſtitutio nulla ad id, quod expreſſe non dicit, extendenda 97 b
Conſumi & manere, res naturaliter contrariæ ſunt 45 a
Contentum verbis generalibus pro expreſſo habendum 52 a
Contractus an ex alieno iudicio pendere poſſint 187 a
Controuerſia magna eſt ſuper vſufructu quem pater habuit in bonis filii prius quam filius monachatum profiteretur 40 a
Corpora filiorum famil. an ob delictum paternum, aut ceſſionem bonorum creditoribus obnoxia ſint 219 a
Correctoria extendi non debent 28.79 b
Corruptores mulierum nuptarum 126 b
Creditor poſſidet vſque capit ad vtilitatem debitoris 204 a. *ſciens liberos pignori accipiens relegatur* 12 13 a. *& ius crediti totum perdit* 13 a
Κτήματα *perperam pro* χρήμασιν *intellecta* 72 b
Culpa differt à dolo 60 a
Curator, alimenta pupillo non præſtans ob concuratoris abſentiam; excuſationem non meretur 23 b *filio in poteſtatis patris adhuc conſtituto dari nequit* 124 a. *datur itaque bonis illius ibid. & rei ſingulari datæ, quod pater adminiſtrare nolit* ibid.
Curator furioſi fructus hereditatus furioſo oblatæ percipit 129 a. *iniquo & impio patri datur* 62 a. *& patri prodigo* 58 a
Curatores inuentarium rerum quas curant, facere tenentur. 53 a.55 a

D

Damnantes nuptias ſecundas 49 b
Damnatus perduellionis. 140 b
Dans cauſſam diuortio, in quantum coniugi teneatur 26 b
Datio dotis quæ reſpectu liberalitas

beralitas patris dotantis dicatur 199 a

Datio pignoris alienationis nomine ſignificata 63 a

Debita filii emancipati. 167 a.

Debitor res ſuas creditori obligans dominiū non tranſfert 63 a

Debitum fiſcale licitum fecit patribus vendere filios 12 a

Decretum iudicis 77.78.97. 99 a

Dedicatio alienationem innuit 7 b

Deducere rem in iudicium ſpecies alienationis eſt. 106 a

Defenſio capitis in iudiciis ridicula 135 a

Defenſor abſentis, ſeu filius ſeu pater actori ſatiſdare tenetur 109 a

Deliberare num heres eſſe velis, & interim pro herede te gerere contraria ſunt. 107 a

Delicta punienda 321 a

Demonſtrationes exheredationis iuſtæ euidentiſſimæ debent eſſe 118 b.122 b

Denegare iuriſdictionem vnum remediorum pratoriorum eſt 177 a. 178 a

Deportatio 5 a

Deportatus 5 a

Deterioratio rerum extantium & ipſa æſtimari debet 70 b

Detractio quartarum duarum ex hereditate eadem abſurda eſt 114 b

Dictum de viduitate iniuncta mulieri, de viro ſimiliter accipiendum 156 b. *de alienatione, etiam de obligatione intelligendum* 8 b

Differentia inter aduentitia & profectitia 126. *liberorum primi & ſecundi matrimonii quod ad lucra parentum nuptialia* 17 b *inter aditionem & repudiationem paternam* 132 a

Differentiæ filiorumfamilias & ſeruorum multæ 14 a

Diminutio capitis 31 a

Διοικεῖν 184 a.185 a

Diſſenſus emptoris & venditoris eorum contractum vitiat 71 a

Diſtinctio ſuper contractibus filiifamilias 145 a. *inter reſtitutionem officio iudicis factam, & eam, quæ fit iuris actione* 133 a. *tranſactionis ſuper bonis aduentitiis filii per patrem facienda triplex* 77 a. *viduæ peccantis intra & poſt annum luctus repudiatur.* 44 b

Diuiſio bonorum aduentitiorum filii num patri legitimo eorum adminiſtratori prohibita ſit 77 a.

Diuortium 20 b

Doarium 73 b

Dolus à culpa differt 60 a.8 b

Domina pro vſufructuaria. 102 *b*
Dominium 28 *a*.58 *b*.71.78 84.87 *a*.89 *b*.143.183 *a*
Dominus legatum ſeruõ relictum repudiare poteſt. 140 *a*. *rei plenus non eſt, eius vſumfructum nõ habens* 78 *a*. *ſenioris ingratitudinem vaſallo exprobrare nequit* 119 *b*
Dominus ſtipulatus procuratori ſuo, ſibi, non illi, acquirit 148 *a*. *venditioni ſerui legem adiicere poteſt, qua ad libertatem nunquam perueniat* 11 *a*
Donare 106.146.187.196 *a*
Donatarius 49 *a*
Donatio mortis cauſa morte donatarii extinguitur. 142 *a*
Donatio cauſa mortis 143. 187 *a*. *filii* 181 *a*. *filio per patrem tanquam extraneo pro meritis facta valet* 216 *a* *contra non valet ſi adhuc poteſtati paternæ ſubiectus ſit* ib. *generaliter interdicta eſt adminiſtratori cuicunq;* 106 *a*. *inter patrem filiumq; nõ ſubſiſtit* 203 *a* *inter virum & vxorem morte confirmatur* 142 *a* *inter viuos inter contractus numerari poteſt* 143 *a*. *nutu ſolo fieri poteſt.* ib. *per patrem filio facta patris morte confirmatur iure nouo* 203 *a*. *propter nuptias à viro proficiſcitur* 44 *b*. *hæc an de bonis maternis danda ſit* 192 *a* *eadem ob quid reuertatur ad virum* 54 *b* *propter nuptias profectitia pleno iure pertinet ad patrem matrimonio filii filiæve ſoluto* 24 *a*. *propter nuptias quando ad mulierem ſecundo nubentem non pertineat* 58 *b*. *rerum aduentitiarum per patrẽ nulla fieri poteſt; etſi remuneratoria ſit, & filius nobilis* 106 *a*. *ſponſalitia quæ ſit* 54 *b*. *vſusfructus bonorum aduentitiorum per patrem filio facta, per eundem reuocari poteſt* 26 *a*. *ſi per eum viuentem non reuocetur, valet* ibid.
Donationes ab extraneo & vxore factæ multum differunt 132 *b*. *inter virum & vxorem, cur interdictæ* 2 *a*. *hæ quo reſpectu valeant* 98 *b* *inter viuos ab extraneis factæ ſtatim valent* 132 *b* *cur hæ morte donatoris confirmentur* 128 *b* *eadem inter coniuges factæ legatis & fideicommiſſis comparantur* 132 *b* *mortis cauſa legatis comparantur* 186 *a*. *propter nuptias nomine ſponſalium nominatæ* 132 *b*. *ſimplices impudicæ viduæ*

dua num auferātur 45 *b*
Dos 25.26.31.34.44.54 *b*. 110. 192. 195. 200. 201. 218 *a*
Dotalitium 46 *b*
Ducens viduam num in epiſcopum ordinari queat. 50 *b*

E

Eccleſia 40 *a*
Edictum quoddam Prætoris euerriculum malitiarum 11 *b*
Effectus æſtimationis rerum 68.69 *b. donationis mortis cauſa* 187 *a. nudi nominis heredis* 18 *a. poteſtatis patriæ præcipuus* 116 *a*
Emancipati quatenus acquirant patribus 36 *a*
Emancipatio beneficium bonorum acquirendorū eſt. 35 *a. filio duobus caſibus nihil prodeſt* 216 *a. poteſtatem patriā ſoluit* 166. 167 *a*
Emancipatus abſque venia patrem ſuum in ius vocare nequit 6 *a. plane liber eſt* 36 *a*
Emolumenta omnia rei cuiuſq; vſufructu continentur 78 *a*
Emphyteuſis 84 *a*
Emphyteuta plurimum differt à patre rerū filii aduentitiarum adminiſtratore legitimo 36 *a*
Emphyteuta 57 *a*. 59 *b*. 74. 76 *a*
Emptio 63 *b*. 71 *a*
Emptor 70.71.101 *a*
Epiſcopus 98 *a*
Exceptio agentem repellit, quem actio euictionis tenet 89 *a. de regulæ genere eſſe debet* 9 *b. doli perpetua eſt* 33 *b. confirmat regulam in caſibus non exceptis* 75 *a*
Executio 220.221 *a*
Executor teſtamenti 50 *a*
Exempla accuſationum per filios in patres & econtrà 166 *a*
Exercitium actionum cui permiſſum 107 *a*
Exheredati mortuos parentes lugere tenentur, non aliter ac heredes 18 *a*
Exheredatio 17.18 *a*.119 *b*. 138 *a*
Exiſtimatio liberorum in poteſtate parentum eſt 13 *a*
Exitus iudiciorum incertus eſt 106 *a*
Extēſiones legum ius totum perturbant 43. 44 *b*

F

Factio teſtamenti datur iure publico 166 *a*
Facultas immobilia alienandi mulieribus etiam annis XXV. *maioribus à populis omnibus, erepta eſt.* 3 *a*
Falcidia 113 *b*
Fallens, pro ſimulans 118. 119 *a*
Fauor contra legum verba ampliandus non eſt 214 *a*

Fauor dotis non tantus eſt quantus militia 188 a. filiorum contra vſucapionẽ magnus eſt 211.212 a reipublicæ crimina accuſari & puniri poſtulat. 181 a
Fauores ampliandi 143 b
Feria in honorem principis aliquãdo indicũtur 137 b
Feuda in peculio caſtrẽſi numeranda non ſunt 25 a
Feudum de caneua 64 b
vſusfructus non eſt 25 a
Fictio iuris 137 a
Fictiones ciuiles 155 a
Fideicommiſſa 101.141 a
Fideicommiſſum matris damnatæ quatenus ad fiſcũ pertineat 33 a
Fideiuſſor 95.192 a
Fides venditoris num emtori bonæ fidei noceat quoad præſcriptionem ordinariã 210 a. *vxoris in virum vltima quæ* 126 b
Filia an heredem ab inteſtato poſſit habere in dote tã profectitia quam aduentitia 188 a. *bona aduentitia licet habeat, à patre tamen dotanda eſt* 199 a
Filia cum adultero per patrẽ deprehenſa per eundẽ impune occiditur vna cum adultero 9 a. *matri ſuæ ſtipulari nequit* 154 a *patre viuo ſola de dote agere poteſt* 188 a
Filia nupta iure Longobardorum maritorum poteſtati ſubſunt 39 a
Filii de caſtrenſibus teſtari non queunt 188 a *bona paterna poſt obitum eorum retinent, non acquirunt* 16.17 a *emãcipati patribus nihil acquirunt* 55 a *multo minus matribus. ibid.*
Filii iure Saxonico per matrimonia à patrum domibus ſeparati ſibi acquirũt 39 a. *per nuptias è poteſtate patria exeunt iure eodem* 56 a. *flagellari nõ potuerunt* 14 a. *hæredes ſui, id eſt, patrum ſuorum vocantur* 15 a
Filii hodie non minus matrimonio quam emancipatione à poteſtate patria liberantur 38 a. *ingrati in totum poſſunt exheredari* 118 b. *num caſu famis pignori dari poſſint vt vendi* 12.13 a. *ob delictum patris magis feudo priuãtur quam agnati* 17 a. *parentibus quid debeant* 14 a. *patribus adhuc viuis domini dicuntur* 15. 16 a. *à Plinio pro mancipiis habiti* 14 a. *poſt mortem patrum hæreditatem ipſorum non tam percipiunt, quam liberã eius adminiſtrationẽ* 16 a *quantumuis exheredati retinent multa* 17.18 a *qui milites non ſunt, teſtari*

ſtari nequeunt 182.183 *a* *ſoli matri ſuccedere deberent* 37 *a* *à patre non auditus quatenus non occidendus* 9 *a.* *adire debet hereditatem voluntarie.* 113 *a.* *adminiſtrare nolens hereditatem curatorem ſibi à magiſtratu ad id petere poteſt* 123. 124 *a*

Filius aduentitia ſine conſenſu patris alienare nequit 181 *a*

Filius aduentitiorum dominium habet, vnde patri ſoluere poſſit 64.165 *a* *aduentitiorum nomine quando agere poſſit* 175 *aduerſus patrem agere nō poteſt* 129.130.168 *a* *fallit* 164.165.166 *a* *aduentitiorum proprietatem alienare nequit* 34 66 *a.* *actor, an & quatenus actiones intentare poſſit* 171 *a.* *à patre cogi nequit vt uxorem ducat.* 139 *b.* *an ad accuſandum crimina publica admittatur* 179 *a.* *qua actione pro patre teneatur.* 218 *a.* *an bonorum heredem habere poſſit ab inteſtato ſaltem* 188 *a.* *an conſenſu patris opus habeat, ſi de rebus alienis nomine procuratorio agat.* 178 *a* *an de bonis aduentitiis teſtari queat* 181. 182.183 *a*

Filiafam. an heredem in dote conſolidata ab inteſtato poſſit habere 188 *a*

Filius an heres patris alienationem aduentitiorum per patrē factam reuocare queat 93 *a.* *an ignorante patre hereditatē ſibi oblatam adire poſſit* 120 *a* *an libertatē ſeruo ſuo per patrem datam reuocare queat* 93 *a.* *an lucri nuptialis, quod à parentibus defunctis nactus eſt, in liberorum ſuorum aliquem partem transferre poſſit.* 79 *b.* *an conſentiente patre mortis cauſa donare* 186.187 *a.* *an eodem conſentiente teſtari* 186 *a* *an patri rectè ſtipulari.* 150 *a.* *an peculium aduentitium ſuo iure poſſidere* 203.204 *a.* *an poſſidere atq; vſucapere* 202. *a* *&c.* *an pro patre conueniri* 217 *a.* *an recuſante patre hereditatem adire.* 122 *a.* *an res à patre donatas, an item res peculii aduentitii pro herede vſucapere poſſit* 203.204. 205 *a*

Filius de quo dubitatur an emancipatus ſit, emancipato ſimilis eſt 167 *a*

Filiusfam. de rebus aduentitiis ſtatuere poteſt quod vult, patre conſentiente, excepta teſtamenti factione 149 *a*

Filius è contractibus aut donationibus acquirere volens ſibi dominium, patri vſumfructum acquirit. 160 *patre hic diſſentiente filius etiam vſumfructum acquirit* ibid. *è contractibus ſuis acquiſitum cum iuribus omnibus accipit retinetq; patre id repudiante* 144 a. *è quibus cauſis regulariter agere poſſit* 91.92 a. *emancipatus an cum extraneo litigare poſſit abſque patris conſenſu* 169. 170.171 a. & *an pro patre teneatur* 216 a *emancipatus contra patrem acturus veniam impetrare tenetur* 167 a *emancipatus patri in omni cauſa obligari poteſt* 166 a. *idem ſi litem contra patrem, cum poſſet, conteſtatus ſit, & ab eo poſt adoptatus, an contra eum agere poſſit* 168 a. *erga parentes ingratus quis* 122 b. & *pater perſona eadem* 15 a. *ergo heres, quatenus accipiẽdum* 90 a. *eſt, quem nuptiæ demonſtrant* 6 a. *habens hereditatem, eius incommoda quoq; habebit* 96 a *hereditate priuatur, eam ſibi delatam patre conſentiente nolens adire* 25 a. *hereditatem ſibi delatam adire poteſt, patre quoq; non conſentiente* 25 a. *heres patris & neceſſarius & ſuus eſt* 92 a. *heres patris non eſt, ante quam hereditati patris ſe immiſcuerit* 93 a

Filius hodie capax acquiſitionis, adminiſtrationis tamen incapax eſt 122 a *in bonis aduentitiis per patrẽ adminiſtratoris nullo modo ſuccedit, ſed ea iure dominii & proprietatis recipit vſufructu patris finito* 86 a. *in bonis bis aduentitiis militi comparatur* 184 a. *quoad iudicia nimirum ibid. in carcerem coniici poteſt* 220 a

Filiusfam. in caſtrenſib. & quaſi, habetur pro patrefam. indulgentia principis 18.114 a. *nihilq; patri vel vetere vel nouo iure acquirit* ibid. *idemq; perſecutionem rerum talium habet inuito patre.* ibid. & 184 a. *in delictis patri non præiudicat* 221 a. *in peculio aduentitio dominii ius habet* 175 a *in omnibus pro libero habetur, & è contractibus omnibus obligatur, exceptis mutuo & voto* 14 a *in publicis ius patriæ poteſtatis non ſequitur* ibid. 179.186 a. *iure ciuili tutorem patre viuo habere nequit* 60 a. *iure nouo in caſu tantum vno ſine patris*

tris authoritate hereditatem adire poteſt 205 *a iure prætorio quorſum redigatur* 92 *a. miles hereditatem caſtrenſem abſq; iuſſu patris adire num poſſit* 114 *a. nihil habens quod ſuum ſit, teſtari nequit* 183 *a nondum emancipatus patris quaſi pars eſt* 166. 215 *emancipatus autem videtur à patre ſeparatus ibid. num bonis cedere poſſit.* 215. 220 *a. num res ſuas vi rapiendo incidat in pœnam* l. ſi quis in tantam. 34 *a. manumiſſus conditionis libertinæ non fit.* 11 *a. naturalis patrē ſine venia in ius vocare nequit* 6 *a. honores omnes capere poteſt, ſiq; magiſtratus ſit, imperiū quoq; ſummum obtinet in patrem* 14 *a*

Filius patre etiam conſentiēte teſtari nequit 163 *a quin ne volente quidem. ibid.*

Filiusfamil. patre longe abſente actiones exercere poteſt 178 *a. ne patre quidem authore obligari poteſt* 129 *a. patre viuo de bonis ne aduentitiis quidem teſtari poteſt* 89 *b patri ferè ſemper heres eſt* 94 *a. patri fruſtra ſtipulatur, ſi ei tantum vſumfructum rei ſtipulatæ acquirit* 149 *a. patri in ſolidum acquirit quicquid è cauſis profectitiis contrahendo acquirit* 145 *a patri acquirit omnia, excepto rerum aduentitiarum dominio* 50 *a patri naturaliter obligatur* 155 *a. patri rerum ſuarum aduentitiarum dominiū donare poteſt* 149 *a. patri ſeni prodigo datur curator* 51 *a. peculii caſtrenſis quaſi paterfamilias eſt* 146 *a. ideoq; ex eo ſibi ſoli in ſolidum acquirit* 146. 147 *a. per emancipationem paterfam. factus eſt* 215 *a. & perſonam à patre diſtinctam conſtituere incipit.* 151 *a. ob quæ exheredari poſſit* 218 *a. qui eſt in patris ſui poteſtate, tutorem curatorēq; nequit habere* 111 *a. quibus in rebus dominium cum vſufructu habeat* 183 *a. quidam parricida per patrem tantum relegatus eſt* 8 *a. quod matris eius eſt in liberos ſuos transmittere nequit* 75 *b. quod viuus ante nuptias matris ſecundas acquiſierat, merito ad liberos heredesque ſuos transfert* 77 *b. & econtra. ibid. ſi patri nominatim ſtipulatus ſit, an ſibi vel patri acquirat* 147 *a. ſine heredibus*

quibuſcunq; decedens matrem heredem relinquit. 80 b. ſed ſi fratres, ſorores & matrem ſuperſtites relinquat, quid fiat 60 b. ſine patre repudians, patri num præiudicat 124 a. ſtipulans patri, patri totum acquirere dicitur 149 a. teſtamentum patris tanquam falſum accuſare poteſt, etiam inuiti; licet ei non præiudicet in actione, ſi quod habeat 180 a. venditus vere non fit ſeruus 12 a. vetans patrem poſſidere res eius aduentitias, punitur 50 a
Fiſcus 32. 35. 42 a. 130. 131 b
Flamen 2 b
Flaminica 23 b
Fœmina liberos adoptãdo ius poteſtatis patriæ non acquirit 4 a. 107 b. ſibi liberos adoptare quatenus nõ poſſit 34 a
Fœtus 125 b
Formula iudicem includit. 74 a
Fratres cum ſororibus ſoli ſuccedunt in lucris nuptialibus defuncti fratris, matre ad nuptias alteras tranſeunte prorſus excluſa 83. 84 b. fratrum quomodo ſuccedant 90 b. iure veteri matrem à ſucceſſione fratris excludebant 81 b nouo non fit idem ibid. parentum quare θεῖοι Græcis appellati 8 a
Fraus à patre in venditione bonorum filii quando facile committi poſſit 103 a 104 a. in donatione per matrem facta liberis communibus nõ præſumitur 115 b
Fructuarius ædes non reficiens, ab vſufructu earum remouendus eſt 57 a. an prædio fructuario ſeruitutem imponere domino cõſentiente poſſit 81. 83 a. quaſi dominus eſt fructuum 59 b. ſciens rem ſuam eſſe vere non poſſidet, ſed detinet 57 b
Fructus à facultate eoſdem percipiendi & iure ſeruitutis vſusfructus diſtinguendi 69 a. è bonis patris etiam poſt mortem eius percepti, ſi quid fideicommiſerit, è fideicommiſſo ipſo percepti intelliguntur 198 b. non intelliguntur vlli, niſi deductis impenſis 97 b. vſusfructus quem pater in bonis aduentitiis filii habet alienari per eundem poſſunt, & quidem etiam futuri 69 a
Fuluius 8. 165 a
Fundus dotalis ob æs alienum alienabilis eſt 222 a
Furioſus in quo diſcrepet ab infante 103 a

G

GEnera hereditatum diſtinguenda 124 a. 125 a

Generatio propria patris eſt. 3 a

Gentes aliæ poteſtatem in liberos etiam maiorem habent quam Romanæ 7 a

Gradus quidem ſuccedendi mirabilis 134 b

Græci τῇ χρήσει vſumfructum exprimunt 57 b

H

Habentes aliquod ius in rem, ſunt eius quaſi domini 59 b

Hannibal 71 a

Herr vocabulum Germanicum vnde videatur deductum 129 a

Hæredes domeſtici ſunt filiifamilias 150 a. *eo, quod heredes ſint, contenti erunt* 40 b. *extranei quo modo dominium & poſſeſſionem bonorum acquirant* 16 a. *patris tenentur pro filio eius, qui munus aliquod ciuile patre viuo adeptus eſt, licet id patre mortuo primum gerat.* 217 a

Heredes reſtitutionem in integrum petunt è perſonis eorum quibus ſuccedunt 190 a. *Heredes vxoris de mariti morib. agere num poſſint* 41 b

Hereditas alia caſtrenſis, alia profectitia, alia aduentitia 114 a. *caſtrenſis in ſolidū filio acquiritur* 125 a. *caſtrenſis quid ſit* 114 a. *filiofamilias contemplatione patris eius relicta cenſetur* 137 a. *ſed ita filio rariſſime defertur* 138 a. *De hereditatibus ſi quis plura cupiat legere, videat pag.* 16.17.23 a. 76 b. 113. 115.124.129.130 a. 133 b. 140 a

Heredium, quid 129 a

Herè cum defuncto perſona vna 134 b

Heres domini vaſallum inquietare num queat 40 b. *donatoris donatario ingratitudinem obiicere nequit* 119 b. *hæreditatem reſtituere ſubſtituto grauatus, quamdiu viuit dominus eſſe non deſinit* 104 b. *De hoc vide plura* 55.31 b.93 a.119 b.129 a

Hierophanta 2 b

Homines prudentiſſimi in hereditate vel adeunda vel repudianda ſæpe labuntur 121 a

Homo liber 12.118 a

Hottomannus notatus 156 a

Humanitas Plinii erga ſeruos quanta fuerit 182 a

Hypotheca 44 a. 58.92. 94 b

I

Idem dominus & fructuarius eſſe nequit 101 b. *vt nec in rebus ſuis ſeruitutem habere.*

Idem in pignoris & alienæ rei venditione ſtatuendum non eſt 65 a

Ignorantia 138.139.b.210.a
I*mmaturitas & feſtinatio nuptiarum.* 123.*b.hæc in fœminis ſolis punitur ibid.*
Immobilia facilius venduntur quam iura 100.a
Impoſitio ſeruitutis alienationis etiam verbo continetur 78 a.*ideoq; alienatione prohibita, prohibita videtur & illa* ibid.
Impubes adire nequit 131 a
Impudicitia conditione meliore non erit quam caſtitas 45 b.47.b
Incertitudo vteri 141 b
Indicia ingratitudinis liberorum erga parentes 122 b
Indotata quæ 25 b
Infamia 127,129 b
Infans annis VII, minor eſt 128.129.130 a
Ingratitudo liberorum in parentes 115.118.121 b
Iniquitas 37 b
*Iniuria filio facta, facta cenſetur patri.*111 a. *ſic vt facta ſeruo redundat in dominum* 111 a. *vxori, in maritum.* ibid.
Inſtituta publica pietate priuata potiora ſunt. 14 a
Inſtitutio heredis etiam generalis alienationem innuit. 78 b.87 a
Interpretatio legum quomodo facienda 169 a
Interpretes iurium 43 b. 215 a
Introductum in fauorem etc. 176 a
Inuentarium 53 a
Irregularitas digamia viduæq; in vxorē ductione quāta incurratur 50 b
Iudex male iudicans ex imperitia, in quantum teneatur 170 a
Iudicati bonis cedunt 221 a
Iudices ab æſtimatoribus & arbitratoribus differunt 68 b. *ſic & ab arbitris* ibid.
Iudicium 32.35.36.37.38. 113 b. 135.168 a
Iurans ſe aliquam ducturū, & ſine dote ducere poſtea nolens periurus non eſt 26 b
Iura malitiis hominum occurrunt 118 a. *poteſtatis inter peregrinos ipſos talia non ſunt, qualia inter Romanos* 5 a
Ius accipientis 68 a. *accreſcendi* 77 b.*aduerſus ſeipsū* 166 a. *deportandi* 13 a *emptoris* 60 b
Ius filii 162 a.119 b. *in lucris aliis è matrimonio prouenientibus idem eſt, quod in lucro nuptiali* 24 a. *interdum pactis eſt potentius* 58 b. *Longobardorum circa poteſtatem patriam* 39 a. *matrimoniorum plurium* 12 b.&c.
Ius naturale quatenus immutabile ſit 5 a.6 a. *nominatim non correctū, manere debet* 149 a. *peculii quaſi caſtrenſis clericis ab impera-*

imperatore Leone datum 19 a. poteſtatis patriæ 4.8 a repræſentationis 78 b. ſuccedendi 23 a
Ius vſusfructus tametſi perſonæ vtentis fruentis adhæreat, per eam in alium transferri poteſt 70 a

L

Labor educandi liberos parentibus æque cõmunis eſt 2 a
Legans alicui fundum 71 a
Legata 139.140 a
Legatarius partiarius 100 b
Legatum 27 b.140,196 a
Leges 2.45.48.94.98.99.100 a.112.118 b. 122 a. 130 b. 134.135.135. 136 a. 151 b. 205 a
Legitima liberis non ingratis omnino relinquenda 94. a 105.112.118 b
Leſſus in funere legibus etiã tabb. XII vetitus eſt 124 b
Lex Ælia Sentia 41 b. cum non ſolum fere correctoria eſt 122. 138 a. Diocletiani de liberis per fœminas adoptandis 4 a. dubium. C. de bonis matern. 88 a. filiusfam. §. ipſe quoq;. ff. de procur. 178 a
Lex Iulia. Miſcella. 151 b. noua loquens generaliter, reſtringitur ad veteres ſpecialiores 185 a. nulla patri trãſactione ſuper filii reb. aduentitiis interdicit 75 a
Lex pacti ſubadiuua 87 b
Lex Papia 3 b. quantum patri in bonis aduentitiis filii tribuat 50 a. item executori teſtamenti eidemq; legatario 50 a
Lex regia Romuli 8 a. ſed etſi vxoris. §. ait prætor. ff. de iniur. 180 a. Voconia 3 b. vlt. C. de patr. poteſt 11 a
Libellus patris valet, modo in eo appareat quibus de reb. agere velit pater 107 a
Liberi 5.6.10 a. 13.14.21.22. 94.95.113 b. 151.187.188 a
Libertas 10.11.31.78 a. 142. 143 b. 154.182 a
Liberti 17 a. 41.43.74 b
Libido in fœminis fœdior ac in viris 2 b
Lis inter patrem filiumque nulla conſiſtit 164 a
Liuia adulterii notata 142 b
Locatio ad annos X. 86 a. ad longum tempus 86 a. bonorum filii aduentitiorum 84 a. bonorum filii num patri ad longum tempus conceſſa ſit 86 a. rerum dotalium, rerum fructuariarum 85 a
Locus bonorum ceſſioni non eſt in delictis 221 a. Pauli ad Cor. dum in domino nubat per pontificem corruptus 142 b
Loqui ſine lege ICtis religio eſt 99 a
Lucra rebus profectitiis 27. a. matrimonii prioris 12.13 b nuptialia 17. 91. 92 a. 93 b. 95 a

Lucrum à parentibus ſecundo nubentibus proueniens an æqualiter inter liberos eorum matrimonii vtriuſque diuidendum 117 b. *caſus militiæ vocatū* 17 a. *filiorūmfam.nuptiale quo iure ſit* 24 a
Lucrum nuptiale mulieris, item viri quid 4 b
Luctus fœminarum 137 b
Lugere & elugere differunt. 124 b.125 b.

M

Magiſtratus de crimine filii per patrem delati cognoſcens qualiter iudicare debeat. 9 a
Maior infante hæres inſtitutus. 139 a
Maiores libertati plurimum fauerunt 11 a
Mancipia 61.62.63 b.102 a
Manes mariti. 126 b
Manlius 10 a
Manumiſſio per filium à patre male eum tractante peti poteſt 62 a. *ſpecies alienationis eſt* 181 a
Manus parentum regia 7 a
Maritus 9.13 a.15.24.30,41. 42. 51 b. 89 a. 100 b. 20 a
Mas ad impetrandum mulieri naturaliter aptior eſt 7 a
Mater 4. 14. 24. 39. 54. 55.56. 57.59. 60. 61. 64. 65.69.74.75.96, 97.120. 115.144.147 b.154.195 a
Matres maritis dotis & bona liberorum, & vltam ipſam eorundem addicere ſolent 22 b
Matrimonia plura quo iure ſint 12 b
Matrimonium 6 a.26 b.39 a 187 b
Menſes ſex vtiles ad adulterium adulteræ perſequendum quando in nupta viduaque numerari incipiant 32 b
Meſſalina 53 b
Milites 20 a.127 b. 188 a
Militia 214 a
Minor 34.185 a
Modi conſtituendi & finiendi vſusfructus 30 a.31.35
Mobilia 63.64 b. 100 a
Monachiſmus 6 b
Monachus 40 a
Montecatinus 10 a
Mos legislatorum quis 47 b
Mouere actiones plus eſt quā tranſigere 75 a
Mulcta delinquentibus ob egeſtatem vel minuitur vel tota remittitur 221 a
Mulier 50.53 104.14 b.
Mulier ad oppignorandum quam alienandum facilius inducitur 13 a
Mulier immaturè ſecundo nubens ſi teſtamento heredes inſtituit extraneos an ad eos hereditatem tranſmittat 133 b.134 b
Mulier infamis è teſtamentis extraneorum capere vetatur 213 b
Mulier ob nuptiarum ſecundarum

darum feſtinationem infamia notata num teſtari poſſit 129 b

Mulier Romana quædam virorum XXII. *vni poſt alium mortuum & ſepultum nupſit.* 15 b. 51 b

Mulier ſecundũ nubens quæ iure ciuili amittat 50 b

Mulier ſi ab inteſtato decedat, virq; ſecundus dotem eius totam lucratus ſit, è pacto dotali, mulierq; præter dotem niſi habuerit, an liberi matrimonii prioris agere poſſint contra vitricum ex l. Leonis 112 b. 113 b

Mulieres amore maritorum nouorum captæ liberorum non ſolum bona, ſed & vitam iſtis addicunt 105 b

Mulieres annis XXV. *minores conſilio cognatorũ adhibito nuptias contrahere coactæ fuerunt* 3 a

Mulieres facilius flectuntur impelluntur que viris, ardentius etiam amantes quam viri 121 b

Mulieres ob nuptias ſecundas nimium feſtinantes infames an hereditates è teſtamentis capere poſſint, aut aliud relictum 135 b

Multa in odium nuptiarum ſecundarũ conſtituta 42 a *in peculio aduentitio per Imperatores poſteriores mutata* 21 a. *& in hereditate aduẽtitia* 119. 150 a

Vindicantur in vaſallis, quæ in cæteris non itidem 44 b

Munus nomothetarum Athenienſium 3 b. 4 b

Mutationes in iure ciuili vniuerſo cur neceſſario fiant 10 a

N

NAtura cautionum non petitarum 49 a. *donationis cauſſa mortis* 142 a. *liberos in parentum poteſtate ſemper eſſe voluit* 4 a. *omnis vſusfruct.* 80 b

Neceſſitas extrema filiũ vendendi licentiã præbuit 12 a

Negligentia domini rem ſuã vſucapi patientis alienatio eſt 65 a

Nemo contra ſuum factum venire aut audiri debet. et quando id locum habeat, 89 a. *de bonis alienis teſtari poteſt.* 183 a. *iuri ſuo renunciaſſe cenſetur, quod ſibi competere neſciuit* 39 b. *partim teſtatus, partim inteſtatus decedere poteſt.* 131 b. *per alium teſtari poteſt,* 187 a. *plus iuris in aliũ transferre, quam habet ipſe* 75 b. 76 b. *pro debitis alienis moleſtandus* 215 a. *niſi plene perfecteq; dominus, ſeruitutem conſtituere poteſt* 82 a *rem alienare vel obligare poteſt* 46 a

Nepotes 76 b

Neptes 76. 77 b

Nihil à iure naturali profe-

ctum valet, niſi iure ciuili comprobatum ſit 6 a. continetur etiam voce minoris 113 b
Noua non ſunt introducenda 59 a
Nolens hodie, cras velle poteſt 124 a
Nolle adire vel conſentire, & repudiare diuerſa ſunt 124 a
Nomen operarum notā ſeruorum eſt 14 a
Nomina mala venditu difficilia 100
Nouerca 53 b
Nouellæ 84.85 b
Nubere 123 b
Nupta 32.45 b
Nuptiæ 1.14.15.18 b. 42 a. 48.49.51.120.127.140 b

O

Obligatio ciuilis inter patrē filiumq́; nulla oritur 42.164 a. *filii cohæret peculio eius* 191 a
Obligatio hypothecaria 44 a *inter filium emancipatum & patrem conſiſtit.* 42 a. 43 a. *naturalis inter patrē & filium; hunc à poteſtate eius non liberat* 5.6 a. *rei alienæ nulla eſt,* 64 a
Obligatus rem reſtituere earum inuentarium quoque facere tenetur 54 a
Officium iudicis obligationē modo largo præſupponit 200 a. *obligationem interdum ſignificat* 194.195 197 a. *paternum circa dotes & donationes propter nuptias* 193 a. *principilare quod* 218 a.
Omnia per quæ ad alienandum peruenitur, prohibita ſunt, alienatione prohibita 74 a
Onus vſusfructus paterni in bonis filii aduētitiis, quod ſit 41.101 a
Opiniones communes 215 a
Oppignoratio 13.64.a
Oratio diui Seueri 105 a
Ordo aſcendentium & collateralium diuerſus 133 b *in alienatione bonorum filii aduentitiorum* 99 a
Orphanotrophi 53 a

P

Pacta 34.58 b
Pactio filii patri non nocet, 145 a. *fallit tamen in aliquo caſu, ibid. expreſſo.*
Pactiones 37.51 b
Pactū de retrouendendo præſcriptione nulla excluditur 105 a
Παιδία κὴ τρίμηνα τοῖς εὐτυχοῦσι 142 b
Panes ædificiorum, ciuiles, palatini quidam dicti 63 b
Panis gradilis ibid.
Parentes 2 a. 23 b. 24. 25 a. 29 b. 53 b. 69 a. 116, 122 b. 219. 220 a
Πάρεργον φυσικῆς ἐπιθυμίας *ſe è marito non concepiſſe confitentis* 47 b
Pars acquiſita quādo accreſcat fratri vel heredi deficientis 77.78 b. *adminiſtrationis*

ſtrationis paternæ circa bona filii magna in quo conſiſtat 121 a. bonorum mariti defuncti vxori pauperi quarta debetur 37 a. duobus per principem donatorum poſt mortem vnius accreſcit alteri 25 a. hereditatis paternæ quarta liberis eſt debita 28 b

Partes poteſtatis patriæ 7 a

Partus mulieris poſt mortem mariti prioris grauidæ alteri nubentis, vtri tribuendus. 125 b

Pater à dando filio ſuper eius aduētitiis fideiuſſore quomodo liberetur 95 a. à regula fructuariorum omnium non intuenitur exceptus 53 a. ab adminiſtratione filii aduentitiorum remoueri poteſt 54.55.56.57 a. abſens & ignorans diſſentire dici nequit 122 a. aduentitia filii alienare nequit 63 a. & horum alienationem à ſe factam reuocare poteſt 89 a. bona filii caſtrenſia iure peculii occupat 188 a. filii non teſtati caſtrenſia quo iure accipiat 19 a. bona filii omnia poſſidet 104 a. filii aduentitiorum duntaxat adminiſtrator eſt 89.121 a capitis damnatus vſumfructum aduentitiorum amittit 31 a. contumax pro abſente habetur 178 a de bonis aduentitiis filii teſtari nequit 85 a.

Pater ad quæ teneatur 102 a. adminiſtrationis bonorū filii rationem reddere non tenetur 98 a. niſi filii tutor ſit ibid. agenti filio conſentire nolens an ad conſentiendum cogendus ſit 177 a. an de aduentitiis filii compromittere tranſigereve poſſit 74 a. 77 a. an è filii perſona reſtituatur 190 a. an filiam de bonis maternis dotare queat 195 a. an filiam diuitem bonaq; aduentitia habentem dotare teneatur 197 a 198.199 a. an filio conſentiente poſſit alienare 111 a. an filio donare poſſit 188 a. an filio recte ſtipuletur 150. 151 a. an filio ſatiſdare teneatur de bonis in quibus vſumfructum habet 41. 47 a. an hereditatem caſtrenſem & quaſi filii eam adire nolentis adire poſſit 114 a. 115 a. an in pecunia ſimilibuſque filii vſumfructum habeat 147 a. an iure veteri legatum filio relictum repudiare potuerit 140 a. an ob res mobiles occulte alienatas ab adminiſtratione bonorum filii remouendus ſit 59 a

Pater an prædio filii vſufructuario ſeruitutem vel ac-

quirere vel imponere queat 78.80 a an procuratorem ad agendum conſtituere poſſit, ſine filii conſenſu 110 a. an querela inofficioſi agere poſſit ſi filius id facere omittens hereditatẽ maternam repudiet 138 a
Pater an ſatisdationem de rato in iudicio, ſi ſit actor; vel, ſi conueniatur, ſatisdationem iudicatũ ſolui præſtare teneatur. 109 a. 110 a
Pater an ſecundam ducens ob ingratitudinem donata liberis reuocare queat. 120 b
Pater ante litem conteſtatã procuratorem ad agendũ recte conſtituit, ſine filii conſenſu 110.111 a
Pater de bonis bis aduentitiis nihil acquirit 184 a
Pater de rebus aduentitiis actiones in iudiciis exercere poteſt 75 a
Pater diues, aiens filiam ſe dotare de bonis tam ſuis quam maternis, cur de ſuis ſolius dotaſſe præſumendus ſit 196 a
Pater e filii contractibus actione de peculio ſemper tenetur 221 a
è donatione filio per principem facta nihil adipiſcitur 25 a. emancipati tutor à [illegible] bonorum filii [illegible] dif-
fert 98.99 a. emens aliquid è pecunia filii aduentitia num filio vel ſibi acquirat 156 a. 157 emptori vel alii de euictione tenetur ſuper bonis aduentitiis filii alienatis 89 a & filius perſona eadem 15 a. ad nuptias ſecundas tranſiens an cogi poſſit, vt liberis matrimonii primi aliquid è donatione propter nuptias, vel dote ad ipſum matrimonio ſoluto reuerſa, reſeruet 109 b. etſi non teneatur inuentarium facere ſuper filii bonis, quæ poſſeſſurus eſt, tutius tamen & honeſtius faceret 54 a. factam à filio donationem quatenus approbet 181 a. facto alieno iure ſuo priuari non debet. 39.40 a. filiæ dotem dare cogitur, vt faciebat [illegible] 199 a. filii heres quomodo dicatur 189.190 a. filii impuberis tutor, ei ſatisdare tenetur 43 a. filiè quaſi fideiuſſor eſt 217 a filii aduentitia de cauſis neceſſariis alienare poteſt 75 a. filii res recte adminiſtrabit 58 a. filio è contractibus de peculio tantum obligatur 16[illegible] a
Pater filio emancipato in omni cauſa obligari poteſt. 166 a
Pater filio hereditatẽ de[illegible]

aditiuro non conſentiens vſuſructu priuatur 25 a. filio impuberi exheredato pupillariter ſubſtituere poteſt 18 a. filio non, niſi volens, obligatur 6.155 a. filio ſatiſdare nec poteſt nec tenetur 42 a. filio ſcelerato reuerētia nulla tenetur 166 a. filio ſtipulari & acquirere poteſt in bonis aduentitiis 153 a. filio vſumfructum remittere poteſt 149 a. filium contumelia & iniuria impune afficere poteſt 13 a. filium manumittens ei libertatis cauſſa nihil imponere poteſt 14 a. hereditatem filii caſtrenſem per eum repudiatam & adit, & acquirit 147 a. hereditatem ſine filio adire nequit 126 a. ſed eā repudiare poteſt ib. hodie vſumfructum in bonis liberorum maternis pleniſſimum habet 28 b. impenſas omnes etiam ſuper proprietate filii aduentitiorum facere tenetur de ſuo 104 a. in bonis per filium ipſo repugnante quæſitis nullum ius obtinet 183. in peculio filii caſtrēſi quaſi heres dici poteſt 189 a. 190 a. in teſtamento alieno filio nihil adſcribere poteſt, cum nec ſibi poſſit 113 b. iniuriam filio factam remittere poteſt 112 a. inſtitutus cenſetur ſi filius repudiet hereditatem 117 a. legitimus eſt aduentitiorum filii adminiſtrator 148 a. 157 a. liberos in poteſtate habet 60 b. ob vitam filii malam male viuere non debet 222 a. olim hereditatem filio delatam ſine filii conſenſu adire non poterat 109 a. omnia ſua in mare proiicere poteſt legitima liberis relicta 66 a. pecuniam filii in vſus ſuos licite conuertit. 157 a. per emancipationem filii perſona ſeorſum fit 151 a. permittens vt filius fructus aduentitiorum percipiat, vſuſructu ſe priuat 26 a. poſſeſſionem filii aduentitiorum per ſeipſe occupare poteſt 49 a. poteſtatem ſummam habet in bonis ſuis aduerſus filium, licet ſimul dominum; eaque ipſi per exheredationem eripere poteſt 17 a. procuratorem ad litem conſtituere poteſt ſine filii conſenſu 108 a. prodigus & nequam ab adminiſtratione bonorum filii aduentitiorum remoueri poteſt 58 a. pupilli ſui tutor an à tutela ſtatim poſt nuptias alteras repellatur 145 b quando inuentarium facere teneatur 55 a. qui filium flagellaſſet, lapidatus à populo ſuit 14 a.

Pater quidam propter filium nouercæ adulterum à ſe peremptum in inſulam deportatus 8 a. quo caſu filii ſui impuberis tutor legitimus ſit 130 a. rerum filii aduentitiarum cuſtodiam & vtilitatem omnẽ præſtare tenetur 80 a. res aduentitias filii æris alieni ſoluendi gratia vendere negligens qua pœna afficiatur 101 a. res filii litigioſas alienare adeoque abiicere potius debet, quam ſumptus in eas facere valorem illarum ſuperantes 104 a. 105 a. ſanguinolentus quis 12 a. ſciens generum ſuum mortuum eſſe, filiamque alii dans intra tempus luctus punitur, 137 b. 138 b. ſecundam ducturus an ad eandem liberis præſtandæ obligatus ſit, ad quæ mater ipſorum denuo nubens 73 b. ſecundã ducturus olim à fratribus ſororibusq; defuncti fuit excluſus 90 b. ſenex & inops quatenus à filio non ſit alendus 61. 62 a. ſi plus vitrico vel nouercæ dederit aut reliquerit quam vni è liberis matrimonii prioris cui pars minima obuenit, quid iuris, ſit 116. 117 b. ſi vendat aliquo modo alienet filii aduentitia, nec addat adiectam eſſe quid iuris 70 a. ſine maioris infante cõſenſu adire nequit 128 a. ſolus iniurias filio illatas in iudicio perſequi poteſt 13 a. eaſdemq; illo vel inuito remittere, ibid. & 14 a. fallit 112 a. ſtipulando pro filio, quib. in caſibus ei acquirat 79. 80 a. tametſi clericus factus ſit, retinet tamen vſumfructum ſibi in bonis liberorum competentem 40 a. tametſi pupilli ſui, cuius tutor eſt, bona prodigens ab adminiſtratione tutelæ dato tutore alio, remoueatur, vſufructu tamen bonorũ eius non priuatur 145 b. vſufructuarius bonorum filii fiſco comparatus 42 a. vſusfructuarius filii, an ad onera ſuſtinenda teneatur ad quæ vſufructuarii vulgares 102 a. vſufructuarius tametſi filii res peiores fecerit, de eo tamen non tenetur 54 a. 55 a. vſufructuarius vniuerſalis eſt 101 a. vſumfr. bonorũ aduentitiorũ cum filio remittere poteſt 25 a. 26 a. vſumfructũ in bonis aduentitiis filii damnati nequaquam perdit 33 a. vſumfructũ in pecunia filii aduentitia nequit habere, niſi tũ dominio eius ſimul 158 a. vſumfructum non habens, adminiſtrator legitimus non eſt 131 a. vſumfructu

quorum

quorum bonorum aliena-
re queat 67 a.
Paterne an ſubſtitutus here-
ditatem adire debeat, &
uter utri præferendus ſit,
ſi filiofam. heredi inſtituto
hereditatē repudianti ali-
quis ſubſtitutus ſit. 136 a.
Patientia domini traditionis
loco eſt in reb. incorporali-
bus tradi non poſſibilibus.
49 a. rem ſuam uſucapi pa-
tientis alienationis voce
comprehenditur 65 a.
Patres auctoritate generatio-
nis nō pietatis voce liberos
diſtrahere ſoliti ſunt 3 a.
& matres hodie pene pares
ſunt in ſucceſſionib. 89 b.
quod in auo & auia, vel
remotioribus etiam lo-
cum habet, patre matre-
que non ex tantibus. ibid.
libertatem liberis eripere
non potuerunt 11 a. *olim*
non ſolum filii, credito-
ribus ob debita addici ſoli-
ti fuerunt. 219 a. *quare dii*
nominari deſierint 2 a. *u-*
ſumfr. in bonis liberorum,
qui ſine cauſſa legitima
matrimoniū ſoluerūt, nul
lum habent 25 a.
Patresfamilias an ſoli teſtari
poſſint 182 a.
Patrimonium 69.215 a
Peculium 20.21.32.33.34.
145.172.175.190.218,219
220.221. a
Pecunia 45.60 a.64.72 b
Permiſſio quandoq; cauſſam
neceſſitatis habet 4 b
Permittere & iubere dif-
runt 49 b
Perpetua 33 b
Perpetuum 86 a
Perſona 15.36.90.127.137.
151.155 a
Pietas 2.6 a
Pignus 63.65. a
Plus continet etiam totum.
113 b. *filio patre viuo non*
permittendum quam eodē
vita functo 94 a. *filio quā*
ſeruo tribuitur 141 a. *in-*
terdum licet heredi quam
defuncto licuit 93 a. 94 a.
Pœna 31 a.33.34.35.37.42.52
53.114.123.127.132.143.
144 b. 221 a
Poeſis 52 a
Pontifices ipſi legatiq; eorum
168 a
Populus omnium parens
131 b
Poſſe imponere, & poſſe impo-
nere domino conſentiente
diuerſa ſunt 81 a
Poſſeſſio 16.50,51 a.57.58 b.
128.129.204 a
Poſſeſſor bonorum iure præto-
rio facilius aliquis fit, quā
heredes iure ciuili 128 a.
129 a
Poſſeſſores malæ fidei de fru-
ctib. etiā illis, quos percipe-
re potuere, tenentur 97 b
Poſtliminium 11 a
Potens aliquid aliquo inuito
facere præſente, idem eo
abſente & ignorante fa-
cere poteſt 205 a. *lega-*

re, teſtari quoque poteſt 186 a
Poteſtas 1.2.3.4.5.7.8.10. 15.17.19.32.39 a. 41 b, 51. 62. 63. 70. 85. 89, 98. a. 103 b
Prælatus 89 a
Poteſtas liberos vendendi penes matres nunquam fuit 3 a
Præſcriptio 56 b. 59. 91. 105. 205. 206. 207. 210. 211 a
Præſumptio 45. 98 b
Præteritio filiorum 18 a
Prætor 10 b. 151. 191 a
Presbyter 49 b
Priuilegium 19 a. 50 b
Probatio, ſe immerito exheredatum eſſe, hodie filio incumbit 118 b
Procurator 110 a
Prohibitio alienationis 76 a
Prodigere res alienas iuri contrarium eſt 45 a
Propria 31. 45 a
Proprietarius 80. 82. 83
Proprietas 4 b. 28. 29. 58. 59. 73. 75. 80. 148. 175. 103. 204. 207 a
Prouentus partium metallicarum 48 a
Pubertas 123. 127. 128 a
Pudicitia 2 b
Pupillus 24 b. 85. 131. 212 a

Q

QVæ patris ſunt, ei ne filii quidem ipſius delicto per fiſcũ auferri queunt. 33 a
Quæ ſæpius nubit Martiali adultera eſt 51 b
Quæſtio 34 b. 56. 57. 78. 81. 84. 190. 209
Quaſi vſusfructus 44 a. 45. 46. 48 a
Qui bonis cedere poſſit 215 a. non habet in ære luat in corpore 221 a. non poteſt alienare, is nec poteſt alienanti conſentire 82 a. 83 a. teſtari poteſt, etiam legare poteſt & mortis cauſſa donare, 186 a
Quid vxori in quartam ab inteſtato debitam computandum ſit 30 b
Quilibet iuri ſuo renunciare poteſt 82 a
Quis proprie dicatur inteſtatus decedere 149 b
Quod alio inuito poſſum, idem eodem ignorante poſſum 121 a. legis permiſſu fit, facinus non eſt 32 b. 52 b. permittitur, non mere bonum eſſe videtur 49 b

R

RAtio differentiæ inter patrem tutorem & vſufructuarium quæ ſit 43 a
Ratio filii & vtriuſque parentis diuerſa eſt 79 b. 80 b. legis aliquid prohibentis vna ſufficit 126 b. 127 b, lineæ maternæ in feudis nulla ducitur 91 b

Reſp-

Recipiens emptionẽ & venditionem, num pignorationem quoq; recipiat 13 a
Reddere rationes differt à ſatiſdando 42 a
Reditus annuus 63 b
Regula 13.15.50.83.90.93.121.147
Relicta indignis fiſco cedunt 130 b
Relinquere quæ reſpectu ad voluntates ultimas pertineat 11 b. &c,
Remedia filio aduerſus alienationem bonorum aduentitiorum per patrem forte committendam competentia 63 a
Remotio qualibet remotum ignominia quadam notat 57 a
Repudiare eius eſt, cuius eſt acquirere 125 a
Res à dominio & poſſeſſione diſtingui debet 28.72 a
Res aduentitia 105 a. *aliena donata* 196.200 a. *caſtrenſes & aduentitiæ* 148 a. *è pecunia aduentitia filii* 158 a. *externa* 15 a. *filiorum aduentitia* 84 a. *fruſtra repudiantur quæ acquiri non poſſunt* 178 a. *immobiles* 59 b. *incorporales* 49 a. *litigioſa* 8 b. *materna* 91 b. *minoris* 105 a. *mobiles* 66. 69 b. *pro quarũ conſeruatione liberis datur hypotheca, qualeſnam ſint* 92.93 b. *qualibet cuius proprie ſit* 76 b. *ſua nũ cuiquam oppignorari poſſit* 93 b.
Reſponſiones ad l. repudiatione. varia 140 a.
Reſpublica 179 a.
Reſtitui ob militiam & abſentiam aliud eſt à reſtitui propter ignorantiam 214 a
Reſtitutio in integrum 133 a 138. 144 b. 100. 161. 190. 191. 213 a
Romani matrimonii maxime fauentes, calibibus & orbis pœnas graues inflixerunt 151 b

S

Ancitum de correlatiuorum vno, ad alterum in iure duci ſolet 156 b
Satiſdare & reddere rationes differunt 42 a
Satiſdatio quid 41 a. *inter patrem filiumq; iure conſiſtere non poteſt* 74 b
Separatio coniugum quo ad menſam & thorum quadam diuortii ſpecies 20 b
Serui 14 a. 143 b
Seruitus 5 a. 6 b. 25 a. 63 b 78 a. 81 a 96 b
Seruum eſſe, & eſſe in ſeruitute differunt 12 a
Seruus 10. 11. 14 113. 117. 151 a
Signa viduitatis triſtia 124 b
Scire vel ſcire debere, paria 210 a
Scripta de militib. veris & armatis ad aduocatos & cleri-

eos imperite tracta 19 a
Scripturæ contrahentiũ ſic explicãdæ ſunt vt aliquid operentur 149 a
Socer 35 b
Socii Carthaginenſiũ 94 b
Socius 82 a
Solutio filiofamil. & ſeruo quoq; pro caſu rectè fiat. 146 a
Sophocles 58 a
Species aliquot alienationũ 7 b. *diuortiorum* 19 b
generi derogat 83 b.211 a
Status reipubl. rebus iudicatis maximè continetur. 100 a
Stipulatio 62.147.148.149 154 a
Stuprum in viduam 42 b
Suaſio 89.117 b
Subſtitutio pupillaris 150 b
Subſtitutus 137.138 a
Succedere aliud eſt quã acquirere 23 a
Succeſſio 25 b.37.38 a.78 b. 85 a.147 b
Succeſſor 85 a
Superficiarius 59 b
Superfœtatio 125.141 b

T

TEmporalia ad agendũ, perpetua ſunt ad excipiendum 33 b
Tempus adultero accuſando quinquennale conſtitutum eſt 32 b. *adulteræ deferendæ ſex menſes vtiles ibid. conditionis exiſtentis in legatis* 159 a.
dotis inopis vxoris 26 b
Terra poſſidenda cupiã data, vſumfructum datum ſignificat 72 a
Teſtamentum 17.65.182 a
Teſtari legibus XII. Tabb. prohibitum eſt 187 a
per alium definitioni teſtamenti repugnat 187 a
Teſtationes teſtium poſtremorum per iudicẽ ſequendæ ſunt 67.68 b
Teſtator 41 a. 60 b
Textus l.1.ff.de minoribus. 185 a
Theleſita 51 b
Tiberius 22 a
Totum continetur appellatione pluris 113 b
Totũ quod petitur in tranſactionib. & arbitriis non accipitur, actore aliquid de iure ſuo remittente. 74 a
Tractatus de hereditate adeunda 113 a
Traditio Doctorum 39 a
Tranſactio 73.74.75
Tranſigere patri ſuper filii bonis aduentitiis eſt licitum 75 a
Tria nobis maxime propria quænam ſint 8 a
Turbatio ſanguinis 125 b
Turpia natura ignoratione nulla excuſantur 139 b
Tutela quid 43 a.147 b
Tutor 60.75.157 a
Tutores 43.53.55.111 a
Tutrix teſtamentaria 148 b

V

VAſillus 43 b. 74

74.76.84 a
Vendicatio 72 a
Venditio bonorum filii per patrem contra leges facta num valeat 88 a
Venditio liberorum 11 a
rei alienæ 64.88 a
rei valoris magni facta pro numo, donatio potius eſt fraudulenta 110 b.
rerum aduentitiarum cu ius nomine facienda ſit, patrisne an filii 101 a
rerum ſacrarum 65 a
Venditor 71.72 a
Veneti 156.157 b
Verba in dubio ſuperflua eſſe non putanda ſunt 197 a
Veſtes 66.67 b
Vidua 24.31.32.42.43.44.45.46 b
Viduitas 42.49.151 b
Vigor virilis 123 a
Vindicatio rerum per patrē iniuſtè alienatarum filio permiſſa eſt 59 a
Vir ad nuptias ſecūdas trāſiens quantū in bonis propriis coerceatur liberis extantibus 104 b
inops vxori locupleti ſuccedit 26 b
vxorem perimens quam pœnam luat 32 b
vxori quatenus ab inteſtato non ſuccedat 37 a
Virginitas 1 b
Viri ſponſarum nouarum amore quantum inſaniant. 105 b
Virtus legis 117 b
Vis actionis hypothecariæ. 95 b. *interdicti, qua pater filii res aduentitias alienare vetatur* 63 a. *pacti* 105 b
Viuere male 222 a
Vniuira 14 b
Vocabulum rei 72 a
Voluntas defuncti 39 b. 136.187 a
Votum matrum 53 b
Vox filii 90.148.151 a
Vſucapio 65.214 a
Vſufructuarius 29.49.58. 66. 67. 80. 81. 82. 104. 204 a
Vſura 58 b.60 a.71.97.98 b
Vſus tabernarum 71 a
& vſusfructus differunt 57 b
Vſusfructus 1.24.25.26.27 28.29. 30.31.32. 39. 40. 45.61.66.67.73.78.95. 102. 131. 142. 148. 152. 222. a
Vtilitas hypothecæ liberis cōtra parentes conſtitutæ. 92.93.94 b. *reip. priuatorum contractibus præferenda eſt* 216 a
Vxor 37 a.41 b.85 a.96. 99 b

FINIS.

Österreichische Nationalbibliothek
+Z220970306

Fr. Hollnsteiner
k. k. Hof-Buchbinder
in
WIEN
Alservorstadt, am Glacis,
N° 197 im rothen Hause.